BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — I
70

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53.4.

53
D
13

IVGIS ECCLESIAE CATHOLICAE SACRIFICII, EORVMQVE OMNIVM, QVAE IN EO PERAGVNTVR

ſolida, iuſtaq; defenſio & aſſertio, ex priſcorum & ſanctorum patrum monumentis deprompta, contra calumnias & cauillationes Iacobi Andreæ Smidelini.

AVTHORE IOANNE à via S. Theologiæ Doctore.

BENEDICES CORONAE ANNI BENIGNITATIS TVAE. PSAL. 64

Bibliot. Coll. Rom. Soc. Iesu

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M D LXX.
Cum gratia & priuilegio Cæſ. Maieſt.

INVICTISSIMO VEROQVE CHRISTIANO PRINCIPI AC DOMINO D. MAXIMILIANO, Romanorum Imperatori Electo, Hungariæ, Bohœmiæq; Regi, Archiduci Auſtriæ, &c. Domino ſuo longè clementiſsimo, ſalutem & perpetuam fœlicitatem.

MVLTA ſunt dictorum factorumq́; tuorum præclara atq́; imperiali iſta Maieſtate digna apud nos teſtimõia Maximiliane Cæſar inuictiſsime, quibus tam pij pectoris tui, tàm ſanctæ cogitationes, magno animo non pro republica Chriſtiana ſuſcepta & innoteſcunt, & vt priſca catholicorũ pietas pacem tranquillitatẽq́; Eccleſiæ te imperante, ac duce polliceri ſibi auſit, faciũt. Nam cũ ſub patrui tui parentiſq́; lectiſsimorum principum defenſione quotquot ſingularitatem fugientes Catholicos nos & profitemur & Dei clementia ſumus, recuperãdæ pacis publicæ ſpes noſtras hactenus nunquam rebus triſtibus etiam fremẽtes inter hoſtes non prorſus abiecerimus: ſolius Dei certæ de perpetua ac benigna præſentia ſua promiſsioni innixi: multò magis te imperante eaſdem ſpes noſtras augere nunc atque firmare poſſumus, cum tã multæ ac magnæ res in te vnum concurrunt, quæ ad voluntatem tuam accendendã & ad facultatẽ administrandã ſatis eſſe poſsint, & triſtiſsimis Eccle-

ſiæ rebus pro officio adeſſe, & curas tuas ſolicitudineſq́ omnes in eius procuratione intendere atq́ inſumere velle debeas. Tentarunt quidem & illi, neque laboribus neque ſumptibus parcentes, ſi quo modo pacem Eccleſiæ reſtituere poſſent. Sed dum primus furor etiamtum ineſſet Sciſmati, omnia impedimenta inierit ſanctis ipſorum conatibus, quibus à propoſito vel remorentur, vel prorſus ſi fieri poſſet deterrerentur. Tegebat enim peſtilens furor frontem ſuam, ingenioq́ & arte ſua oculos perſtringebat poteſtatum, ac ne rationem reddere cogeretur eorum, quæ reddi nequeunt. vtque fraus propria ſub vmbraculo turbatæ Reipub. deliteſceret, turbabat omnia, miſcebatq́ de induſtria. Sicut & auceps in fruticoſo, piſcator in turbido, fur gaudet in tenebris. Nunc verò & deferbuit furor ille, parte non modica, & fraudes ac technæ ita patefactæ ſunt malorum, ut niſi talpa quis ſit cœcior, verum Sciſmatis faciem videre queat: Nec iam poſsint amplius hoſtilium manuum ſtudia, vindicandæ libertatis Germanicæ fuco dilue̅di quæ ad imperij regnorumq́ cæteroru̅ diſsipationes, depopulationes, euerſioneſq́ hactenus ſunt armata. Id q̄ ne ipſi quide̅ prorſus negare poſſunt, qui ſunt inter ipſos prudentiores: ſed du̅ futura ex præcedentib. colligunt, diu ſtare poſſe regni ſui colluuie̅ diffidunt: propterea & tepidiores in tuenda mala cauſa ſua fiunt, & meliora nobis monentibus adeò non ſemper repugnant, vt ſæpe ſua deſerentes vltro in

tro in noſtra caſtra tranſcendant: Contra vero ex noſtris iam longo tempore vix vnus ad ſciſma defecit. Quorum illud rariſsimùm, hoc verò quotidianum ferè erat patre patruoq́; Cæſaribus. Adde quod inter Catholicos, ſub tuo imperio longè plures quam olim inuenire licet, qui fidem Religionemq́; noſtram ſanctam ore calamoq́; magna fide atque conſtantia cum à ſciſmatis ſpurcitia vindicant, tùm ſuo nitori priſtinæq́; maieſtati reſtituunt. Neq; iam amplius quid verũ aut falſum: q̃d diuinæ voluntati conforme deformeúe ſit: tùm neque qua via ad verum gradiendum, aut quis modus pacificandæ Eccleſiæ poſt tot ſcripta atque dicta latere prudentium poteſt oculos. Nam vt de reliquis ſcriptorum dictorumq́; adiumẽtis taceã, quid de Concilio Tridenti nuper abſoluto dicam? cuius definitiones certæ ac firmæ de Dei perpetua in Eccleſiam voluntate palam tibi atque abunde teſtantur. & officiũ Imperatoris à te exigunt: nõ iam quale vel a parẽte tuo vel patruo ſanctiſsimis Principibus, quibus per turbationes rerum publicarum datum non eſt, vt ſuis temporibus plenam controuerſiarum Eccleſiaſticarum definitionem haberent: ſed maius aliquod, & antiquorum Imperatorum ac Cæſarum exemplis in ſimilibus calamitatibus accommodatum. Etſi enim ſub illis quoque, parente, inquam, & patruo de fide deq́; religione diuina patefacta eſſet voluntas, ſacris literis manifeſtata, maiorum noſtrorum monumen-

tis approbata, totiuſq; Vniuerſitatis conſenſu confirmata: & ita quidem manifeſtata, approbata, confirmata, vt nemo pius de veritate eius dubitaret: dilucidior tamen nonnullorum articulorum declaratio deſiderabatur. Vt quæ in ſanctorum patrum ſcriptis paſsim ac latè diffuſa, nonnunquam etiam obſcure diſperſa cernebantur, in vnum credendorum faciendorumq; quaſi faſciculum generalis Concilij autoritate collecta præponerentur. Hinc enim amborum, ſanctæ memoriæ, prædeceſſorum tuorum tanta in conuocatione, defenſione, atque perfectione Concilij illius non modo apud Sum. Pontificem, verum etiã apud vniuerſi Chriſtiani orbis omnes nationes & populos ſedula ac tàm diligens procuratio. Et verò cum hæc tàm promptis animis præſtiterunt, quid non facerent, imò quid nõ efficerent, ſi concilij tot laboribus per ſe ac ſumptibus ſuis procurati, tot gemitibus tàm paternè deſiderati fine iuſto gaudere, definitione aliquo ſaltem vitæ ſuæ tempore frui potuiſſent? Nihil ſanè eorum quæ in eo definita ſunt apud vllum hominem in controuerſiam denuò rapi ſuſtinuiſſent, multoq́ue minus ipſi aliqua parte autoritatem eius defugiſſent. Sed quod ipſis negatum fuit ab eo, qui nouit & ponit terminos vitæ noſtræ, per quem & reges regnant, & potẽtes Iura decernunt, tibi, Maximiliane Cæſar, filio ſucceſſori indultum atque conceſſum ágnoſcis diuinitús. Seminarunt illi & tu in meſſes eorum volentibus ac iubentibus

ipſis

ipſis introiſti. Et id quidem meritò. Non enim Apoſtolo teſte filij parentibus, ſed filijs parentes theſaurizare ſolent. Verùm Deo quoq; autore, vt viciſsim filij parentũ voluntati ſeſe quam maximè accõmodant, ac obſequantur pulchrum eſt. Et tibi quidẽ, Maximiliane Cæſar, grata eſt, ſcio, vt nobis omnibus & multò magis etiam chari parentis tui defenſoris noſtrum omnium ſanctæ memoria: cuius os totusq; corporis habitus ita impreſſus animo meo viget, vt pietatis ſuæ merito exigente, nunquam ſine ſubortis oculorum meorum lachrimis, eius meminiſſe queam. Quam verò multo vehemẽtiores affectus ſanctiſsimo pectori tuo transfudiſſe olim, ac nunc quoq; exuſcitare exiſtimandus eſt pater? Frequenter ille procul dubio etiamnum cælitus illo habitu illoq; vigore ac gloria, qua fuit cum tibi Imperij regnorũq; habenas ſceptrumque traderet, tecũ loqui, teq; ſerio affari atq; monere: vt natura filius, gloria ac Maieſtate Cæſar, patris Imperatorisq; ſucceſſor paternis veſtigijs ac domeſticis tuorũ exemplis inſiſtens, omni nouitatis quantumcunq; ſpecioſæ ſtudio depulſo, inde regnandi imperandiq; initium facias, vbi ipſe finem poſuit: ſic pergas, quemadmodum ipſe mõſtrauit: pietatem religionemq; ſanctiſsimam ſedulò atque ex animo colas: neque à maiorum inſtitutis & iã inde ab exoriente religione Chriſtiana apud omnes nationes ac gentes recepto, & ad noſtra vſq; tempora transmiſſo ſeruatoq; cultu Dei Optimi

Max. venerandiſq́, cæremonijs atque dogmatibus te cuiuſquam inſidioſis blandicijs, aſſentationibus uel illecebris auocari, vel importunitate auelli ſuſtineas: exiſtimeſq́; neque imperium, neque regnum, neque quicquam omninò in rebus mortalium ſanctum & inuiolabile eſſe poſſe, vbi religio labefactatur. Neque hæc Pater ſolum, ſed tota pientiſsimorum Imperatorum Antiquitas pari ſtudio atque coniunctis animis à te contendunt. Habes longè ante paternum ac domeſticum ſydus lumina orbis Chriſtiani præclara, per quos Eccleſia primum creuit, & in iſtam gloriam adoleuit qua fuit ante nos, velut ordinata acies inferorum etiā poteſtatibus tremenda, Cæſares, qui tibi ad ſalutē Reipub. & tranquillitatem regnorum tuorum, denique ad decus & immortalitatem viam præmōſtrant, Conſtantinum magnū, Theodoſium, Martianum, Iuſtinianum, Conſtantinum, Baſilium & alios, qui omnes vel ipſi per ſeſe, vel per ſuos Legatos & interfuerunt ſuo loco Concilijs, ijſq́; generalibus, & pro officio opem auxiliumq́; ferentes, magnam, eamq́; veram ac ſtabilem laudem, immortaleq́; nomen apud poſteros meruerunt & conſequuti ſunt. Horum ad exempla ſi officium Imperatoria Maieſtate dignum, ut facis, facere quoque deinceps perrexeris, in eorundem laudis ſplendoriſq́; gloria communicationem conſequeris. Neque enim dubium eſſe debet, niſi iam finis vniuerſi inſtat, quin multo etiam vti liberius, ita & rectius de

us de

us de horum temporum ſtudijs, ſingulorumq́ certaminibus olim ſit iudicatura poſteritas, & quid quiſq́ noſtrum, magni atque humiles, quoue animo in Rempub. contulerit, teſtatura. Cuius iudicium teſtimoniumq́, cum nemo, ne rex ne Caeſar quidem defugere poteſt, tantò diligentius formidandum eſt, quantò impenſius nominis glorioſam immortalitatem appetimus. In Iudicum libro calamitoſa Iudaeorum a vero Deo ad Idolorum abominationes deſcribitur defectio. ac ne quis diu miretur, quamobrem hoc ita fieret, continuò cauſſam Author Hiſtoriae addit: In diebus illis, inqt. non erat Rex in Iſrael: ſed unuſquiſque q̃ ſibi rectũ videbatur, hoc faciebat. Quid hac rerũ facie triſtius? Haec tamen ne in noſtram quoq́ quadret aliquando Rempub. Caeſarij muneris atque officij eſt. Et vide, ſi non hiſtoriae narratio tacitam comminationẽ habeat: vbi ideò vnuſquiſq́, quod ſibi rectum videbatur feciſſe deſcribitur, quod Rex in Iſrael non eſſet: tacitè inſinuans Regem eſſe regnumq́ diu ſtare non poſſe, ubi cuilibet quod libet ac vult facere poteſtatis ſuperioris authoritate conceditur. Dei igitur in te beneuolentiam ſingularem magno animo, Caeſar inuictiſſime Maximiliane, iterum atque iterum reuolue, & quas tibi facultates occaſionesq́ pacificandae Eccleſiae ſuae quaſi in manus tuas offert, diligenter attende: & quo pluribus maioribusq́ donis diuinitus te beatũ agnoſcis, eo arctius grauioribuſq́ officijs Deo atq́

Eccleſiæ deuinctum obligatumq́; intelliges. Helias cœlitus acceptis donis ſub vnā Iuniperam eſſe proiecit, petens animæ ſuæ vt moreretur, fatigatus nimirùm tot perſecutionum procellis: Sed diuina eum vox corripit, & non in hoc munus cœleſte acceptum vt puſillanimis moriatur & inglorius, ſed vt grandem viam atque arduā quæ reſtabat, pergeret. Sic non ideò quod Prædeceſſoribus tuis negatum fuit Cæſareæ Maieſtati tuæ conceſſum exiſtima, Concilij inquam definitionem tuo ac tanto tempore palam audire, vt ſis quaſi vnus ex paruis principibus in ſilentio ac ſpe viuens: ſed vult Deus vt collegæ tuo Pontifici Max. in auxilium ſuccurras, ſociumq́; laborum ac ſolicitudinis præbeas, & quæ ſanctè legitimeq́; non ab ipſo modo, ſed ab vniuerſa Eccleſia conſtituta ſunt atque decreta, Imperialis autoritate ab vniuerſis Chriſtianis ritè obſeruari coliq́; demandes, inſtes, efficias. Huc alterum etiam tuorum temporum beneficiū te vocat, Antiquitatis teſtimonium, tot veterum libris nuper adeò in Regum ac Principum, Eccleſiarum Bibliothecis inuentis traditū. Conciliorum maximè generalium non pijs modo, ſed hoſtibus quoque ſemper & veneranda & extimeſcenda habita fuit autoritas. Sit tamen nunc aliquis, ne quid ad ſummam Eccleſiæ contumeliam deſit, qui nouiſſimi nuper abſoluti Concilij autoritati diffidat. Hic ea quæ illic piè ſanctèq́; conſtituta ſunt ad veterum teſtimonia conferat, & quorum vtrobiq́;

pulcherri-

pulcherrimum perpetuumq́ conſenſum legit, his fidem ſi non propter recentioris Conclij autoritatem, ſaltem propter geminati teſtimonij veteris, inquam, & noui maieſtatem, habeat, ſeq́ habere palam oſtendat. Sane in dubijs rebus ad fontes principiaq́ recurſum eſt ſemper. Hiſtoriæ verò Antiquitatis habent & deponunt teſtimonium, & docent præteritorum conſideratione futurorum moderationem, inſtruuntq́ de diuerſorum hominum diuerſis ac varijs officijs. Quæ res quantam noſtris rebus utilitatem adferat, ex eo conſiderari poteſt, quod horum temporum atque ordinum confuſiones ſine veterum teſtimonijs diſcerni non poſſint. Manifeſtum eſt autem vix paucos ordine ſuo conſiſtere, omnes propemodum, imo præter modū, vocationem ſuarum trangreſſos eſſe limites, dum Clerus ſecularem (vt vocant) adminiſtrationem valde ſibi vſurpant, ſecularis contra Eccleſiaſticam Iuriſdictionem impotenter inuadit. credendorum faciendorumq́ leges præſcribit. Quid hic Cenſor aliquis faciat, qua lege aut vnde diſcernat in officium & officium? Sacræ Literæ non niſi in genere officia diſtinguunt, nec ad omnes terminos ſeſe extendunt. Proferantur ergo in medium, veterum Annales & hiſtoriæ: res quæ paulò antè latebant, lucem accipient. Ac ne multos nuper repertorum voluminum Autores commemorem, quorum aliqui ne nominibus quidem ſatis cogniti nobis erant, tuis

Inuictiſsi-

Inuictiſsime Cæſar, temporibus & in imperiali aula tua vel inuetus vel natiuo ingenio reſtitutus, proferatur in medium Nicephorus, qui tam diligenter tanquam manifeſtè ortum progreſſusq́ Eccleſiæ atque in ea Regum & Imperatorum officia deſcribit, eaq́ ipſa à pontificum cæterorumq́ ordinum ſecernit muneribus, ut tacentibus nobis omnibus, ſolus ille docere abunde queat, ubi ac quouſque progrediendum ſit ſingulis: ſolus ad multa horum temporũ diſsidia tollenda ſufficiat. Id quod per exempla manifeſtum fiet. Nota eſt priuatorum hominum & ſubditorum in Magiſtratus noſtri ſeculi horenda rebellio, qua poteſtates in ordinem redigere conati, legesq́ ac normam viuendi præſcribere auſi ſunt. Et ſunt quibus furores iſti minimè diſplicent. Sit ergo de hoc queſtio: an ſubditorum ſit Magiſtratui leges præſcibere: An verò parere & obſequi? Proferatur Nicephorus, & quid Maiores olim ſimili in diſcrimine fecerint, legatur. Valentinianus nuper Niceæ totius exercitus ac præfectorum conſilio voluntateq́ Imperator electus, à militib. ſolicitatus eſt poſtea, ut ſociũ imperij ſibi adſciſceret, memorabili ſanè exemplo ac dicto ſolicitatorum importunã exactionem refutauit: Veſtrum erat, inquit, vt priuatum me ad imperialem extolleretis dignitatem: res autem administrare, non iam veſtri eſſe, ſed Principis ipſius arbitrij, vos ipſi quoque dixeritis. Itaque vos deinceps imperata facere & quietos eſſe, me autẽ

quid

quid facto opus ſit curare decet. Sunt alij qui neſcio quam in Eccleſia authoritatem, etiam contra Epiſcopos ſibi attribuũt, nihilq́; non in ea licere cõ tendunt. His Nicephorus Philippi Imp. loquatur exemplo. Primus hic Imperatorum Chriſto nomen dedit. Atque in Paſchatis peruigilio cum precum in Eccleſia particeps eſſe vellet, eoq́; ſe in numerum ac locum piorum ingereret, reſtitit Epiſcopali authoritate Fabianus Pont. nec prius admiſit, quam peccata confeſſum, & à pœnitentia, tùm quoque loco ac ordine pœnitentium abſolutũ. Quo exemplo Imperij adminiſtratio ab Eccleſiaſtica diſcernitur: & Eccleſiæ gubernatio Sacerdoti defertur. Cuius generis alia quoque apud eundem extat faceta ſed tamen grauiſsima ſententia. Decantata eſt enim erga Religionem noſtram ſanctã Valentis Imp. peruerſitas. Is ſibi haud diſſimilem habebat præfectum, Modeſtum. Fit acris inter hunc & Eulogium, Catholicum virum, vitâ ſimul & doctrina laudatiſsimum, concertatio. Eulogius ergo cum ut impiæ Imperatoris ſententiæ ſubſcriberet, præter Imperatoris officium ſolicitatus eſſet: proficit ergo inquit (cum admiratione & ironia de Imperatore loquens) & vna cum Imperio, Epiſcopatum quoque ſortitus eſt. In eandem ſententiam Hoſius Cordubenſis Epiſcopus (libet enim & hoc addere) Imperatori Conſtantio ſcripſiſſe legitur his verbis. Quid, Imperator, tale à Conſtante actum eſt? Aut quis ibi Epiſcopus relegatus?

legatus? Aut quis ipſius Palatinus vim adhibuit? Deſine, quæſo, & memineris te mortalem eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe. ſed potius à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini ſias obnoxius. Peſſundant alij vota Monaſtica, & fœda libidine ſub honeſto Connubiorum titulo Virginum Deo ſacratarum animas atque corpora commaculant. Neque hic furor ſuis omninò deſtitutus eſt Patronis. Quæratur de facti æquitate. Reſpondeat in Nicephoro Iouinianus Imp. qui ad præfectum prætorio generalem dedit conſtitutionem, vt deinceps Capitaliter in eum animaduerteretur, qui ſacram virginem non dicam rapere, ſed attentare tantummodo iungendi matrimonij cauſa, aut oculos impudicos ei adijcere auderet. Eamq; legem vt promulgaret adductus eſt, quod homines quidam improbi atq; impudici ſceleſtas atque inceſtas huiuſmodi nuptias vel vi illata vel perſuaſione adhibita, virginibus corruptis contraxerant, ſub Iuliano Imper. impotenti abuſu ac fœdi libidine flagitia talia audere permittente, & religione noſtra tùm periclitante. Contenditur de Eccleſiæ bonis iuſto titulo, olim legitimeq; acquiſitis ac cuſtoditis, alius retinere

tinere in Eccleſia alius poteſtatis luxum (dixiſ-ſem vſum) conuertere ſacrilegiaq́ defendere. Quid ad hæc Nicephorus? Aut quæ Antiquitatis ſententia eſt? Idem Iouinianus Imp. ſub Iuliano ſpoliatis Eccleſijs, iuribus ac poſſeſſoribus alienatis, Iura priſtina reddidit: & quæcunq́ Clero, viduis, ac virginibus dudum à Conſtantino & filijs eius diuini cultus augendi gratia conceſ-ſa legibusqúe confirmata erant, Priuilegia ac beneficia ex integro reſtituit. Sunt alij qui ſine legitima vocatione etiam ex indocta & infima plebium colluuie ac fere in Eccleſiaſticas functiones ſeſe ingerúnt, nec concionandi tantum muneri, Verum etiam Sacris operandi ritui cæremonijsq́ venerandis Sacrilegas manus implicant: Imò & Dei Sacerdotum Iudices ſeſe conſtituunt. Hos præſumptionis atque impiæ cuiuſdã audaciæ ſanctiſſimus vir Athanaſius arguit: quando Iſchyra ſine vocatione ſacrificante, & menſam in qua ſacrificare videbatur, euertit, & calicem ſacrificij confregit: Impiã temerarij hominis audaciam facto cohibens. In iudicio verò exceptione eũdem reppulit, quod Laicus in Sacerdotẽ ſententiam ferre nullo iure poſſet. Hannibal cum deuictis hoſtibus Epheſi apud Antiochũ Syriæ Regem Peripateticũ, quendam Phormionem multa de re bellica diu diſſerentẽ belli tamen inexpertem audiuiſſet, & q̃d ſibi de illo videretur. interrogaretur: Multos, inquit, ſtultos deliroſq́ ſenes vidi: ſed

nullum

nullum tamen quo magis delectarer, quàm ſane hoc, quippe qui tam multa de rebus incognitis loqueretur. Sic hodie ſenes cum iunioribus, cumq́; viris fœminæ, anuſq́; deliræ, omniſq́; adeò turba indifferenter, quod planè nihil intelligunt, nihilq́; norunt theologizant, ita prorſus & tam magno cũ dedecore, vt verbũ Dei quod inſitum eſt ſaluare animas, factum ſit in ocioſorum hominum parabolas. Quid ad hæc Nicephorus? Habuit Baſilius, vir doctrina & vita ſanctus, cum Valente Imp. de rebus Theologicis colloquium, adfuitq́; colloquio Demoſthenes, ne ille eloquentiæ laude celeberrimus orator, ſed Imperatoris Cocus & obſonator (peſtis ſanctiſſimorũ Principũ, quales regibus ſolent eſſe in delicijs) iſq́; conabatur Baſilium in Imperatoris impiè de religione ſentientis ſententiam pertrahere. Sed quid ad eum ſanctus vir Baſilius? Tuum eſt, inquit, de delicatioribus iuſculorum condimẽtis curam agere? Et mox ad circumſtantes: En, inquit, etiam demoſthenẽ illiteratum & elinguem vidimus. Quæ verior aut iuſtior in multos paraſitos noſtri temporis dici poſſet ſententia, quam eſt hæc ipſa? Sunt denique qui ſummam religionis autumant, multa de Deo ac diuinis edoceri, conciones è ſuperiore templi loco vel domi audire: Scripturas interpretari ac docere. An nullũ huic morbo inueniri in Nicephoro poterit remediũ? Pambo illiteratus quidem ſed pius deſcribitur, quod Euangelium Dei non in ſermone ſed in virtute poneret,

cum ſemel Pſalmi.38. (dixi cuſtodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea) audiuiſſet, nũquam deinde alia docentem audiuit, donec tandem quòd auditu accepiſſet, opere adimplere didiciſſet. Et ſatis hoc illi erat in cæteris erudito, ad oris cuſtodiam: prudenter iudicans, ſummam Religionis non in audiendo, ſed in operando conſtituendam eſſe: Nec magni habendum multa diſcere, vbi voluntas adſit non niſi pauca perficere. Poſſent inuictiſsime Cæſar Maximiliane ad hunc modum ex eodem Autore quem reſtitutum aulæ tuæ tẽporibusq́; tuis debere nos libenter fatemur, multæ ac ſimiles controuerſiæ ſopiri ac finem accipere, omnisq́; generis cauſæ dijudicari: ſi vti æquum eſt ac fieri omninò oportet, noſtros mores noſtramq́ue Religionem ad ſuperioris æui tempora metiri atque componere velimus. Neque enim quòd Deo Opt. Max. olim placuiſſe ad Eccleſiæ regnorumq́; tranquillitatem ac pacem procurandam tuendamq́; vtile ac conueniens eſſe iudicatũ fuit, id hodie vim ſuam perdidiſſe aut inutile factum dici ulla ratione poteſt. Et licet hoc aliorum quoque Hiſtoricorum lectione & vſu fieri queat in multis, tamen extra cõtrouerſiam eſt, hunc aulicum tuum multas hiſtorias ſcribere, quæ in alijs non inueniuntur, atque ideò plurimum adiumeoti Reipub. adferre. Verum hactenus quidẽ hæc exempla grata ex Nicephoro producere in medium, ac veluti digito monſtrare volui, vt Cæ-

 ſarea

ſarea Maieſtas tua hoc etiam beneficium ſuorũ temporum (librorum multorũ, quorum Autores antea nobis vix nomine quidem cogniti erant, inuentionem dico) agnoſcat, eoq́; ipſo ad pacificationem Eccleſiæ grato animo vtatur. Ad quam rem cum ſtudia atque labores noſtros meritò omnes in medium adferimus, & æquum ſit vt cogitationes tuas ſanctas in propoſito pio confirmemus, conatus etiã reip. paci ac tranquillitati olim vtiles futuros pro virili iuuemus: collegi atque Iacobi Andreæ fanatici cuiuſdam ſacrorũ noſtrorũ ꝓphanatoris calumnijs ante biennium reſppondens, in iuſtã libelli formam redegi, eius generis ex varijs Autorum priſcorũ munimentis plura & ad eam rem pertinentia exempla, ad Eccleſiæ iugis ſacrificij iuſtam defenſionem. eamq́; cum piorum iudicio conſilioq́;, maximè verò Illuſtriſsimi D. Ducis mei D. Alberti, typis excudenda & publicanda fuit, Cæſareæ Maieſtati tuæ. Cæſar inuictiſsime, eo libentius dedicare, nuncupare atque inſcribere volui, quòd cum de ſacrificio noſtro, cultu nimirum inter Chriſtianos ſummo atque omnium Articulorum præcipuo agit non niſi ſummo principi inſcribenda fuit. Deinde quod mei arbitrarer eſſe officij cogitationes tuas magis atq; magis in arduum ſane opus pro officio accendere, conatuſq́ue pro virili iuuare. Confido autem bonam hanc meam voluntatem non modo apud te tuoſq́; aliquid profuturam & ſuum locum habituram, verum

etiam benignitati Cæſareæ gratam fore, præſertim cum Caſ. Ma. tua nuper ſuam in me gratiã & animi propenſionem declarans non dubitauerit me hinc ad ſe euocare. Quod quidem ingentis ego beneficij loco accipio, nunquã in ijs rebus Caſ. Ma. tua abſens tanquam præſens pro facultate mea omniq; ſtudio defuturus, quæ ad animi motus tui, quos multos ac magnos in iſta ſuprema functione tàm periculoſis temporibus, tàm ardua in re eſſe oportet, tranquillandos pacificandosq;: tùm ad decus æternũ, immortalitatisq; gloriam ac nominis ſplendorem pertinere arbitror. Id verò vt ſibi Caſ. Maie. tua de me meaq; paruitate certò polliceatur, deinde vocationem ſuam ſublimem illam nunquam ſedulò cogitare intermittat. Eccleſiæ verò ſanctæ Catholicæ officium præſtet: nec tot concurrentes pulcherrimasque occaſiones rei ſanctiſsimæ pro omnium piorum qui te maieſtatemq; tuam ex animo diligunt atque venerantur votis gerendæ aliquo modo negligat, per IESV CHRISTI gloriam cor tuum in manu ſua habentis, iterum atque iterum oro atque obteſtor. Faciet autem Cæſarea Ma. tua cùm hoc ſcriptũ acceperit, quod ſolent diuites, & ad rem augendam intenti, qui quantumlibet domi ſuæ auro abundant, aliunde tamen oblatum argentum non prorſus ſpernunt: tùm verò iudicium tuum voluntatemq;, quibus hoc idem ſcriptum & ſuſcipis & iudicas, conſanguineo tuo atque affini D. Alber-

 to prin-

to principi meo ſereniſſimo Com. Pal. Rheni, vtriuſque Bauariæ Duci iuſtiſſimo per literas ſignifica. Vos enim ambos à Deo Opt. Max. ſingulari beneficio in tàm denſis harũ tempeſtatum tenebris, in magna Eccleſiæ domo ſuper candelabrum quaſi quædam lumina poſita ſuſpicio ac veneror, mutuam vtrique animorum conſenſionem perpetuam, vereq́; pietatis ac religionis ſanctum amorem precatus, me humiliter commendans.

Ad S. Cæſarea Maieſtatis tuæ

ſubſelliæ poſitus

Ioan. à Via Doctor Theologus Illuſtriſſimo Bauariæ Duci Alberto à ſacris concionibus ordinatus, &c.

DEFENSIO ET ASSERTIO EORVM, QVAE IN SAcrificio *Miſſæ peraguntur, contra cauillationes Iacobi Andreæ.*

AVTHORE D. IOANNE A VIA, Theologo.

GErmaniam cùm omnium virtutum, tum inuictę cuiuſdam conſtantiæ, ac in omni pacis belliq́; actione magnanimitatis gloria apud omnes totius orbis nationes atque gentes, magno rerum ſucceſſu atque ſplendore, floruiſſe ſemper, haud quiſquã eſt qui ignorare queat: cùm rerum clariſsimarũm fama atq; gloria & Imperij Romani dignitatem eam eſſe conſecutam, & exteris admirationi terroriq́ue fuiſſe, omnium monumentis depręcicetur. In quò nihil adeò contuliſſe ad rerum faſtigia gloriæq́; culmen, omnium ſapientum exiſtimatur ſententia, quàm quòd à primæua ſacræ religionis initiatione, cùm Deo & Chriſto nomẽ dediſſe cœpit: veriſſimam eam doctrinam, cultum, honoremq́; diuinum, quam à ſacris viris, diuina benignitate accepit, non ſolũ retinuit, auxit, amplificauit, animis, doctrina, opibus & facultatibus: ſed & ſtudio incredibili contra ani- *Querela Germaniæ præclara uirtutum ornamenta deperire miſerè.*

morum corporumque hoſtes, hæreticos & Ethnicos fortiſsimè ſemper defendit, omnibusque ſe periculis & pro religione diſcriminibus intrepidè obijcere nequaquã reformidauit. Quam ipſam tantæ iam laudis, & generoſitatis, pietatiſq; quaſi hæredem, paulatim, paucis ab hinc retrò actis annis, temerario quodã turbine impulſam, declinare, auitæq; conſtantiæ quaſi oblitã, pedetentim à propoſito leuiter turpiterq; deficere, ad quoſlibetque doctrinarũ anflatus in diuerſas adeoq; repugnãtes mutuò opiniones abripi: nemo non ingemiſcere, cui quidẽ virtutis, religionis, atq; pietatis vlla ſit cura, poteſt. Sed ſanè & exteras pleraſq; nationes nouo atq; inexpectato hoc erroris exemplo à ſua laude celebritateq;, quã ex religionis eiuſdẽ ſacroſanctę confeſsione, puritate, atq; defenſione obtinebãt, decidere, maiorumq; optimorum & ſanctiſsimorum facta inſtitutaq; conuellere, nefariaq; exagitare; ſine maximo dolore à pijs mentibus cogitari, non dicam, ferri haudquaquam poſſe arbitror. Illud verò demum, etiam ſacris rebus, ipſiuſq; dei opt. Maximi cultui, honori, adorationi, totiq; adeò religioni, quæ de illo ſanctiſque eius ingenti veneratione habetur, ſceleratas & ſacrilegas inferre manus, atque per vim Cyclopicumq; furo-

Exterarum Nationum ſcandala.

Cultus diuini imminutio.

ſurorem eadem inuadere, deuaſtare, fun-
ditusque euertere conari: quis eſt, qui non
& vehementiſsimè indignetur, & tam hor-
ribilis impietatis ergo, prophanationiſque
ſacri cultus, in lachrymas, niſi idem ipſe cō-
ſceleratum pectus obtineat, totus ſeſe con-
ijciat? Enimuerò ſanè multis in locis innu-
merabilia maiorū noſtrorū haud credibili *Templa.*
bus expenſis extructa magnificentiſsimè tē
pla, monaſteria, collegia, deſtructa videre li
cet, euerſas aras, pietatem extinctam, cultū
diuinum ſublatum, pios fugatos, eiectam re
rum ſacrarum diſciplinam, bona ſacra in-
iuſtè nefarieq; erepta, pijs ſanctiſque inſti-
tutis, ſanctionibus, legibus, ſtudijs, conati-
bus omnem eſſe aditum interclusū: Erro
rum verò & veterum & nouorum adeò om- *Errores.*
nia infecit fœda lues: adeò in proximos pe-
ſtilens inundauit odium, tam miſerandā re
rum effecit faciē proprius ſui cuiuſq; amor,
heu nimiū altos in hominū pectoribus agēs *Odium pertinax.*
radices, tàm manifeſtè quoduis vbiq; graſ-
ſatur maleficium, ſcelus, flagitiū: vt vix de-
ſperatis rebus videatur ſupereſſe remediū.
Auget in hac communis patriæ conſiderati
one dolorem, quòd aut Eccleſiæ præfecti, *Somnolētia*
quibus familiæ ſuę curam atque adminiſtra *præfectorum*
tionem Chriſtus ſeruator concredidit, tam *Eccleſiæ.*
altum indormiuiſſe videantur, vt præ men-

tis corpore, vndè, aut per quos Domini Zebaoth vinea demoliatur, perſpicere nequeant: aut certè ſi id illi intelligunt, & ad vindicandum Chriſti peculium pro officio in ſtationē conſcendunt, alij qui coërcendi atq; reprimendi eſſent metu paſtoralis virgę, quę nunc aut per impietatē penitus eſt ſublata, aut per abuſum vehementer eneruata, adeo ad omnē honeſti commonefactionē obſtructas aures menteſq; habere videantur, vt cum virga ab eo, quod præter officiū admittunt, depelli nolint, ne vocem quidē paſtoris, vt ingratæ pertinaceſq; oues quicquam curent, multi ētiam eorum, concepta improbiſsimi ſceleris conſcientia & audacia, vineæ ſepem, quam paulò antè munire, aſſeruare, defendereq; occeperant, diſsipantes, nefarij proditores, & conuulſores improbi, ſceleratiq; truncatores & extirpatores benè plantatorum ſurculorum efficiuntur. Et quid in iſta rerum confuſione pius animus faciat, imò quid facere poſsit ſi tamē ſit quiſpiam, cui communis ſalus adhuc cordi eſt. Miſericordiarum patri, cuius iudicia abyſſus multa ſunt, quiq; ſolus non ignorat, cur hodiè haud ſecus ſeſe erga nos habeat, ac ſi vel pater noſter non ſit, vel quibus quantiſque vndique premamur periculis, non aſpiciat, pium dolorem ſuum, quo pro dei

Laicorū uſurpata in eccleſiā uis.

Dubitatio.

dei domo zelans afficitur, gemitibus ac lachrymis aſsiduè haud fruſtrà aperuerit, vt q́ue vnus tot ſuorum malis, in tempore occurrat, rogauerit. Sic Ioſaphat ſuo exemplo faciendum monuit: Cùm ignoremus, inquit, quid agere debeamus, hoc ſolùm reſidui habemus vt oculos noſtros dirigamus ad te domine. Sic & Elias clamat: Altaria deo deſtruxerunt, Domine, & prophetas tuos occiderunt gladio. Sed & Regius ille propheta ſimili calamitate preſſus: Domine, inquit, poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerũt nos. Deſtruxiſti maceriam vineæ tuæ, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam: Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam: Exaudi domine, & reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam. Horum exempla ſequutos omnes, ſi qua tamen pietas, ſi quis amor patrię, noſtriq; cura ſupereſt, ad communẽ Deum patrem in hac communi omnium miſeria confugere oportebat. Neque enim video quid vel Deo ipſi gratius, vel pro pietatis officio, tantis malis finiẽdis moderandisúe, à nobis fieri poſsit accommodatiùs. Si quis tamẽ etiamnum & vocis & conſilij vſus eſt, ſi quid aut veri defenſio, aut falſi apud graues & intelligentes viros ad reſipiſcendum

2. Paral 20.
3. Reg. 19.
Pſal. 79.
Conſilium.

valet refutatio:(quoniam in veri perueſtiga tione tãtoperè laboramus) Deo & aſpirante,& inſpirante, efficiam,vt qui hæc noſtra legerint, quod quidem ad præſentem perti net materiam, fiant aut in veritatem humaniores, aut çertè in falſitatis pertinaciore obſtetricatione ſuarum ipſi cóſcientiarum tortores. Vt enim Dei iram, quæ Apoſtolo teſte,de cœlo reuelatur ſuper eos,qui agnitam veritatem in iniuſtitia detinent, non timeant; tamẽ vt conſcientię teſtimonium in ſe quoq; non ſentiant,nunquam effugerint. Summa autem omnium humanarum actionum cùm in ea iuſtitiæ parte potiſsimũ con ſiſtat,qua Deo peculiarem ac proprium cul tum rectè tribuimus, ſicut ipſe per Prophetam expoſtulat:Si Pater ego ſum vbi honor meus:&ſi Dominus ego ſum,vbi timor meus? Et in alio loco: Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me,erunt ignobiles:& in nouo teſtamẽto vas illud electionis Paulus nos hor tatur,vt Deo offeramus hoſtiam per filium; hoſtiam,inquã, laudis, idq́ue ſemper:operæ pretium me facturum exiſtimo,ſi ab ipſa Religionis noſtræ Liturgia, qua iam ab initio denuntiati Euangelij Deo opt. Max.à maioribus noſtris vbique locorum ſemper & ſanctiſsimè in hæc noſtra vſque tempora lita-

Scripti huius finis.

Cultus Dei Iuſtitiæ ſumma.

Malach.1.

1.Reg 2.

Heb.13.

litatum fuit, exordiar. Et ſi enim innumera propè errorum opinionumúe (nequid grauiùs dicā) hac ætate monſtra exorta ſint; nuſquam tamen confligitur atrociùs, quàm in oppugnanda Liturgia: haud dubia ſpe, ea ſemel expugnata, nullū porrò tam firmum Chriſtianæ Religionis fore præſidiū, quod nó vltrò in regnum cedat Sathanæ. Id quod vnus eorum, qui dudum veritati nunctium remiſerunt, haud obſcurè pre ſe tulit: facite, inquiens, Miſsas miſsas, & videbitis omniū rerū mutationē. Quo verò ad intelligendū & ad iudicandum facilior ſit diſputationis ſeries, qui Anno M.D.LXI. Per Iacobum Andreæ editus extat, libellum, in quo ſuos homines vehementer armare laborauit ad reddendas ex Catechiſmo rationes, cur Liturgię peractioni, quā Miſſam vocamus, amplius intereſſe renuant: præter alios nunc cōfutandum maximè ſuſcepi: Non quod vlla veriſimilitudine ſolerter (vt quidem oportebat) legentium fallendo poſsit imponere mentibus, eoque dignum, in quo confutando aliquid operæ impendatur, exiſtimem: ſed quia inter omnes diuini cultus impugnatores ijs in rebus diuinis, quæ vel ipſam naturā maximè, omnium ſanctorum proclamatione, ſuperent, nemo tàm mendaciter atque impudenter, nemo tàm iòculariter, ne-

Liturgia.

Iacob. Andre.

mo denique tàm ſcurriliter luſerit, eoq́; magis ad vulgi mores corrumpendos ſeſe accómodauerit. Quanquam ne in animum quidem induxiſſem meum, quicquā contra iſtū libellum ſcribere, niſi veluti exultans in rebus peſsimis, hoc ipſe anno 67. eandem cantilenam recinuiſſet, hoc eſt, eundem libellū denuo typis excuſum in lucem emittendū curaſſet. Quid enim admodum in eo laborarem refutando, in quo ipſo Author, non quid ſentiat, ſcribere; ſed pueriliter videtur velitare ac ludere, Imò quaſi anteſignanus atque Coryphæus cohortis alicuius Iulianæ Lucianiſtæúe, ea, quæ alijs crapulandum inter & vomendum per aſotiam exciderunt, vt riſum legētibus moueat, effudiſſe magis, quàm fidem confeſsionemq́ue ſuam ſeriò atq; ex animo protuliſſe cenſeatur? Verùm quacunq; demum occaſione animū ille ad ſcribendū impulerit; de ſumma ſcripti hoc certè conſtat, operam dediſſe in colligendis

Propoſitio ſcripti.

rationibus accuſandi, ac Miſſam faciendi Miſſam. Illud itaq; hac defenſione propoſitum erit, ſigillatim ipſa primùm accuſationis capita falſa conuincere; docere deinde, quæ in controuerſiam rapitur, Liturgiam, firma habere teſtimonia in ſacris literis, in conſentiēte doctrina eorum, qui ex Chriſti mandato Eccleſiā in vniuerſo orbe aliquan

do

do plantarunt, auxerunt, adminiſtrarunt,in omnium itidem piorum perpetuo vſu approbationeq́; fuiſſe,quodq́; nec à voluntate Dei,nec ab inſtitutioneChriſti,nec abApoſtolorum promulgatione, ea, qua in vniuerſali Eccleſia Deo litatur, Miſſa, quicquam aberret:fingere verò,atque calumniam ſtruere, grauiterq́ue aut errare, aut, ſi ſciens faciat, impietatis crimen effugere non poſſe, qui ſecus de ea doceat, tantùm vt vulgi animos dementet, eorundemq́ue ora in omnem Dei blaſphemiam relaxet. Nec quicquam hic mihi tribui appeto: tantùm Lectores moneo, & oro, vt, ſepoſitis partium, quibus hominum ingenia, ex pręclara Iulij Cæſaris ſententia, plerunque laborant, affectibus, iuſta, quam ſibi ſalutiq́; proprię debět, cura ſuſcepta, hęc noſtra legant, & iudicent: nec cuiuſquam odio aut amore, contra conſcientiam, mendacio deprehenſo, conſtringi, nec ab agnita veritate ſeſe patiantur auelli. Res enim eſt, qua de agimus, non parua. *Magnitudo argumenti.* Sine Deo eſſe non poſſumus: Cultus Dei verus nos coniungit cum Deo, & ſeruat in eo, idemq́; falſus ab illo nos ſegregat, longiſsimeq́ue remouet.

Quamobrem timeamus neceſſe eſt à cultu eius deficere, ne ſimul & à Dei conſortio deficiamus, & à vultu iracundiæ illius pereamus

Deut.32. mus. Exempla Iſraëlis ſunt ante oculos. Dereliquiſti, inquit Propheta, Deum factorem tuum, & receſsiſti à Deo ſalutari tuo: Noui recenteſq́; venerunt, quos non coluerint patris tui: Vidit Dominus, & ad iracundiam prouocatus eſt, & ait: Abſcondā faciem meam ab eis.
Baruch.3. Clamat Baruch: Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena. Ac cauſam malorum indicans, Dereliquiſti, inquit, fontem ſapiētiæ. Chriſti ſimul & Apoſtolorum voce horum temporum prædicta ſunt ſcandala, prænunciati ſunt errores, Math.24. &. 2.Pet.3. Monemur, vt vigilemus, vt conſtantes ſimus, vt caueamus. Neceſſe eſt inquit Dominus, vt veniant ſcandala: Væ autē homini illi, per quē
Matt.18.
Matth.10. veniunt. Qui autē perſeuerauerit vſq; in finē, hic ſaluus erit. Apoſtolus morte dignos pronunciat, non qui talia faciunt modò, verùm etiam qui facientibus conſentiunt. Nō nos aut vilitas veritatis, aut ementita falſitatis maieſtas excuſabit à pœna. Neutra enim nūc, qualis re vera eſt, apparet: vt quemadmodum virtus ne nomen quidem ſuum retineret, niſi oppoſitum haberet vitium: ſic in veri perueſtigatione coniunctioneq́; deſiderium excitetur, & coronetur, error autem voluntarius, vel contra conſcientiam admiſſus, & reprimatur, & puniatur. Quę enim

Cur ueritas neglecta iacet, cur mendacium triumphat.

nim laus quodúe præmium veritatem indaganti maneret, ſi, qualis ipſa eſt, ita appareret, & vltrò nolentes volentes in ſui amorem raperet? Ad omnem igitur hominem, qui hæc noſtra legerit, ne quid contra conſcientiam admittat, faciatúe, cũ Sapiente illo clamo: Miſerere animæ tuæ, placens Deo & cõtine & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longè expelle à te. Eccl. 30. Non ſtemus in euẽtu rerum, vel in apparentia externa: neque oculo carnis luſtremus viſa vel audita; ſed cum Moſe intus in tabernaculũ introeamus ad conſulendum Dominum; audiamus diuinum reſponſum: & ſemper recurſum habeamus ad tabernaculum, pro dubijs & quæſtionibus ſoluẽdis. Quia enim Ioſue & filij Iſraël, poſt Moſen, os Domini non interrogauerunt prius: ſed, nimium creduli, dulcibus ſermonibus aures accommodarũt; falſa pietate deluſi, à Gabaonitis etiam leguntur decepti. *Exod. 33.* *Ioſue. 9.*

PRIMVS ARTICVLVS.

Diſtributio operis Lic. And.

ACcuſationis autem capita, quæ contra Miſſæ officium producuntur, vndequaq; corraſa, in vndecim congeſsit ac venũ expoſuit Author Articulos. Horum primus ſermonis genus Latinũ infeſtat. Recitat enim Apoſtoli locum, qui eſt. 1. Corin. 14. Omnia ad ædificationem fiant. Hanc pla-

planam & dilucidam Apoſtoli ſententiam nefaria additione, vafrè, vt multa alia, deprauat atq; corrumpit: Hoc eſt, inquit, quod dicit Apoſtolus: Quicquid Chriſtianum cœtum concernit, quicquid eius cauſa fit, idipſum emendare, hoc eſt, congregationẽ erudire inſtruereque debet: Ea enim Germanica voce vtitur hoc loco, quæ apertè conuincit, eũ de vocali ſeu verbali Doctoris informatione loqui. Hinc, quia ea quæ nec per fidem, nec per rationẽ intelliguntur (eo quidem quo ipſe omnia vult modo) docere nequeunt, concludit, cùm, tale ſit Latinum ſermonis genus, tollẽdum id è Miſſa tanquam inutile & infrugiferum, eſſe. Deinde, ac ſecundo loco, ex eodem capite dicit Apoſtolica authoritate eum inſanire ac furere iudicari, qui in cœtu fidelium loquatur linguis. Hinc ſuos homines armare contendit, vt ſeſe à Liturgia ſeu ſacrificio Eccleſiæ ſubtrahendi, ſub maioris pietatis prętextu, hanc cauſam proferãt: Quum contra Apoſtolum, ignoto plebi ſermone peragatur Miſſa, ideò non poſſe ſe intereſſe illius peractioni, eò quòd ex linguæ imperitia eam non intelligant.

Primus locus Apoſtoli.

Omnia ad ædificationem fiant.

Cùm igitur duo in hoc Articulo ſint, ad quæ reſpondendum nobis eſt, quorum alterum in verò Apoſtoli ſenſu perquirendo,

Diuiſio primi Articuli

quem

quem ipſa etiam verba indicant: Alterum in collectione ſeu argumentatione Authoris confutanda conſiſtat, Primum ad Apoſtoli authoritatem, peruersè nequiterque ab iſto allegatã, deinde ad alia reſpondebo. Et quisdem Apoſtoli authoritatẽ gratis animis pij omnes ſuſcipimus: te quoque Iacobe, cum Paulo loquentem non grauatè, ſuſcepturi: Sed oſtendendum tibi eſt à me, quantũ ab eo & verbis & ſenſu volens aberres; nec quicquam hac in re cum eo commune habeas. Neq; enim ſtatim qui authoritatem cuiuſquam profert, cum eo conſentit: cùm ſæpè, & ex Ciceronis ſententia, totis rerum paraſangis ab eodem diſcrepet: multique, vel aduerſa ſibi pugnantiaq;, vel per imperitiam, vel prauitatem in probationem adferre ſoleant. Quinque ille diuerſa gratiarum dona recenſens: Cũ conuenitis, inquit, vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, interpretationem habet, doctrinam habet, apocalipſin habet, linguam habet, De his quinq; atq; alijs omnibus donis, eorundemque operationibus atque effectis, quæ ex donis iſtis proficiſcuntur, ſubiungit continenter: Omnia ad ędificationem fiant. Linguã habere, ſeu linqua loqui idẽ eſt, quod, eo ſermonis genere loqui, quod à plebe non intelligitur. Id quod ipſe Author quoque vult, Sit igitur quæ-

Abutitur ſcripturæ authoritate Iac. And.

Vera ſententia ſcripti Paulini.

quæſtio: An quiſpiam ad ædificationẽ in Ec cleſia lingua loqui poſsit. Hoc Author magna voce negat: ſed affirmat apoſtolus, Nam cùm in quinq; illis Eccleſię donis, linguã habere, quintũ obtineat locum; & de omnibus velit Apoſtolus, iubeatq́; vt ad ædificationẽ fiant; certè quod de omnibus vult poſſe fieri, de quinto etiã, id eſt, de lingua, poſsibile eſſe, neceſſariò intelligim⁹. Neq; enim (quæ tanti Apoſtoli eſt prudẽtia) aliquid iuberet fieri, quod intelligeret nõ poſſe fieri. Vult, vt qûando pij in vnum conueniunt, qui linguã habet, loquatur lingua ad ædificationẽ: poſsibile igitur eſt fieri quod iubet fieri. Sed qui lingua loquitur, eum, qui linguæ ignarus eſt, non erudit, nõ docet verbo. Quid ergo? An nõ & id ipſum Apoſtolus ſuprà eodem loco innuit? cùm ait: Maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur lingua: niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat: Nihilomnius vult tamen, vt ſi quis lingua loquatur in Eccleſia, ad ædificationem id fiat. Quamobrem, cùm lingua loqui, non erudiat neq; doceat linguę ignarum, vt Apoſtolus atque nos ipſi libẽter cum illo teſtamur: & tamẽ poſsibile ſit lingua loqui ad ædificationẽ, vt idem Apoſtolus iubet, & nos fatemur: neceſſariò ſequitur, non idem eſſe docere (eo quidem, quo tu vis modo, Iacobe)

A toto ad partes argumentatur.

be) quod ædificare,ſed te impudenter alterum pro altero tranſponere, & commutare, atq; contra Apoſtolum ex Apoſtoli ſcriptis nequiter arma induere. Non enim ille cùm dicit: Omnia ad ædificationem fiant: hoc vult, vt omnia, quæ Chriſtianam congregationem ſeu cœtum concernunt eiuſq; cauſa fiunt;eadem voce,eaque intelligibili,perficiantur:ſed tuum hoc figmentum eſt, tam à ratione quàm ab ipſis ſacris literis alienum. Latius ille ædificationis vocẽ extendit, quã tu putes, minimeque ad eam ſolùm doctrinam ſeu inſtructionem & inſtitutionẽ, quæ voce Doctoris fit,contrahit:ſed vult,vt quęcunq; in omni actione fiunt,nõ abijs modò, qui præſunt in Eccleſia,verum etiam ab ipſo qui ſubeſt, populo,omnia eò referãtur,quo aliquid commodi quocunq; modò ad proximos redeat. Qua ſignificatione eadẽ voce alibi etiam vſus eſt,vt Rom. 14. Quæ pacis ſunt,inquit,& ædificationis,ſectemur,alius erga alium.Et Rom.15. Vnuſquiſq; noſtrum proximo placeat in bonum ad ędificationem. Vtroque enim hoc loco vocalis doctrinæ minimè meminit.Nam ſi id eſſet; tolleretur is,quem.1.Corinth 14. tantoperè vrget,ordo in Eccleſia,& poteſtas fieret omnibus docendi in Eccleſia; quia ad omnes ſermo loquitur Apoſtoli: vnuſquiſq; noſtrum ad ædifi-

Ædificare quid Paulo ſignificet.

ad ædificationem proximo placeat. Sed loquitur de cibo & potu, de carne & vino, deq́; bonorum morum exemplo: & voci ædificationis opponit deſtructionem; prohibens, ne quid à nobis non in ſermone tantùm, ſed ne quidem in omni vitæ huius actione, verbo, vel geſtu, factione fiat, quo frater noſter aut impingat, aut offendatur, aut opus Dei deſtruatur. Itaq; cùm nuſquã dicit (ſicut neque fieri poteſt) vt omnia, quæ Eccleſiæ cauſa fiunt, doceant aut erudiant; ſicut nec dicit vt qui lingua loquitur, eo ipſo, quod lingua loquitur, linguæ ignarum doceat: tamen, cũ quis lingua loquitur, id vt ad ædificationem fiat, edicit: nec id edicit tantùm, ſed modum etiam atque ordinem quo ad ædificationem id poſsit fieri, docens oſtendit. Idq́; eodem loco, ex quo tu arma contra Apoſtolum aſſumere conaris: Qui loquitur lingua (inquit) oret, vt interpretetur. Et: Si quis lingua loquitur, ſecundũ duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Et: Itaque, fratres, æmulamini prophetare, & LINGVIS LOQVI NOLITE PROHIBERE. Hæc ſunt verba Apoſtoli; hæc mens eſt Pauli. Huius authoritatem ſuſcipimus; conſtitutum aut promulgatum ab eo in eccleſia ordinem ſeruamus; Et ſicut ipſe iubet, ac vult, ſic nos quoque volumus, optemperantes illius voci,

Ex Paulo impugnans liturgiam eodem repellitur, & inſignis mendacij arguitur.

voci, quando dicit. 1. Corinth. 14: volo, vt omnes loquantur linguis; Et linguis loqui nolite prohibere: volumus & ipſi, vt omnes linguis loquantur: nec vnquam prohibemus, quo minus id fiat.

Confer tu quoq; (licet enim) nobiſcum diuiniſsimi illius miniſterij modum & ordinem (quod ad linguam pertinet) cum Apoſtoli præſcripto, & videbis ſummam conſenſionem inter Apoſtolum præſcribentem, & Eccleſiam ſacris operantem; quam ſępe ego conſiderans, non dubito, quin primi illorum Sacrorum in Germania promulgatores precipuè ad hunc Apoſtoli locũ reſpexerint, quando hunc Liturgiæ modum & ordinem hactenus apud Germanos ſanctè obſeruatũ, primò maioribus noſtris tradiderunt. Agè enim, Primum ſacerdos ad altare ſtans, lingua loquitur. Reprehendis tu? Sed Apoſtolus iubet, &, ne quis probibeat, vetat. Linguis loqui, inquit, nolite prohibere. Secundò loquitur Sacerdos non ſolus lingua, ſed ſæpè cum eo miniſtri, alter & alter, quos Gręci Diaconos & Hypodiaconos dicunt. Diſplicet hoc? Sed Apoſtolus ita diſpoſuit, vt fiat ſecundum duos, aut tres. Tertiò hi tres loquuntur lingua non ſimul, ſed alius poſt alium. Tædet audire? Sed Apoſtolus ita faciendum præſcripſit, per partes, inquit, ſiue, (vt

Liturgiæ ſeu Miſſæ cum Apoſtolo pulchra collatio.

Eraſmus vertit, viciſsim. Quartò demum, vnus aliquis trium duumúe horum, præſertim in maioribus Eccleſijs, ab altari foras ad populum cum volumine legis exit, legitque vel recitat lectionis Euangelij & Epiſtolæ, & quæ antea ignoto plebi ſermone pronuntiauerat, hoc eſt, lingua locutus fuerat, iam omnibus intelligibili voce non verba tantùm enarrat, ſed ſenſum quoq; interpretatur atq; explanat: Quin, quid oret preceturque ad altare ſacerdos, quoúe modo ipſæ orationes & collectæ populiq; petitiones cum recitatis lectionibus, & cum præſentium temporum neceſsitate conueniant, & ſacerdos ex editiore loco in Eccleſia docendo præeundoque oſtendit, & magiſtratus pius in vulgari lingua iuſtis libellis typis excuſis omnibus legendũ expoſuit. Quæſo, quid habes, quod hîc vlla reprehenſione dignum rectè dijudices? Annon magis vtrobiq; vnum eundemq; Spiritum hîc agnoſcis, qui & Apoſtolum ad ſcribendum ſacrorum Leges inſpirauit, & Eccleſiam ad ſequendum operandumq;, quæ ſcripta ſunt, aſpirauit?

Epilogus præcedentiũ. I tamen, & quære, ſicubi ſibijpſi fortè repugnet Apoſtolus; tecumque ſentiens, ſe ipſum oppugnet; & qui hoc loco vult, vt in Eccleſia lingua aliqui loquatur, alibi non velit, quique hîc vetat, ne quis loqui linguis prohibe-

hibeat,tecum idem prohibeat?An id ſublatum tecum volet ab Eccleſia mens ſancta ac ſibi conſtans Apoſtoli, cuius faciendi in ea & celebrandi modum præſcripſit & ordinem? Pudeat te potiùs impotentis furoris tui,cùm eum à te ſtare contédis,qui ex profeſſo contra te pugnat;Pudeat amentiæ,qui vllum pium hominem tibi in tam manifeſto mẽdacio deprehenſo poſt hac aſſenſurũ ſperas. Vult Apoſtolus,vt omnia ad ædificationem fiant;vt omnia voce Doctoris intelligibili populus edoceatur,nuſquã dixit.Et hęc de primo Apoſtoli loco ſint dicta breuiter.

Alius locus Apoſtoli: Si omnes loquantur linguis.

Haud maiore dexteritate Author, cùm alium locum Apoſtoli eodem capite 1.Corinth.14. citat, vtitur. Sic enim ſcribit; Híc docet Apoſtolus; Si vnus aliquis coram totius populi cœtu, linguis, hoc eſt,ignoto ſermone; loqueretur, talem pro inſano ab omnibus iudicandũ.Hæc ille.Sed hoc Paulus nuſquã docet. Non enim ſi vnus aliquis lingua loqueretur,reprehendit,quod antea vt vtiliter atq; ad ędificationem fiat,ordinauit; ſed ſi omnes; Sic enim legimus apud eum; Si ergo, inquit,vniuerſa conueniat Eccleſia in vnum,& omnes linguis loquantur; intrent autem idiotæ aut infideles;nónne dicent,quod inſanitis?Si omnes loquãtur linguis,ait;non autẽ dixit,ſi vnus.Quo loco nó

factum reprehẽdit,(abſit hoc)ſed facti conſuſionem. Neq; enim, quod vni alicui licet, conſentaneum eſt, vt idẽ liceat & omnibus; quantumuis pulchrum, quantumuis honeſtum ſit, quod licet. An enim non pulchrum eſt, regendæ nauis eſſe peritum? finge tamẽ,
Exemplũ. cùm AEneæ olim nauis ſcopulos Syrenum aduecta ſubiret, mille, qui in vna naui eſſent Troianos certatim omnes ac ſimul clauum petendo arripere; nunquid ſuo ipſorũ periculo inſanire omnes diceret AEneas? Si verò vnus Palynurus aut Myſenus Phorbaſúe alius poſt alium regeret, nõ diceret. Vt vnus in regno ſit Rex, qui Leges edicat omnibus, quibus obtemperẽt; honeſtatis ſimul & vtilitatis eſt: vt omnes ſint Reges, omnes edicant, omnes imperent, nemo obtemperet; neque honeſti, neque vtilitatis vllam rationem. Sic etiam in Eccleſia ac credentium cœtu: ſi vniuerſa Eccleſia conueniat, ínquit Apoſtolus, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotę & infideles, nonne dicẽt, quod ínſanitis? Sicut 1. Corint. 12. ſimili ratione ſcribit, ac vult, vt quemadmodum in humano corpore diuerſa diſtincta ſunt membra, nõ autem totum corpus vnum aliquod eſt membrum; ſic ſit & in Eccleſia: Si totum
Simile. corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? At neceſſe eſt, vt ſint in corpo-

corpore oculi, ſit auditus, ſint manus atque pedes; ſine quibus non perfectum corpus, ſed mancum diceretur & monſtrum: vt verò omnia membra vnum ſint membrum, neceſſe non eſt. Itaque Apoſtolus nuſquam vetat, vt in Eccleſia ſit inter alia dona etiã linguarum vſus, nuſquam linguis loqui in Eccleſia prohibet: neque ſi id vnus aut alter faciat, inſanum eum dicit: ſed ſi omnes ſimul loquantur linguis, nemo tacens audiat; omnes qui ſuperuenirent, inſanire iſtos meritò iudicaturos pronunciat.

Neq; tamen ideò ſtatim inſani eſſent omnes, quia dicerentur ab ſuperuenientibus nouitateq́; rei commotis inſanire: ſicut nec Apoſtoli Pentecoſtes die in vnum congregati, cùm varijs linguis loquentes, ebrij iudicarentur, ebrij fuerunt: nequaquam enim hæc Apoſtoli mens eſt; cùm ipſe ſe velle dicat, vt omnes loquantur linguis: ſed docet, quod à paucis per vices commodè fieri poſſit, id ab omnibus ſimul non poſſe; abuſum rei pulcherrimę atque cœleſtis gratiæ doni, non autem ipſam rem donumq́; in vitio eſſe demonſtrans. *Actuum 2. Exemplum.*

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Quamobrem ne Lectorem morer, cominùs tecum agam; itaque te conuenio. Vnum aliquem, qui lingua loquitur inſanum iudicari dixit Apoſtolus, aut non dixit: Si dixit, *Dilemma.*

 id ſe-

id fecit aut expreſsè ijſdem verbis, quibus tu vteris, aut ex alijs eius dictis rectè id, quod tu dicis, licebit colligere; Sed expreſsè ijſdemque verbis tuis (compertum hoc habeo) nuſquam id dixit Apoſtolus; Itaque ex alijs eius verbis id licebit colligere. Sed ex multis eius dictis particulare id, quod tu dicis, niſi ex vniuerſali aliqua ratione, colligere minimè licet, Dixerit ergo vniuerſaliter ille; Omnes qui loquuntur linguis coram Eccleſia, inſaniunt; vt inde, quodlibet, colligas; Vnus aliquis ſacerdos apud Catholicos, dum ſacris operatur, coram Eccleſia loquitur linguis; Ideò inſanit. Quod ſi verum eſt, nec tu potiùs derides hoc tuum ipſius futile putidumque & inane argumentum; vide, quæſo, qua inuidia Apoſtolum oneres. Ipſe dicit 1. Corinth. 14. Volo, vt omnes linquis loquantur; Si

A conſequẽtibus. ergo omnes, qui linguis loquuntur inſaniunt; quid vult bonus Apoſtolus aliud, niſi vt omnes homines inſaniant? quoniam vult, vt omnes loquantur linguis? Quin & in ipſum Deum hæc tua redundat blaſphemia. Linguas enim à Deo datas eſſe in ſignum infidelibus, eodem loco teſtatur Apoſtolus. Itaque ſi qui, deo inſpirante, vt infideles

Cur datæ lin. moueat, (Sic enim exponunt Hieronymus & Ambroſius) & ad fidem conuertat, lingua

gua vel olim loquutus eſt, vel etiamnum loquitur, inſanit; manifeſtum erit, Deum amentiæ huius autorem, eumq́ue mala facere, vt eueniant bona, quod Apoſtolus Romanorum .3. vetat, eosq́ue, qui per eam inſaniam moti, fidem ſuſcipiunt, non iuſta ratione duci, aut diuino inſtinctu trahi, ſed iudicij quadam deprauatione dementari. Quod ſi hoc dicere, in Deum ac in Spiritum Sanctum per Apoſtolum loquentem, blaſphemia, & in homines eſt iniuria tu ipſe conſidera, Iacobe, quàm aut erronea tua hac de re ignorantis ſit opinio, aut quàm fraudulenta Sacræ Scripturæ tua appareat deprauatio.

Certè, vt olim Petrus vndecim collegas ſuos, varijs linguis magnalia Dei ſonantes, ebrietatis ſuſpicione, qua inſimulabantur, vindicabat: ſic eodem ferè tempore, ſe hic noſter Apoſtolus ab inſaniæ defendebat ſuſpicione: Inſanis, Paule, inquit Feſtus, multæ enim te literę ad inſaniā conuertunt: ſed nō inſanio, optime Feſte, reſpondit Paulus, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. Idem ergo hic non dicit: Si quis lingua coram populo loquatur, eundem à quoquam iudicari inſanum: ſed, ſi omnes fideles in vnum conueniant, ſimulq́; omnes varijſq́;, ac ignotis linguis ſonent, alius Hebraica, alius

Act. 2. *Exemplum.*

Act. 26.

Græca, alius Africana, alius Aſiatica; tunc ab infidelibus dici poſſe, quòd inſaniant. Quãobrem quod omnes, ac ſimul, ac tam variè faciunt; hoc in vitio eſſe, & ab Apoſtolo reprehenſione dignum iudicari, manifeſtum eſt. Hoc verò à noſtris fieri nunquam vel vidiſti ipſe, vel à quoquã audiuiſti. Vna enim Latina lingua apud nos ſacris operantes vtuntur, paucis alijs voculis interiectis; Idq́; faciunt non ſimul multi, multò minus omnes, qui interſunt; ſed pauci, ſed duo aut tres, vt Paulus præſcripſit. Itaque ne ex hoc quidem Apoſtoli teſtimonio, quo contra latinum ſermonis genus in ſacro officio rectè te tuoſúe poſsis armare, habes quicquã: plurimũ verò, vnde idipſum nobiſcum collaudes: tuas verò tuorumq́ue nuper admodum inuentas, ſępiuſq́; mutatas Eccleſiarum vſurpationes vehemẽter reprehendas. Nam vbi ille 1. Corinth. 14. palàm his verbis edicit: Mulieres in Eccleſia taceant: Turpe enim eſt mulieri, loqui in Eccleſia. Vbi (quẽadmodum Eraſmus quoque ex veterum commentarijs rectè exponit) prorſus illi ſexui loquendi facultatem Apoſtolus adimit; vos contrà promiſcuo omnis ætatis vulgo, viris ac fœminis, in omnibus cœtibus & cõuentibus veſtris cantilenas ſonare imperatis. An non hîc ipſo facto pugnatis cum Apoſtolo?

Apoſtoli authoritas falſitati non ſuffragatur.

Mulieres in Eccleſia taceant.

ſtolo? cum eo quod decorum & verecundũ eſt? cum antiquitatis exẽplo? Nam ſi Mulieres (inquit Ambroſius de Virginitate libr. 3.) etiam de rebus diuinis iubentur in Eccleſia tacere; de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commmendat pudorem?

Quanquam non hîc noſtri propoſiti eſt, veſtra nunc nudare atque ampliùs pateface re vulnera; tantùm id probare oſtendereq́; volui, non eam eſſe mentẽ Apoſtoli, vt quæ Eccleſiæ cauſa in ſacris conuentibus fiunt, ea omnia, voce, è ſuperiore loco, alios erudire docereq́; debeãt; nec vſpiam eum pronunciare, inſanire vnum aliquem aut alterum, qui lingua loquantur in Eccleſia. Tu verò quum ea ſcripſiſſe illum dicis, quæ non ſcripſit; quis in Apoſtolum, quis in proximos tuos ſis, quos Apoſtolica authoritate ab eo, quod cum Apoſtoli inſtitutione maximè conſentit, ad cuiuſq; pręſcriptum olim in Eccleſia noſtrorum ſacrorum ratio conſtituta, ſemperq́ue religiosè fuit obſeruata, cum magno tuo ipſorumq́; periculo diſiungere diuellereq́; conaris; omnes boni intelligunt. cauſam tuam, non bonam, eo modò facis deteriorem; palamq́; conuinceris, conſiliorum tuorum iuſtas non habere te rationes, quas nõ ſine aperto mendacio potuiſti proponere. *Iniuriam Apoſtolo Paulo facit Andreas.*

Nos verò hoc etiam amplius cenſemus atque pronunciamus; nõ poſſe quemquam ſermonis genus in diuinorum ſacrorũ peractione reprehendere vel defugere, niſi idẽ etiam totius Chriſtianæ Religionis prorſus ignarũ, vel ab ea alienum ſe volet oſtẽdere. Quod ipſum nunc porrò magis palàm faciemus, Neq; enim non intelligimus, quid moliaris, cùm lingua loqui in Eccleſia vetari oportere contendis. Vis enim, nihil remanere in ea, præter vnum interpretandi munus; vt cùm, quæ hactenus in Catholica Eccleſia, pro Chriſti prima inſtitutione magna ex parte, piè ſanctéq; celebrata ſunt miniſteria, inutilia, aut ſaltem non neceſſaria eſſe, tuis perſuaſeris; cætus veſtri, qui ſolo interpretandi munere ſummam Religionis metiuntur, veræ Eccleſiæ, quam non habent, formam tamen præ ſe ferre videantur. Neque enim aliorum Eccleſiaſticorum ordinum officiorúmue noua admiſsione in veſtros cœtus, commiſsuri eſtis, vt vel ad ſummum perfectumque diuinorum ſacrorum cultum perficiendum atque conſummandum, hactenus aliquo caruiſſe; vel iam denuò ad nuper ſtolidè relictam Catholicam Religionem ſenſim reuerti, ac pedetentim accedere videamini. Itaque quicquid communitatem ſeu cœtum concernit

Quo tendat Iaco. And.

& eius,

&eius cauſà ſit; id totum erudire, inquis, debet eundem, ſcilicet voce intelligibili; Contrà, quod eo modo non docet; id neque communitatem concernit, neque eius cauſa ſit; ideoque tollendum ab Eccleſia.

Multa in Eccleſia ſunt publica miniſteria, & non vnum tantū.

Hoc ſanè cùm non ſolùm nulla Apoſtolica authoritate nitatur; verùm etiam contra Apoſtolum directè repugnans ſit dogma; etiam cum Chriſti inſtitutione prima, & cum ſancto venerandæ antiquitatis more belligeratur. Et quidem quod ad Chriſti inſtitutionem attinet; Apoſtolus non vnum aliquod ſolum officium, vt tu putas; ſed certos quoſdam miniſteriorũ ſeu functionum ordines, à Deo in Eccleſia conſtitutos recenſet; qui omnes ab vno quidem omnium bonorum largitore profecti, inter ſeſe valde tamen diuerſi, pro Dei benigniſsima voluntate, totius corporis myſtici, quæ Eccleſia eſt, neceſsitate, vbi, & quando ipſi videretur, & opus eſſet, frequentarentur: De quibus prima Corinth. 12 loquentem audiamus: Diuiſiones gratiarum ſunt, inquit, idem autem ſpiritus: Et diuiſiones miniſtrationum ſunt; idem autem Dominus: Et diuiſiones operationum ſunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem;

Alij quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ, alij ſermo ſcientię, ſecundum eundem ſpiritum; Alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in vno Spiritu; alij operatio virtutum; alij prophetia; alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum; Hęc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis pro vt vult. Sicut enim corpus vnũ eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamẽ corpus ſunt; ita & Chriſtus, & mox; Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa; Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore; num ideò non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore; num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum Auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodq; eorũ in corpore, ſicut voluit. Quòd ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? nunc autẽ multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem dicere oculus manui; opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus; non eſtis mihi neceſſarij. Et poſt pauca; Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia; primùm Apoſtolos ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, ex-

inde gratias curationũ,opitulationes,guber nationes,genera linguarũ, interpretationes ſermonum:Nunquid omnes Apoſtoli?Nunquid omnes Prophetæ?Nũquid omnes Doctores?Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes Linguis loquuntur?Nunquid omnes interpretantur?Hæc ibi.

Quibus omnibus ſanctus Apoſtolus differentias Eccleſiaſticorum munerum eorumdemq́; neceſsitatem tam apertè demonſtrat,vt non dubitandum nobis ſit,ſummam eſſe rerum ſacrarum inſcitiam,ea omnia ad vnum aliquod officium contrahere, quæ Chriſtus tam accuratè tamq́; differenter inſtituit,Apoſtolus tanta diſtinctione ſeparauit,vſus Eccleſiæ perpetuus tam diuerſa eſſe demonſtrauit: Summam verò imperitiam,ea,quæ ſua natura tam ſunt diuerſa,in vnum interpretandi munus velle conijcere. Et quemadmodum hoc loco officia,neceſſitatemque eorum diſtinxit,ita Epheſ.4.fines quoſdam certos, ad quos ſinguli in Eccleſia miniſtri ſe ſuaq́; munia accommodarent,prǽſtituit:Ipſe dedit,inquit Apoſtolus, quoſdam quidem Apoſtolos,quoſdam autem Prophetas,alios verò Euangeliſtas,alios autem paſtores & Doctores. Ad quid tot tamque diuerſa ſimul cum perſonis officia,

Quæ diſtincta ſunt ſubſtantia, nullo modo vnum eſſe poſſunt.

Finis diuerſorum in Eccleſia officiorum.

Paule? Ad conſummationem, inquit, ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti: donec occuramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtu ad circumuentionem erroris. Hæc ille. Fieri autem non poteſt, vt quis hos omnes fines ſolo ſcripturas interpretandi munere aſſequatur. Id enim ſi eſſet, multa Chriſtus inutilia, aut ſaltem non neceſſaria, conſtituiſſe diceretur, quod nefas mihi vel cogitare eſt, nedum dicere. Nec voluit pius Dominus ad breue aliquod tempus hunc in Eccleſia apparere ordinem; Sed vt eſſet, donec omnes occuramus in vnitatem fidei, cæteroſque ab Apoſtolo enumeratos fines conſequuti eſſemus. Quandiu ergo hos fines nondum ſumus adepti, manent in Eccleſia non nuda nomina, ſed & ipſa dona atq; officia.

Sunt in Eccleſia diuerſa officia & ſi non ſemper nec ubiq; conſpicua.

Nec eſt, vt quis hîc obijciat, nuſquam tamen modò apparere illa. Nam & ſi non vbique nec ſemper conſpicua ſint illa officia, ſeu munia, ſeu in Eccleſia δυνάμεις ſunt tamẽ quando, & vbi vult Dominus; & ſatis eſt, ſi vſpiam, & aliquando conſpicua reddantur,

etiamſi

etiamſi non vbique, aut ſemper. Ipſa verò hæc raritas nulla eſt ratio, vt non eſſe credantur. Nam illud eſſe haberiq́ue, quod Chriſtus dat, confiteamur neceſſe eſt. Dedit verò Apoſtolus ſuis poteſtatem eijciendi dæmonia: Neque tamen hac poteſtate vbique; aut ſemper, aut in omnes vti potuerunt; ſic vt ipſi confitentur, Lunaticum illum mutum ſe non potuiſſe eijcere, quem tamen adueniens Chriſtus eiecit. Oberat populi incredulitas, & ieiunij orationiſq́ue intermiſsio. Sic de ipſo Domino idem Euangeliſta alibi teſtatur, quod in patriam veniens, non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi quod paucos infirmos, impoſitis manibus, curauit, miratuſq́ue ſit de incredulitate iſtorum hominum: Dicere tamen, inutilem hic aut non neceſſariam fuiſſe virtutis illius operationem, quis audeat? Certè quod de Prophetico chariſmate Apoſtolum voluiſſe olim teſtatus eſt Miltiades; idē de reliquis donis atq; officijs rectè intelligimus omnibus. De illo verò teſtatus ille eſt, oportere illud in Eccleſia eſſe vſq; ad ſupremū Chriſti aduentū. Neq; verò abs re eſt, quod Paulus Eccleſiam humano cōparauit corpori, in quo omniū membrorū diſtinctio perpetuò neceſſaria eſt atq; operatio. Vult autē, totū hoc corpus, ita comp actū, & cōnexum, per omnem iunctu-

Marc. 9.

Marc. 6.

Neceſſaria Eccleſiæ ſunt diuerſa officia.

Euſeb. lib. 5. cap. 17 Niceph. lib. 4. cap. 24.

Epheſ. 4.

iuncturam adminiſtationis permanere vſque in aduentum Chriſti, quando ipſe caput, omnia erit in omnibus. Quodſi corpus eo vſque manet, manebit & membrorum diſtinctio: ſicut idẽ Apoſtolus dicit, quia ſi omnia membra vnum membrũ vbi corpus?

Conceſsio. Concedamus tibi tamen, Iacobe, (quoniam Eccleſiam Chriſti corpus eſſe negare nõ potes) vt ſis tu vel oculus, qui ſuperintendas, aut ſi mauis, os, qui interpreteris imo χρυσόστομος, dic reliquis tuis membris, tuis collegis, & ſynergis; non eſtis mihi neceſſarij, nõ indigeo opera veſtra; quicquid enim communitatem concerint, & eius cauſa fit, (vt tu dicis) erudire & inſtruere debet; quoniam in doctrina verbi & Euãgelij (qua ego præſto) myſteria regni Dei & gratia diſpenſantur abundè; An non tacentibus reliquis membris, Apoſtoli authoritas tuam arguit amentiam? affirmantis, non poſſe id vnum aliquod membrum dicere ad reliqua. Dicas tamen, quoniam nihil non audes, & habeas, qui te ſequantur; ſe verò ipſos perſequantur, & ad vocis tuę ſtrepitũ ſub ſcabello pedum tuorum, tanquam ad terminum vocationis ſuæ, acquieſcant; quid tandem fiet? Te ſuaſore, ſupremum Dei cultum, & quem proximo debeant, officioſum illum amo-

1. Tim. 3. rem, in ſolo verbi Dei auditu ponent deſides,

des, &, ſecundum Apoſtolum, ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiam veritatis peruenient. Non audebunt aſſurgere, & Apoſtolum admonentem, vt ſui ſint imitatores, ſequi: nihil virtutes, nihil gratia curationũ, nihil opitulationes, nihil gubernationes, nihil linguarum genera, & alia, quę tamen Eccleſiæ data Apoſtolus teſtatur, valebũt: quia ſufficit interpretatio ad omnia. Erunt fines media, & contrà, media fines; ne cum Chriſto & Apoſtolo tantùm, ſed & cum ratione ipſa videaris contendere. *A conſequẽtibus.*

Secus verò Chriſtus Eccleſiam ſuam docuit: Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis, vt quodcunq; petieritis patrẽ in nomine meo, det vobis, vult enim, vt quę ex Euangelij auditione & perceptione didicimus, opere adimpleamus, fructũ afferamus, patremq́ue oremus ſuo nomine. Ab hoc ergo ſic edocta Eccleſia, finem vocationis ſuæ non tam verbi auſcultationem atque cognitionẽ (quę in paucis conſiſtit) ſed quàm maximè operationem conſtituit. Audita enim Euangelij doctrina, ad Liturgiam ſe accingit; & miniſterium perficiens, communem patrem pro communi totius Eccleſiæ neceſſitate, eo, qui Deo propriè debetur, cultu, precatur, An nõn totum populum cœtum q́ue Chriſtianum concernit, eiuſq́ue cauſa

Ioan 15: Chriſti doctrina præponenda Sectariorum placitis.

ſit, quod Sacerdos in diuiniſsimo illo myſterio, ad aram Deo patre, per fratrem noſtrum, patriſq; filium Chriſtum in hunc modum tantoperè peragit atq; pertractat? Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, inquit Apoſtolus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Eſt enim hoc peculiare Pontificis munus, vt offerat pro populo. Non nunc quęro quid offerat? ſed hoc magis, quoniam vos id ſolū recipitis, quod in ſacris literis eſt expreſſum, quamquam & hoc ſanè, ſi non Sanctorum Patrum interpretationes nefariè, impieq; reijceretis; an vſpiam ſacris literis imperatum ſit, vt ipſa offerendi actio voce doceat populum; An apud Deum plus pro populo valeat, ſi ita doceat: voce, dico, vulgari; minùs, ſi non doceat? Sed ſacræ literæ per exempla demonſtrant, Pontificū ad Deum, pro populo peractiones ſæpe, neque audiente, neque intelligente, imò nec præſente populo ad populum pertinuiſſe; eiuſque cauſa factas, ab omnibus eundem pręſeruaſſe & eruiſſe malis atque periculis. Moſes, relicto ſub ſe in deſerto populo, montem aſcendit; illo abſente, cùm populus, ad idolatriam defeciſſet, vitulumque, quem impio auſu ex omni æris maſſa conflatum, adoraſſet, eamque ob

Heb 5.

Pontificis officium.

Pontificis oratio ad Deum pro populo prodeſt, etiamſi non intelligatur à populo.

Exod. 32.

Moſes pro populo utilia precatus eſt, populo nec audiente, nec intelligente.

cauſam

cauſam tam grauiter Dominum offendiſſet, vt delere iſtam gentem, penituſque excindere ex omni hominum memoria conſtituiſſet: haud ſanè quiſquam, qui de hoc ſcelere Dominum deprecaretur, toto in populo repertus fuit. Abſens itaque Propheta à populo, præſens cum Deo, peccati veniam pro abſente populo precatur; vt tandem quieſceret ira Domini, & placabilis fieret ſuper nequitia gentis illius nefariæ; recordareturq́; Abraham, Iſaac, & Iſraël, ſeruorum ſuorum. Et placatus eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduerſus populũ ſuum. In hoc exemplo ſancti viri oratio ad populum pertinuit, eiuſque cauſa facta fuit: neq; tamen erudijt aut docuit. Itaque non omne id, quod communitatem concernit, eiuſq́; cauſa fit, eandem docere debet voce: ſed aliquid eſt, quod communitatem concernit, eiuſque cauſa fit, quod eandem tamen nec docet verbis, nec erudit: commodat tamen in rebus maximis, & plurimis bonis afficit, à maliſque præſeruat. Niſi enim Moſes precatus fuiſſet; ad vnum omnes fortè vna diè perijſſent.

An, ad huius exempli imitationem, forte præter officium ſuum fecerit, ſi, cui ſuarum ſalus curæ ſit ouium, qui verè Epiſcopum agere volet; aut, vt Aaron, ſtans inter mor- *Adaptatio.* *Num. 16.*

tuos & viuos, aut, vt Moſes, ſolus coram Domino intùs in pauimento tabernaculi poſtratus, vel dudũ meritas pœnas à populi ceruicibus deprecatus fuerit; vel placato numine, boni quippiã obtinuerit, populo verba etiã non audiente, vel non intelligente: ideoq́; nec vllam doctrinã, quę ore fiat, percipiẽte?

Quid, ſi per menſem integrum, aut etiam *Alluſio.* annum, (vt nunc ſunt hominum mores) vel *Luc.14.* rari, vel nulli, religionis cauſa, in vnum conueniant; *Matth. 20* vxoribus ducendis, villis coëmendis, bobuſúe probandis occupati: vel in foro otioſi; ideóne ab officio ſuo feriabitur Pontifex? ceſſabit nouæ legis ſacerdos? & *Dan.8,* quod à quotidiana frequẽtatione iuge prædictum fuit ſacrificium, deficiet ante Antichriſtum? Ipſe Dominus IESVS, in diebus *Dominus Ieſus pro nobis orauit utilia, nobis neque audientibus, neque intelligentibus.* carnis ſuę, & ad crucis appoſitus aram, ſacerdos ipſe ſimul & victima (cuius quantũli cet in Liturgia Sacerdos perſonam refert) precibus ſupplicationibuſque, cum valido clamore, ſuam noſtramque cauſam apud patrem egit, & pro ſua reuerentia exauditus eſt: vt nemo queat dicere, non eam actionẽ paſsionemque ad nos pertinuiſſe, aut non noſtri cauſa factam: Quotus tamẽ noſtrum verba audiuit? quis intellexit? cùm etiam, qui coràm adeſſent, & audirẽt, vocis dece- *Matth.27.* pti ſimilitudine, Eliam vocare dicerẽt eum, qui

qui Deum inuocabat? Quemadmodum autem olim ante mille trecentos annos, cùm Chriſtianos orientē verſus preces ſuas fundere, ac ſolis diem (qui nunc Dominicus) lętum ac feſtum agere cernerent Gentes, ſolem eos adorare dicebant: Vel, quomodo nefarius quidam, ad beſtias damnandus homo, cum crucifixi imaginem à noſtris eodē tempore venerari cognoſceret; pictura ridicula, ononychiten, id eſt auribus aſininis altero pede vngulato, & librum geſtante, Romæ in forum producta, eum Deum eſſe, quē Chriſtiani colerent, mentiri auſus fuit; quum tamen noſtri nihil horum facerent, ſed cultum Deo gratum & proprium precādo litandoq́; perſoluerēt, ac vniuerſo mundo Numen iratum placarent; Ita nunc etiam fieri poteſt, & fit fortaſſe ſæpenumerò, vt ſtans ad altare Sacerdos Catholicus, à ſuperuenientibus non Catholicis veſtris, malè dicatur Petro, vel Magdalenæ, aut alijs Sanctis, non Deo litare, cùm vni ille ac ſoli Deo licet, horum verò memorias celebret: Nunquid ideo minus grata Deo eſt ipſius litatio, aut minus obtinebit Sacerdos, quod pro ſe, pro populo, pro vniuerſo Mundo poſtulat, quia de peractione eius vel malè intelligitis vos, vel prauè iudicatis? Minimè. Vt ergo veſtra prauè ſentiens opinio litan-

Hiſtoria ueterū ad hanc Quaſi pertinentia, Tertull in Apologetico.

Idem ibidem.

Applicatio

tis effectum non remoratur; ita nec Catho-
Quiſque ſibi conſcius. licæ plebeculæ ignorantia. Nota eſt ſui cuique fundi calamitas;& ſufficit, ſi ſciat,ſacerdotem vel ſua ſponte, vel rogatum,in tremendis illis noſtræ ſalutis myſterijs Deo ſupplicare, vt mitiget pœnas commeritas, largiatur patientiæ affectum,& bona animæ corporiſque concedet.

Paruuli non intelligentes quid in Eccleſia dicatur tamē intereſſe iubentur. Neque ideo tamen à publica litatione abeſſe velit Chriſtianus populus,ſi non,quæ ad aram per ſacerdotem dicuntur, intelligit. Nam neque paruuli, neq; ſugentes vbera precantis verba percipiunt; quorum tamen præſentia diuinis literis neceſſaria deſcribitur,vbi pro omniū peccatis iuſto Deo ſupplicatur. Iratus erat Dominus ſuper ciuitatem
Ioël. 2. Niniuen,& quidē vehementer iratus, & iam hominum illorū ceruici incumbebat pœna. Sed quid ad hæc Ioël? quem placandi numinis deſcribit modum & ordinem? Conuertimini, inquit,ad Dominum, quis ſcit, ſi conuertatur,& ignoſcat? Sacrificium & libamen Domino Deo noſtro: Canite tuba in Sion,ſanctificate ieiunium, vocate cœtum,congregate populum,ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes,congregate paruulos, & ſugentes vbera: Egrediatur ſponſus de cubili ſuo,& ſponſa de thalamo ſuo: Inter veſtibulum & altare plorent ſacerdotes,

dotes,miniſtri Domini,& dicant:Parce Domine,parce populo tuo. Vides in hoc exemplo,quòd non excuſat paruulos inſcitia,nec vbera ſugentes infantia?Pudeat ergo ſenem peccantem, ſi ſe ab eo cœtu ſubtraxerit,ad quē etiam tanti prophetæ authoritas inuitat innocentem infantem. Zacharias Sacerdos Domini iuſtus,& in omnibus Dei mandatis incedēs, ſecundū conſuetudinē Sacerdotij ingreſſus eſt in templum Domini, facturus rem ſacram pro populo. Omnis autem multitudo populi erat orans foris, hora incenſi, & expectantes Zachariam mirabantur,quid tam diu tardaret in templo;tandem verò cū egreſſus eſſet, ꝙ viſionē intus in templo vidiſſet,cognouerūt.In hac populi om̄i multitudine paruulos interfuiſſe quis neget?Omnis multitudo,diuino mādato,ſacris conuētibus intereſt:Stāt omnes foris ante templū, quid intus Sacerdos diceret,faceréty e,ignorātes,idq; incenſi hora : niſi quod pro populo, pro om̄i ſtatu hominū Deo ſupplicare,& thymiama incēdere,cōſtabat. Neq; tamē dicere potes ſacerdotis peractionē nō pertinuiſſe ad populū.quoniā quod foris pro ſe populus orauit,quòd ſacerdotē tardantē expectauit, quòd quid intus illi accidiſſet,admiratus eſt;populo cū ſacerdote cōmunē ſacrificij cauſam fuiſſe demōſtrat. Si ergo popul*

Luc.1.

Zacharias orat pro populo non audiente nec vidente tamē præſente & orante.

iſte

iſte foris exſpectans, quid intus ſacerdos cũ Deo pertractaret, colloqueretur q́; non audiuit; ſanè neq; intellexit: Si non intellexit, Ergo nec quicquam indè eruditionis vel inſtructionis percepit: Et tamen ad populum, quod faciebat dicebatq́;, pertinuſſe, omnes circunſtantiæ declarant. Quamobrem non habes vllam, Iacobe, cauſam, vt te ob inſcitiam earum rerum, quæ ſacerdos facit aut loquitur, dum publicè ſacris operatur, ſubtrahas: Habes autem, vt hoc tuum dogma corrigas, permagnam; quia & ſacræ literæ tibi vehementer aduerſantur, aut tu potiùs illis: cùm tu neceſsarium ducis, vt quicquid Eccleſiam concernit, & eius cauſa ſit, eandem etiam erudiat atque doceat: Illæ verò contrà, per exempla nos edoceant, nullam ea in re eſſe neceſsitatem; cùm præcipuos cultus diuinorum ſacrorũ ita inſtitutos peractoſque fuiſſe demonſtrant, vt profuerint quidem populo in maximis rebus plurimũ, ſed verbo aut voce percipi ab omnibus nequiuerint, nedum omnes erudierint docuerint úe eo præſertim, quo tu vis, modo.

Ad Chriſti, Prophetarumq́ exempla Sectariorum corrigenda dicta.

Et ſi autem veteris legis ceremoniæ, Euangelicæ non præſcribant veritati; quo minus tamen antiquiſsimi illi, poſt Chriſtum, Miſſæ promulgatores ad illum, quem ipſe Deus inſtituit, conuentuum celebrando

Ad legis veteris normam accomodanda noua Legis inſtituta.

rum

rum morem reſpexiſſe, & ad illum accommodaſſe ſe credantur, nulla vetat ratio: maximè, cùm Apoſtolus, quando multa illius legis inſtituta, ne Chriſtiani imitaremur, reiecit: nuſquam tamẽ, quę noſtra Religio in modo & forma ab illa quaſi mutuata videtur, prohibuit. De quibus etiam illud Chriſti dictum poteſt intelligi, affirmantis, ſe nõ veniſſe, vt ſoluat legem, aut Prophetas, ſed vt adimpleat. Quamobrem ſi oſtendero, ea, quæ tu in *Miſſa* reprehendis, eius generis eſſe, vt rectè ab illa lege mutuata credantur; tum ſimul etiam demonſtratum erit, te, non hominis, ſed Dei ac Chriſti ordinationi reſiſtere. Neque tamen omnia eius generis exempla hîc in medium adferre operæ pretium arbitror; duobus tantùm contenti, ſimul ad noſtrum inſtitutũ confirmandum, & ad tuas nugas refellẽdas ſatis accommodis. *Gal.3. Act.15. Mat.5.*

Primùm enim in veteri lege populum in ſolennibus atque Eccleſiaſticis conuẽtibus tanta loci intercapedine à ſacerdotibus ac Pontifice ſegregatum fuiſſe, vt etiam ſi omnibus prorſus intelligibili lingua loquutus fuiſſet ad aram ſacerdos, nõ tamen à populo percipi potuiſſet, manifeſtũ eſt. Nam etſi multis in locis ante ædificatum illud magnificum templum, tentoria ſeu tabernacula diuinis operibus erexerit Moſes, vt in Gal- *Veteris Legis Sacerdos ſacris operãs à populo non potuit intelligi. Exod.26. & 27.*

gata, In Silo, in Nobe, in Gabaon, in Gabaa; nuſquam tamẽ ea amplitudo eorum deſcribitur, quæ populo capiundo ſufficeret: tum etiam ea ipſa, quæ erecta erant, in duas ſtationes per velum ita ſeiuncta fuêre, vt minor pars, quæ ſanctum ſanctorum dicebatur, ſummo tantum Pontifici, idq; ſemel ſolummodò in anno, pateret; altera, quę duplo amplior erat, Pontificis, ſacerdotum, Cantorũ, & miniſtrorum eorum, quorum operę in ſacrificijs iudicabantur neceſsariæ, quotidiana ſtatio erat. Populus ſanè in neutra ſtationẽ habebat, ſed per gyrum circũfuſus ſacris intererat. Sicut & Zacharia incenſum offerente, non in templo, ſed extrà, ſtetiſſe populum deſcribitur. Quin in prima ipſius templi dedicatione, qua nulla in eo populo vnquam maior fuit ſolennitas idipſum licet animaduertere, vbi ſacerdotes & rex introgreſsi egreſsique referuntur, Et Apoſtolus ad Hebræos ſcribens idem affirmat. Quin hodiè etiam reliquię illius populi, ſicubi religionis ergò cõueniunt, ſeparatim viri atq; mulieres conſiſtunt, nimirùm cùm ſacerdotes nullos ipſi habeant, viris ſacerdotum, & fœminis virorum ſtationem capientibus. Hunc gentis morem maiores noſtri imitati, vniuerſum fidelium cœtum atque multitudinem in certas ac cuique conuenientes claſſes

Ioſephus antiquitatum.

Num. 16.
Luc. 1.

3. Reg. 8.
Heb. 9.

Antiquus Veterũ mos in Eccleſia de ſingulorũ ſtatione.

claſſes ita diſtribuerunt, vt Pontifex cũ ſacerdotibus in anteriore orientẽ verſus, ac, aliquot ſepę gradus eminentiore templi parte quã Chorũ vocamus, conſiſtentes, ſacrũ munus ſuum perficiant: populus verò reliquum loci, ꝙ corpus dicimus, poſsideat; nec id indifferenter tamen, ſed ſuo quiſq; ordine. Nã in Romana Eccleſia (id ꝙ ex Liturgia illius conſtat) etiam principibus & ſenatoribus cum ſuis matribus familias, extra chorum, ac ſacerdotũ ſtationem, certus quidam locus deſtinatus fuit, qui Senatorium dictus erat. Id ꝙ etiam vulgata illa inter Ambroſium Epiſcopum & Theodoſiũ Imp. hiſtoria oſtendit. Nam cũ, ex more, ille munus ad altare detuliſſet; rediens conſtitit intra cancellos. Id videns Ambroſius, per Diaconũ percontatur, cur ibi moraretur: Reſpondẽti, vt videã peragi myſteria, ſicut Imperatoribus Conſtantinopoli mos eſt; rurſum miſſo Diacono renũciauit, vt agnoſceret ſuũ locũ: nã eũ, in quo cõſiſteret, eſſe Sacerdotibus deſignatũ: purpura, inquit, Imperatorẽ facit, ſacerdotẽ nequaquã. Sed & in populo ab ijs, qui ſacris myſterijs & aſpiciẽdis & percipiendis digni habeãtur, alius locus catechumenis, alius Energumenis, alius etiã pænitẽtibꝰ diſpoſitus fuit: qui tamen non ſemper intra tẽpli fores admittębantur, ſed ſępe, maximè

Caſſander in Liturgicis cap 22.
Niceph. lib. 12. cap. 41.
De hoc more Conſtantinopolitano, quẽ Teodoſius hic allegat, ſextæ vniuerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ in Trullo celebratæ canon. 69. ſic habet: Nulli õnium qui ſit in Laicorum numero, liceat intra ſacrum altare ingredi: Ab eo tamen nequaquã prohibita poteſtate & autoritate regia, quando quidem voluerit creatori dona adferre, ex antiquiſſima traditione.

ſacrificij tempore, & cùm digni communicabant, ab introitu arcebantur.

De qua re, ne noua ſomniare magis, quàm vera ſcribere videamur, Dionyſij Areopagitæ, Gallorum primi Apoſtoli, qui Christi, & Apoſtolorum temporibus vixit, luculentiſsimum teſtimonium audiamus. Pontifex, inquit, perfecto quidem precum ſacro, ad Dei altare, cùm ab eo incendendi odores initium fecit, ſacrum obit locum. Reuerſus autem ad Diuinam aram, ſacros Pſalmos canere incipit, canuntque cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines. Deinceps à miniſtris ſanctorum librorum lectio recitatur, Ea recitata, extra templi ambitum collocantur catechumeni, & vna cum eis Energumeni, atque ij, quos ſuperioris vitæ pœnitet: manent autem ij, qui diuinarum rerum & aſpectu digni ſunt, & cõmunionis. Miniſtrorũ verò alij ſtant pro templi foribus, quæ occluſę ſunt: alij autẽ aliquid aliud eorum, quę illorum ordinem attingunt, perficiunt. Hæc ille, Ipſi verò fideles etſi in templo manendi facultatem haberent, tamen & ipſi ad altare intra cancellos non admittebantur, ſed ianuis cancellorũ, quæ etiam magnum oſtium dicebantur & tempore conſecrationis clauſæ erant, diuidebantur. Nam de mulieribus quidem Laodicen. Synodi, Canon. 44.

Eccleſiæ hierarch cap. de communione.

Ex Miſſa chryſoſtomi.

Sic

Sic habet. Non oportet mulieres ingredi ad altare. Quem poſtea Turonen. Synodi canon 4. latiùs ad omnes laicos explicat his verbis: Laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quàm ad Miſſas, ſtare penitùs non præſumant; ſed pars illa, quæ à cancellis verſus altare diuiditur, choris tantum pſallentiũ pateat clericorum, Ad communicandum & orandum laicis & fœminis (ſicut mos eſt) pateant ſancta ſanctorum. Et quidem Laodicenſis ſynodus Anno. Do. 371. Turonen. verò hæc ſecunda Anno 553. celebrata fuit.

Hæ verò ianuæ poſt conſecrationem rurſum aperiebantur, vt fideles per eas Euchariſtiam & ſanguinem, quæ Sacerdos intuenda oſtendebat, poſſent aſpicere, & miniſtri à Pontifice ad populum exire, illorum oblationes ſuſcipere, & ſanctum viciſsim panem offerre, ſeu porrigere, demum ad pontificem à populo reuerti. His ianuis proximum erat, cuius iam meminimus, Senatorium, in quo qui erant, primò; his proximi, ſecundò, deinde ordine alij per manus aut Sacerdotum aut myniſtrorũ communicabant. Qui mos etiam in regni Præſte Ioannis longo poſtea tempore obſeruatus fuit.

Ex liturgia Græca Romæ impreſſa & ab Herueto conuerſa.

Ex liturgia pr. ſ. Io.

Ante has ianuas proſtrati Sacerdotes, priuſquam Pontifex veniret in templum, orabant:

Ex Liturg. Baſilij.

bant; Eratque eo loci altare, non illud pontificis, ſed populi, in quo non fiebat conſecratio, aut ſacrificium; ſed oblatio populi, & oblatarum rerũ per Pontificem benedictio. Vnde, apud Dionyſium, poſt benedictionẽ hanc reuerti ad ſuum locum, hoc eſt, ad altare, Pontifex deſcribitur. Supra verò has ianuas ſiue oſtia, ambo erat, in cuius media parte miniſtri Epiſtolam clara voce populo recitabant; in ſuperiore verò parte alij miniſtri Euangelium legebant populo; vbi etiã pontificis ſedes ſeu thronus erat in quo ſedens, ſi vellet, populo, quæ per miniſtros recitata ſiue lecta erant, interpretabatur. Idque vel ante vel poſt conſecrationem. Et quidem ſi ante conſecrationem fierent interpretationes illæ, antemiſsalia, & Miſsa Catechumenorum dicebantur; Si interpretationes non ſequebantur conſecratio aut communio (vt ſæpè in perſecutionibus, irruentibus percuſſoribus, factum reor) Miſſa nautica vel ſicca dicebatur. Qua ſignificatione Rabanus, ſiue ille Iſidorus, hanc partem Miſſæ ſeiungit à ſacrificio. Cæterùm quod in magnis atque operoſis templis hæ ianuę, ſeu oſtium magnum, ſeu porta principalis erant, hoc in minoribus erant cortinæ, quarum vnius atque alterius in Liturgia præſte Ioannis fit mentio.

Ambo onis.

Antemiſſalia.

Thom. Vualden. lib. 6. titulo 4. cap. 35.

Guilh. Durt. lib. 4. cap. 1.

Miſſa nautica.

Hæc

Hæc omnia,vt vera atq; indubitata ſunt, ita de primis Chriſtianorum ſacrorum promulgatoribus apertè teſtantur,ad illum morem conuentuum conuocandorum celebrandorumque, quem Deus ipſe in priore lege inſtituit,quo nemo meliorem excogitauerit,reſpexiſſe. Neque id in oriente ſolũ, aut alijs verſus orientem terris,verùm etiã in Germania noſtra. Id quod adeò apertum eſt, vt res demonſtratione alia non egeat, niſi vt lectorem ad aſpicienda admiranda patriæ noſtræ tam magnifica ac plena maieſtatis templa remittam. Nunquid non ipſæ ſtructuræ clamant, nunquam in Germania ſermone vulgari litatũ fuiſſe?neque in hunc finem templa maiores ea forma noſtros condidiſſe?neque nunc,ſi quis maximè velit,id in iſs ſatis commodè fieri poſſe? oportere autem,vt qui omnia, quæ ad aram ſacerdos orat & loquitur, à plebe velit intelligi,alia templa,& potiùs roſtra, aut cœnaculis haud abſimilia loca extruat & ędificet? Agè enim, loquatur, imò clamet aliquis in maiori aliquo templo,ad Chori aram,ea lingua,quam vulgus quã maximè norit;quotus verò quiſquam eorum qui intus ſunt,etiam in medio, quid loquatur, quidúe clamet, intelliget? Sed in ambone doctrinæ locus eſt, inquis. Rectè: verùm ad quid altare, niſi

Structura Eccleſiarũ per Germaniam ſchiſmaticos coargunt.

vt in

vt in eo ſacrificetur? Tollatur inquis. Scio iam multa paſsim ſublata. Sed ea demoliri à vobis prudentes iudicant, non, vt Eccleſia reformetur: ſed vt vnà cum Eccleſia peſſum eat & Religio; & ne vllum ſuperſit antiquitatis monumemtum; quod cùm diſimile ſit à veſtris opinionibus, & moribus; antiquitatem quidem ipſam commendet, veſtram autem amentiam (ne dicam ſacrilegia) coarguat.

Cur Schiſmatici templa araſq; demoliri cupiant.

Tempus Religionis noſtræ ſanctæ in Germania.

Iam octingentis & ampliùs annis Germani Chriſtiani ſumus, Antiquos maiorum noſtrorum mores, religionem, pietatem, omnes boni atque intelligentes laudant, & his noſtris moribus longè præferunt: An non ſatis vobis eſt ad ſummam amentiam, quin cum hactenus in mente religionem & pietatem cum impietate, veritatem cum falſitate & mendacio, per apoſtaſiam, commutauiſtis, manus ſacrilegijs contaminaſtis; nunc etiam in aras, in templa, in lapides, cæteraq; omnia, nulli etiam vſui vobis futura, deſæuiendum eſſe cenſeatis? Si quæ Sacerdos in ara pertractat, populum intelligere neceſſum eſſet; cùm tam multa bona maioribus noſtris primis Germaniæ fidelibus primi Apoſtoli noſtri, ſacrorumq; diſpenſatores ac promulgatores abundè communicauerint, hac ſola in re minimè defuiſſent: nec, qui

A primorũ Euangelij in Germania promulgatorum beneficentia.

qui inde poſt eos ſequuti ſunt, tam neceſſaria re tam diu noſtros parentes carere paſsi fuiſſent: Et principes magiſtratuſque noſtri aliam formam ſacrarum ædium conſtituiſſent, alia ornamenta maiorum noſtrorum pietas in templa intuliſſet: quod quia non fecerunt, tuum nouitatis ſtudium in vitio eſſe, etiam ex templorum monumentis arguimus, & reprehenſione dignum ducimus.

Sed veniamus ad alterum illud: quod ipſum etiam per primos noſtrorum ſacrorum promulgatores à prioris legis more mutuatum, apud nos itidem in conſuetudinem abijt. Nam & in eo tuorum, Iacobe, conſiliorum reprehenſio conſiſtit non parua. Cùm enim reuera neceſſarium id potiſsimũ ducimus, ſine quo fieri nequit quod efficere volumus: ſi in nouo Teſtamento litatio populo vtilis, niſi in populi lingua, perfici nequit; ne veteris quidem legis tot ſacrificia pro populi commodis ſuſcepta quicquam profuerunt. Sed profuerunt tamen ad multa, vt Paulus ad Hebræos ſcribens teſtatur, & Auguſtinus ediſserit: In populi tamẽ vulgari lingua, vt ab illis exaudirentur, perfecta fuiſſe, nuſquam in ſacris literis expreſſum legimus: Imò vix vlla verborum forma, qua ſacrificia illa ſint perfecta, extat: Et quæ hodiè ſuperſunt, illius gentis reliquiæ eius lin-

Quid ſit neceſſarium.

Heb. 9.

A lingua ſacrorum veteris Teſtamenti.

guę, quę non niſi docente magiſtro, à quoquam facilè poſsit addiſci; conceptis verbis ſacrificia olim ſua perfecta fuiſſe, & apud paucißimos fortè etiamnùm aſſeruari, teſtantur. Nam & à Moſe legislatore, ſacrorumq; promulgatore, nulli pręter 24. libri, apud Iudæos, vſque ad Ezdrę tempora extitere; et ipſe legislator, ad Babylonicam vſque captiuitatem Religionis huius ſecretiora quęque non ſcripto, ſed lingua, per alios Prophetas atque ſapientes commendanda cenſuit. Poſtea verò cùm Ezra legem de integro reſtitueret, ſapientes alij, qui cum eo erant, myſteria, quæ eò vſque à doctiorum ore hauſerũt, primùm literis committenda, & in Synagoga inter doctiores tantùm tradenda, vtile eſſe cenſuerunt. Ex qua ſchola multi legiſperiti & prudentes viri poſtea prodiêre, quales etiam Chriſti temporibus extitêre Nicodemus, Gamaliel, & (qui in illo catalogo nouiſsimus ſcribitur) Symeon ille iuſtus, Ioſephus, & alij; quorum diſcipulum ſe profiteri non dedignatur Apoſtolus. De quorum claſsicis prędeceſſoribus etiam Iheſus Syrach in eo, quem Eccleſiaſtico ſuo pręfixit, prologo, poteſt intelligi; vbi Iſraëlé laude dignum çenſet, ſapientię atq; doctrinæ cauſa, eorum, qui ea facultate inſigniter præ cęteris excelluêre. Quamobrem non omnes

Libri ſacri Hebræorum Galatin. lib. 1. cap. 1.

Lex reſti-tuta.

Actor. 22.

In prolog. Eccleſi.

omnes,qui ex Hebræis nati erant, illius linguæ periti fuerunt. Id quod palàm facit Legis per Septuaginta interpretes apud Ptolomæum AEgypti Regem tam magno comparata & quaſi coëmpta tranſlatio. Vbi etiam Eleazarus Pontifex, à quo id Rex poſtulauerit, apertè teſtatur, ſe, cùm in Græcam, tanquam alienam linguam, legem transferendam curet, Regi gratificaturus, præter ſuam id facere ſententiam,& velut approbationem. Quamobrem etiam cùm apud paucos illius legis contineretur ſcientia, nunquam (vt ſacroſancta) profano ore tractanda, vel vllus poëta vel hiſtoricus mentionē eius facit: vt apud Ioſephū eodem loco refert Hecatæus Abderita. Nam & Theopompum & Theodotum poëtas, quod de ſacris illius legis voluminib9 in ſuis ſcriptis quædā conati eſſent inſerere, vtrumq; cæleſti numine punitū eſſe teſtatur Demetrius. An verò non Phariſæorum vox quoque illa; plebs maledicta non nouit legem: de plebis ignorantia quadam, vt arbitror, prorſus excuſabili, nos admonet? Sit enim volumen populo legis nonnunquam prælectum, vt à Moſe Exodi. 24. capite & ab Ezdra. 2. Ezdræ. 8. tamen neque tota tam anguſto tempore prorſus legi potuit; neque vel lecta, tota ſine interprete intellecta fuit.

Ioſeph. antiquit. Iud. lib 12. cap. 2.

Lex in Græcam linguā ex Hebræa uerſa.

Poetæ ex legis ſacris carminibus ſuis admiſcentes nonnulla à deó puniti.

Ioan 7.

Legis ſermo non Laici non intellexerunt abſque interprete.
2 Ezdræ. 8.

Nam vbi in Ezdra pars lecta deſcribitur, mox eodem loco ſubiungitur, quod Nehemias Propheta, Ezdras ſacerdos, & ſcriba, atque Leuitæ, populo, vt intelligerent, eam interpretati ſunt. Nec hoc contenti, ſed altero etiam die principes familiarum vniuerſi populi, ſacerdotes & Leuitæ, ad Ezdram ſcribam conuenerunt, vt ab eo legis interpretationem acciperent. Non ſolùm autem legis & ſacrificiorum lingua diuerſa ab ea fuit, qua Iudæi domi quotidiè vtebantur:

Vulgi idioma apud Iudæos diuerſum.

Sed ipſum etiam vulgi idioma à ſeipſo diuerſum diſcrepabat: nimirum pro vicinorum ac prouinciarum, in quibus habitabãt, conſuetudine ac varietate. Vnde ancilla illa, quæ Ieroſolymis habitabat, ex loquela

Matth. 26.

Petrum Apoſtolum, Hebræa nimirum Hebræum, eundemque Galilæum ſanè eſſe, agnouit: Verè tu ex illis es, inquit, nam & loquela tua manifeſtum te facit. Et in libro Iudicum Ephratæus quidam magno ſuo ma-

Iud. 12.

lo ex ſermonis genere quantumcunq; Hebræus agnoſcitur quum Sebboleth nõ poſſet dicere, ſed pro eo, chebboleth pronunciaret: quorum vtrunque ſpicam ſignificat. Id quod Hieronymus in 2 cap. Matth. commẽta. obſeruauit, Quantas verò turbas excitauiſſent diuerſarum prouinciarum Iudæi, ſi ſacerdotes vulgari lingua ſacrificare tentauiſſent

uiſſent;In tanta enim linguę domeſticæ diſcrepantia nulla tribus alteri ceſsiſſet: oportuiſſetq́; ſacerdotes tot linguis ſonare, quot tribus ad ſacrificandum adeſſent; amiſsaq́; linguę proprietate,amiſſa ſimul fuiſſet diuinæ voluntatis veritas,perijſſet tantorum ſacrorum reuerenda maieſtas. Quamobrem cùm veteris legis ſacrificia pro dei laude hominumque ſalute ſuſcepta, (vt à Deo inſtituta erant) non in populi vulgari, ſed certo quodam, vnico, atque perpetuo ſermonis genere peracta fuerint,ad multa tamē profuerint:nulla certè neceſsitas cogit,vt in noui Teſtamenti ſacrificio vulgi vtamur lingua: Sed retinenda nobis vnica illa lingua eſt,in qua,oriente olim per Germaniam Euangelij Luce, Deo per maiores noſtros, in Germania primùm ſacrificari rectè atque prudenter vtiliterque cœptum fuit,& etiānum in piorum hominum conuentu ſacrificatur. Quanquam enim, ſtatis per annum temporibus,populus cum choro cantorum alternatim diuinam laudem exultāte,& iubulum deſignante,altioreque voce reſonare ſoliti fuère (id quod modò etiam multis locis ſummo ſacrorum Pontificum aſſenſu fit)nullum tamen extat exemplum,quo doceri poſsit,vllo vnquam tempore,in Germania, Germanica lingua, ordinario modo

Concluſio præcedentiū.

Ad antiquitatem.

moreq́;, vti Latinè fit, Deo ſacrificatum fuiſſe. De more autem vulgato, Latinè nimirùm ſacrificandi, vt alibi in occidentali Eccleſia, ſic quoque in Germania litatum fuiſſe, omnia ſunt exemplorum plena; imò diuerſum afferri à primo noſtræ religionis ortu atque inſtitutione, nequaquam poteſt.

Orbis Imperium quomodo diuiſum.

Qua in re conſtituenda primi illi ac ſanctiſsimi diuiniſsimorum ſacrorum in Germania promulgatores, ante octingentos, imò nongentos olim annos non ſolùm ad veteris teſtamenti ritum, (quod quidem ſermonis genus concernit) reſpexerunt; verùm etiam ad aliarum nationum totius Chriſtiani orbis Deo ritè ſacrificantiũ normam, vſum, & conſuetudinem noſtra hæc Germaniæ ſacra accommodarunt. Nam, diuiſo olim toto in orientem atque occidentem Imperio, in orientali quidem primitiua Eccleſia, diuina Chriſtianæ Religionis myſteria primùm Hebraicè celebrata, inſequenti tempore, Adriano primo Imp. regnante, Græcè celebrari cœpta fuêre.

Sclaui ſua lingua ſacris operantur.
Æneas Syl. hiſt. Boëh. Cap. 13.

Occidentis verò ſacrifici, inde ab initio ſuſceptæ ſemel Religionis, in hanc vſque diem ſemper latinè ſacris operati ſunt: Sclauis tantùm, viciniſque Moſcouitis exceptis; quòd qui prima Religionis ſanctæ fundamenta illis poſuerat, Cyrillus, à ſede

Apo-

Apoſtolica ob certas rationes, patria illorum lingua, hoc eſt, Illyrica (hac enim Sclaui, Dalmatæ, Bohemi, Poloni, & Lithuani vtuntur, quæ & Conſtantinopoli in Ottomannorum aula familiaris, aliquando in AEgypto apud Memphiticum Sulthanum & equites Mamaluchos haud ingratis animis audiebatur, in quam etiam ingens multitudo ſacrorum librorum, induſtria maximè Hieronymi & Cyrilli, tranſlata eſt) ſacra eos peragere poſſe, impetrarit. Qua ex re tamen populus minimè docere potuit, vt qui alia templi parte extra chorum à ſacrificante Metropolita longiùs diſtabat: quamobrem Epiſtola & Euangeliō pro tempore, non in choro, ſed extra, populo aſtanti, (concionis vice, quam nullam habent,) clara voce etiamnũ recitantur, alijs verò in occidēte Eccleſijs id Latina lingua eſt, quod orientalibus Hebræa atq; Græca: quæ tres vt Auguſtinus refert, toto orbe terrarũ prę cæteris eminentes fuerũt: Hebræa propter Iudæos, Græca propter Sapientes, & Latina propter Romanos. Nec ſacrificiũ altaris ſolú hiſce præcipuis linguis celebratum fuit, ſed reliqua etiã precum atq; laudum ſacra: Quæ ſi vulgari, & ea, quæ ſine doctore cũ lacte materno quaſi imbibitur, lingua olim peracta fuiſſent; ad quid ſcholæ, in quibus cantores

Paulus Iouius in libello de legatione Moſcouitarum.

Sigiſmund. lib. Baro in Comment. Moſco. cap. de ieiunio & quadra. & decimis.

Aug in Ioan. Tract. 117. Id. m in Titula Pſal. 58.

Scholæ teſtãtur ueteres oraſſe Latinè.

&lectores edocuerunt, tanta cura tantiſúe impenſis & inſtituta & conſeruata leguntur? Sed quia alia lingua, præter domeſticam Eccleſiæ ſacra fiebant, ideo, in Eccleſiæ bonū, atque vſum, ornamentumq́ue, Scholæ conſeruabantur. Hinc in Liturgijs quibuſdam pro choro dicuntur ſcholæ. Ac de cantoribus Lectoribuſq́ue in Toletano Concilio ſtatutum legimus, ne quis hominum vllum gradum Eccleſiaſticæ dignitatis percipiat, qui non totum pſalterium, vel canticorum vſualium & hymnorum ſupplementum nouerit. In Vaſenſi etiam edicitur per aliquot canones Paſtoribus, & rectoribus, vt domi lectores atq; Cãtores in Eccleſiæ vſum erudiãt. Tū longè ante etiã in Laodicena Synodo conſtitutū fuit: Non licere præter Canonicos Pſaltes, id eſt, qui regulariter Cantores exiſtūt, quiq́; pulpitū aſcendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Eccleſia pſallere. in eadem etiam Synodo can. 59. legitur (ſicut ex Græcorum Synodis S. Martino Bracaren. interprete, poſtea etiam canone. 68. repetitur) quòd non oportet ab idiotis Pſalmos compoſitos & vulgares in Eccleſijs dici. Quæ quidem Synodus, etſi prouincialis ſit, tamen in ſexto concilio Generali, quod in Trullo Conſtantinopoli, præſente Conſtantino Imp. celebratum eſt, confirmata

Tolet. 8. can. 8. circa an- nū 643.

Vaſer. 2.

Laodicen.

Conſtant. 3. fuit generale 7. in ann. 119

firmata legitur: ex quo poſtea Canon de cantoribus, à nobis citatus, initio ſuſceptæ fidei in Germaniæ prouinciali Concilio, ad aquas Traiani, ſiue Aquiſgrani, Ludouici pij Imp. temporibus, renouatus, in hæc verba legitur: Canone 76: Nō oportet amplius præter eos, qui regulariter cantores exiſtūt, qui & de Codice canunt alios in pulpitum conſcendere, & in Eccleſia pſallere. Et ibidem, Cano. 133. præcipitur, eos, qui in Eccleſia cantare non norunt, erudire, vt ſciant. Et rurſus Cano. 137. dicitur, Cantorem, ſicut traditum eſt à ſanctis patribus, & voce & arte pręclarum, illuſtremq́; eſſe oportet, ita vt per oblectamenta dulcedinis animos incitet audientium. Huius ergo vel vnius concilij pręſcripta, propter ſummam & authoritatem & antiquitatem eiuſdem, Germanis (nam in Germania celebratum eſt) ſufficere debebat, ad tam impotentē nouandarum rerum Eccleſiaſticarum furorem comprimendū: palàm vero docet, non vulgari lingua Religionis ſacra olim fuiſſe celebrata. *Ann. 816.*

Quod quidem cùm de alijs ſacris intelligimus; quis dubitat etiam, & maximè in altaris ſacrificio, idem factitatum fuiſſe? In quo ipſe etiam ſacrificantis habitus, & pronunciationis modus prorſus oſtendunt, nō hoc eius ſacri promulgatione egiſſe patres, *Habitus ſacrificantis oſtendit Latinè ſacrificandum eſſe:*

vt à populo audirétur intelligerétur[q]; omnia, quę à ſacrificãte dicũtur. Quoties enim in liturgijs Dionyſij, Baſilij, Chryſoſtomi, & aliorũ, pontifex ſe ad populũ conuertit, ad eumq́; regreditur, cũ benedicit? & iam ſublata, iam rurſum ſubmiſſa voce atq; ſecretò orat? Et tamẽ pro populo orat. Adde, quòd multa ſępè ex veteris Teſtamẽti libris ad altare per Pontificẽ ſacris operantẽ recitãtur, quibus promiſſorũ ſuorũ Deum ſupplex cõmonefacit: Hi vero quoniã verſib. conſtant, maximè Pſalteriũ (vt cum Ioſepho atq; Origene teſtatur D. Hierony. quomodo ſic, vt ſcripti ſunt, in Eccleſia recitati à populo potuerũt intelligi? Sed etſi maximè, vt populus intelligeret, egiſſent patres; quomodo ſine interprete, etiã in vulgari lingua, nõ cum magno ſuo periculo auſcultaret, vel ipſi etiã legeret? Nã quę Euſebius de veteri Teſtamento ſcribit, ꝙ diuina ſcriptura nemini, pręterquã Prophetis, ante ſaluatoris tẽpora patuit: quodq́; Candacis Aethiopũ Reginę Eunuchus ad Philippi Apoſtoli interrogationẽ, ſe, niſi aliquis oſtẽderit nõ poſſe intelligere fatetur: idẽ de nouo Teſtamẽto, ac vniuerſa ſacra ſcriptura dici poteſt; cuius peculiaris quædã natura eſt, vt non velit ſemper nẽq; poſsit ab omnib. percipi: Cũ ſit, authore Euſeb. animali nõ abſimilis quod corpus quidem

Veteris Teſtamenti lectiones Latinè magis quàm germanicè ſacrificandum docent.

Hieron. in prologi. in Euſebij chron.

Euſeb. de præpar. Euang. lib 11 cap. 14.

Act. 8

Euſeb. Eccl. hiſt. lib 2. cap. 17.

dē habeat, ipſam nimirū literā, & ea quæ ſe- *Scriptura*
cundū literā diſignantur; animā verò, occul- *ſimilis ani-*
tū illū in literā latentē, ſpiritalē & inuiſibilē *manti.*
ſenſum, quē piæ ab authoribus ſanctis edo-
ctæ mētes ſublimius & nobilius, velut inſpi-
cientes per ſpeculū, contēplantur, ex ipſis no
minibus admirādas quaſdā ſpecies intelligē
tiæ proferētes. Quamobrē, vt idē Euſeb. di- *De præp. lib*
cit, incipiētibus, & imperfectiorib. quaſiq; *12. cap. 1.*
ſecundū animū infantibus, ſimplicius ſcri- *Nō omnibus*
pturę ſacrę leguntur; ſed qui ad maiorē iā ha *omnia conue*
bitū peruenerūt, altiora petere, & rationem *niunt.*
ſingulorū quęrere conceditur. Idē etiā Dio- *Dion. in Con*
nyſius ſcribit; Eſt enim, inquit, diuina Hie- *templatione*
rarchia ſacræ Iuſtitiæ plena, ac vnicuiq; pro *capitis de ſa-*
dignitate ſalubriter conſentaneā tribuit re- *cra collecti-*
rū diuinarū communionē, ſanctēq; pro mo- *onis.*
do ac captu concedit, pauloq; antè; Pōtifex
ſummā ac cęleſtē Ieſu Theologiam, ijs, qui
ad diuinitatē adipiſcendā apti ſunt, eaq; di-
gni, exponit. Et mox; Vt igitur, ſi inchoati, ac
nondū figurati pueri, qui ex carne conſtāt,
cadant antequā foueantur; caſum illū in ter-
ra ſine ortu, ſine vitę vſura, ſine lucis aſpectu
vt abortus, habebunt; nec quiſquam, qui ſit
mentis ſuæ, id, quod apparet intuens, in lucē
eos ꝓlatos dixerit, ꝙ ſint ab alui tenebris li-
berati; (dicet enim Medicina, perita corporū
pręſes. lucē vim ſuā emittere, in ea, quæ lucē

natura

natura recipere poſſunt) ſic ſacrorum ſapiens diſciplina & ſcientia primùm quidem eos diuinorum ſcriptorum, quæ formandi vitæq; dandæ vim habent, cibo, qui inſtituendo & introducẽdo valet, fouet: cùm autẽ eorum naturam ad diuinum ortũ abſoluit, tum deniq; vtiliter eis ordine concedit aditum ad ea, quæ illuſtrant & perficiunt. Et: Sunt alij, qui ne figuras quidem & imagines cernunt; quod & impudenter ſalutarem diuini ortus diſciplinam repudient; & diuinis ſcriptis hæc exitiosè dixerint: Vias tuas ſcire nolumus. Hæc ille. Neq; hæc ideo ſic vel à Dionyſio vel Euſebio ſcribuntur, vel à nobis citantur, vt abſcondere ea à populo velimus, ſine quibus ſaluis eſſe non licet: ſed quòd non expedire ad populi ſalutem, vel ad diuinam veritatem retinendam, multa & grauiſsima extant exempla; & Chriſtum ipſum huius rei ſequamur Authorem: qui nõ nullis, quorum hodie mundus plenus eſt, ſuo tempore dixit: ſermo meus non habet
Ioan. 8. locum in vobis: Non poteſtis audire ſermo-
Luc. 8. nem meum: Ad diſcipulos verò ſuos ait: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei,
Heb. 5. cęteris autẽ in parabolis. Et prioribus quidem Apoſtolus dicit: Facti eſtis, quibus la-
1. Corinth. 3 cte opus eſt, non ſolido cibo, imbecilles ad audiendum: Etenim cùm deberetis magi-

ſtri

ſtri eſſe propter tempus;rurſum indigetis,vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei.De alijs verò idem dicit:Sapientiam loquimur inter perfectos;Sapientiam, quæ abſcondita eſt, quam nemo principum huius ſeculi cognouit, loquimur in myſterio. Audiat enim idiota, vel ipſe etiam legat,quod de IESV ſcriptum eſt: Deſcendit in Capharnaū ipſe, & mater eius,& fratres eius: quomodo nō ſcandalizabitur? & dicit:Mariam,prętcr Chriſtum,peperiſſe, & alios filios,fratres Chriſti:maximè quando alio loco legitur: primogenitum peperiſſe,Sic cùm ſancta mater dicit: Ego & pater tuus dolentes quærebamus te: nunquid Iudęi ſoli dixerunt,de Ioſeph ſemine Chriſtum natum eſſe? cum magna matris ſimul atque filij iniuria, fideiq; Chriſtianę horribili cōtumelia?ſic illud,quod Chriſtus ſuauiſsimæ matri reſpondit: Quid mihi & tibi eſt mulier?per ſe intellectum,quomodo Nicodemianum non offendet quàm maximè? Taceo id genus infinita alia. Qua in re fides mihi non habeatur,ſi non Petrus Apoſtolus idem mecum teſtatur.Ait enim his verbis. Paulus ſecundum datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis,ſicut & in omnibus exemplis, loquens in eis de ijs,in quibus ſunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabi-

Exempla obſcuritatis S. Literarum.
Ioan.2.
Luc.2.
Ibidem.
Ioan.2.

les deprauant,ſicut & cæteras ſcripturas.

Aug. In Ioan. Tract. 10. *Lingua ſcripturæ propria.*

Quamobrem rectè Auguſtinus monet, dicens:Habet ſcriptura linguam ſuam; quicunq; hanc neſcit,turbatur:Sed cùm veriſsima hæc tanti doctoris ſit ſententia, in dubiũ tamen res vocetur, &, vt omnia Eccleſiæ ſacra Germanica lingua in Germania celebrẽtur, poſtuletur: Verùm an ex vſu Reipublicæ id futurum ſit, deliberetur, quodque ſapientum eſt, aliorum, exempla in medium adferantur,ad quorum rationes ſucceſſus,& euentus, noſtrę conſtitutiones expendantur:neque,quod imprudentum eſt,non conſiderato fine, & conſequentibus expenſis, aliquid decidamus: Sit Moſcouia exemplũ conſtituendæ rei Eccleſiaſticæ: In ea,vt antea dictum memini, ſolemne, ſacrum patria vulgari peragitur lingua. Ceſsitúe hæc res ad populi profectum (quandoquidem populi nobis hoc in negotio ſalus tantoperè cùrę eſt)nunquid melior in fide, iuſtior factus eſt in opere?Inſpice,quæſo, ſacra illorũ hominum,fidem,mores,templa,libros:Cõfer omnia cũ Biblijs ſacris Germanicè verſis,pręter quorum expreſſa verba ſuſcipiendum nihil eſſe decernitis; Confer cum concionibus omnium qui in Germania Auguſtanę Cõfeſsioni nomina dedêre:Confer ad cuiuſlibet Nouatoris placita : Iudicet ſana

Moſcouia exemplum

An ſit Germanica lingua ſacrificandum.

mens

mens,videbit quanta ſit repugnantia,quàm nihil faciat ad Euangelicę fidei veritatiſque conſeruationem priuata ſacrificandi vſurpatio.Et tamen eodem animo, quo modo quidem Germani Germanica vulgari lingua Eccleſię ſacra in Germania fieri volunt ac poſtulant;olim Moſcouia idem in ſua lingua efflagitauit,& obtinuit. Quî fit ergo,vt quod bene ab illis olim poſtulatũ videbatur, tã male ceſſerit?adeo vt tot diſsidijs vulgi olim defatigati omnes,& magni & parui; nunc eo tandẽ redacti ſint;vt modò in templis eorum neq; concioni habendę,neq; ſacrarũ literarũ interpretationi vllus locus ſupereſſe:nec aliquando in vnum etiam cum Euangeliciſsimis, vt ita loquamur, Germanorũ(cum tamen vtrinq; & biblia, & ſacra, in ſua vulgari habeant,auſcultent, legant, & cantent lingua) coire poſſe videantur, imò neq; velle,tantis in nos perſecutionibus deſæuientes palam ipſi teſtantur?In promptu cauſa eſt: Quia ſacra ſcriptura non ſolùm in ſua lingua ab omnibus non vult intelligi,vt dictũ eſt;ſed nec in alienę linguæ ſe transferri prouinciã tutò poſſe demonſtrat;deinde, quod vulgus multorum capitum,id eſt,opinionum & interpretationũ belua, ſacra,quę patria lingua tractantur, & pronunciantur, ſuo modo, ſenſu, opinione, iudicio deprauato,

uato, valdeque à vera & genuina ſententia diſcrepante, intelligere explicareque ſoleat; atque etiam, vt mores eius ſunt, in contemptum ea vilitatemq; adducere conſuetum habeat. Quamobrem etiam, cùm in ſacris myſterijs verba ſcripturæ ſunt dicenda, vbicunque in Germania cœna Germanicè peragitur; adeo nihil Auditores proficiunt, vt quàm maximè fide, pietate, ſcientiaq; rerum diuinarum deficiant. Deſideras fidem his dictis lector? Ecce, erat olim per totam Germaniam vnica omnium ſacrorũ lingua; vigebat ergo nõ hominũ ſolùm inter homines concordia (quæ nulla re magis, quã Numinis reuerentia, conſeruatur) verùm etiam diuinarum ſcripturarum ſcientia; erat fides omnium vna, vna cæna, vnaque omnium cõfeſsio. Nunc, vbi cæna Germanicè, vt homines erudiantur, peragitur; tot fides, tot cænæ, totque Confeſsiones paſsim leguntur, quot ſunt per Germaniam ferè principatus, Ciuitates, oppida, villæ, &, vt in ſumma dicam: faciuntnæ intelligendo, vt nihil intelligant. Nihil ſæpius in templis eorum ad cænæ menſam eque ſuperiore loco auditur, ea Chriſti oratione, quæ meritò omnium mentibus infixa eſſe debet; Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus; Qua quid breuiùs quidúe dici poſsit apertiùs? Sed adeó

Exemplum ab anteactis in Germania.

Terent. in prologo Andriæ.

adeò inter omnes eos non habet locum hic ſermo: Vt nemo eorum ferè ſit, qui non ſcãdalizatus cum Capharnaitis, dicat; Quomodo poteſt hic nobis ſuam carnem dare ad manducandum; factúmque videatur inter eos, quod in Pſalmis dicitur: præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate: Atque, vt Auguſtinus eo loco dicit: Quia ſe male extulerũt, expedit eis, vt linguæ eorum ſubmergantur: Quia malè conſpirauerunt, expedit eis, vt linguæ eorum diuidantur: Quia adhuc ſæuiũt, & gentiles ſunt, expedit eis, diuiſas habere linguas. Volunt vnam linguam; Veniant ad Eccleſiam. Neque tamen hoc agitur, quod Donatiſtæ olim moliebantur, vt omnia diuina in duas tantũ linguas includamus (ſcimus enim, quod ſicut in omnem terram ſonus exiuit ſeminantium verbum Dei Apoſtolorum; ita non ſint loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum; ſed omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria Dei eſt patris:) ſed, quod conſtet, per ſuperbos diuiſas eſſe linguas, per humiles verò Apoſtolus congregatas: & quod, quę vna lingua hactenus celebrata fuerunt ſacra; in multas linguas diſtribuere, imò diſperdere, & peruertere velle, magis ſe ad ſuperborum

Aug. in Pſal. 54.

Aug. in Ioan. Epiſ. Tract. 2.

Pſal. 18.

Philip. 2.

Aug. in Pſal. 54.

quàm ad humilium Apoſtolorum exem-pla videatur referre,

Orbis urbem imitatur, urbs domũ.
In Geneſ. cap 11. hom. 30.

Enimuerò ſi domus Dei decorem diligimus: ſolet orbis vrbem, vrbs domum imitari: non domus vrbem, neque vrbs orbem: certumque eſt, vt Auguſtinus ait, quod in omni ſtatu linguarum diuerſitas hominem alienat ab homine: & ſicut Chryſoſtomus quoque ſcribit; Linguæ vnitas cohabitationem facit, diuerſitas verò diſpergit. Nã quibus lingua non eſt vna, aut vnus ſermo, quomodo cohabitare poſſunt? Eſt Eccleſia domus magna, Apoſtolo teſte, & vult pater familias, eos, qui in ea viuunt, eundem morẽ atq; conſuetudinem obtinere. Pręſtat ergo, orbem vrbeſq; domus illius imitari linguã, vt appareat etiam ex loquentium voce domeſticos nos eſſe & non peregrinos aduenaſúe magnæ, domus Eccleſiæ; ſed inuicem ciues, ſed fratres. Etenim id quoq; quod fieri non poſſe videtur; tamen opera olim vt fieret, data eſt, Auguſtino teſte, vt imperioſa vrbs (Romam dicit) non ſolum iugum, verum etiam linguam ſuam, domitis Gẽtibus, per pacem ſocietatis imponeret; nec vllum in Senatu audiuerunt patres Legatum, niſi Latinè loquentem. An, quod ciuitas illa ob terrenam ſine Chriſto ſocietatem fecit, non faciendum fuiſſe putamus diuinis ſacrorum pro-

2. Tim. 2.
Pſal. 67.
Eccleſia domus magna.
Aug. de ciuita. Dei lib. 19. cap. 7.
Latina linguæ imperata olim per Romanos diuerſis populis.

promulgatoribus,vt pro æterna pace,pro fidei atq; confeſsionis conſortio, in vnã linguam per Germaniã omnes colligerẽt credẽtes?Vt ſicut vnus Deus,vnũ Baptiſma eſt, ſic ſit etiam ſacrificantis pro omnibus vnius vocis confeſsio; maximè quãdo, vti de alijs ſcripſit Plinius,tanta in Germania ſit loquẽdi varietas,vt non modo externus alieno,verùm etiam vnius patriæ homines, alter alteri,pro linguæ diſsimilitudine & diſcrepantia,non ſit hominis vice. Verùm per nullam vim,vti Romani olim ſuis, Maiores illi noſtri Latinam ſuam linguam apud Germanos ſacris peragendis inuexerunt.Sed Germani ipſi eam vltrò vnde oportebat, expetiuerũt. Extat eius rei indicium Pelagij Põt. Max.ſecũdi eius nominis,Epiſtola;qua circa annum Do.580.Germanorũ Pontificum petitioni in hæc verba reſpondit;Cũ,in Dei nomine,in Romana Eccleſia Synodum Epiſcoporũ,ſiue cæterorum conſacerdotũ,Dei fidelium, congregatam habuiſsemus,& de Eccleſiaſticis ſtatutis,vt ſunt ab Apoſtolis & ſanctis patribus tradita, diligentiùs tractaremus ſuperuenerũt literæ veſtrę;&,vt magnæ eſſent authoritatis, etiam viuæ voces præceſſerunt,rogantes, vt ordinem præfationum, quæ ſancta Romana Eccleſia hactenus haberet, noſtris literis remandaremus.

Plini. lib. 7.

Germani olim ipſi Latinè ſacrificandi morẽ à Rom. Põt. exegerunt.

In uita Pelagij.

Nota.

De veſtra ergo voluntate, & ſtudio tam bono multum gauiſi, ſacrum ordinem Romanum, ſacraque conſtituta noſtrorum Anteceſſorum ſolerter relegentes; inuenimus, has nouem præfationes in ſacro Catalogo tantum modo recipiendas: quas longa retrò veritas, in Romana Eccleſia hactenus obſeruauit: ſcilicet, in albis paſchalibus, de Aſcenſione domini, de Pentecoſte, de natali, de apparitione, de Apoſtolis, de S. Trinitate, de cruce, de Ienunio, & quadrageſima, Hæc ille. Quibus verbis apertè conſtat, primos ſacrorũ promulgatores ea lingua, eoq; modo, in Germania, Religionis noſtrę ſacra & inſtituiſſe & peregiſſe, quibus ab Apoſtolis ſanctiſq; patribus in Romana Eccleſia ortũ habuerunt atq; profectũ. Iam tum enim Germanis ad fidem conuenientibus, ſacra cantuſq; Eccleſiaſtici in ordinem per Ambroſium atque alios Pontifices, & concilia erant collecta. At de Ambroſij ſtudio in hac re, fideque, atque authoritate teſtis eſt Auguſtinus; qui & ipſe concilijs ea de re tractantibus, vt ſuo loco dicemus, interfuit. Ab hac prima inſtitutione tam diu in Germania fides atque Religio illibata, firma, conſtanſque permanſit, quàm diu ſacrorum vnam illam Romanam linguam nemo reiecit: fuitque Germania altera quædam Thare do-

Preces Eccleſiaſticæ per quos olim collectæ.

ræ domus; de qua Auguſtinus teſtatur, quandiu in ea veri atque vnius Dei vnus cultus maneret, & iam vnam Hebræam, ab Hebær dictam, linguam, ibi manſiſſe. Nunc verò, quando cum Religionis noſtræ ſacris ſimul & lingua ita (etſi non vbique) mutata ſacrorũ eſt, vt neſcias, vtrùm ſacra à lingua, an contrà lingua à ſacris pendeat; tranquillitate, quæ tot pulcherrima Germanis bona per ſe pepererat, & integra longo tempore conſeruauerat, ſemel profligata; & Chriſti fides, & omnium ordinum ſtatus ſaluſq; ita turbantur, vt nihil penè ad extremam diſsipationem videatur ſupereſse reliqui. Quod tamen non expoſtulans cum quoquam ſcribo; ſed quod iuſto Dei iudicio, grauiora communi patriæ imminere video: & eius malis afficior, ac conſentientibus animis atque moribus pietatem veram maturè colendam eſſe exiſtimem, & ſeriò exoptem.

Aug. de ciui. lib 16. cap. 11. & 12. Thara domus Eccleſiæ imago.

Conſequentia linguæ mutationẽ.

Quamobrem, vt quæ hactenus à nobis ſunt dicta, cum ijs, que dicenda reſtant, hoc loco connectamus: Cùm Apoſtolus nuſquã dicat, inſanire eum, qui in Eccleſia linguis loquatur: neque id non ſolùm non reprehendat, (ſi ſuo modo atque ordine fiat: id quod tu quidẽ, Iacobe, falsò illi impingis) verùm etiam, ne quis prohibeat, vetet: imò magis, vt omnes linguis loquantur, optet;

Repetitio præcedentiũ.

1. Cor. 14.

tum etiam, quo modo quaúe ratione vtiliter id, & ad populi profectum, in Eccleſia fieri queat, formam præſcribat & ordinem: Cùm deinde, ab ipſo Religionis ſanctæ exordio, in Germania latina lingua ſacrificari primùm cœptum ſit; idq; cùm ad veteris Teſtamenti ab ipſo Deo inſtituta exempla, tum ad Apoſtoli præſcripta: Cùm inde vſq; ad hæc noſtra tempora, omnium conſenſione bonorũ, vtiliter maximè ad populi profectum ſacrificatum ſit eadem lingua: cùm in ſacris illis myſterijs ſacræ ſcripturæ verba neceſſariò adhibeantur, eaq; eius ſint naturæ, vt nec velint, nec poſsint ſemper ab omnibus, ſine interprete, intelligi, ſæpe verò & audiantur & legantur cum multorum periculo: Cùm paucorum illa domeſtica ſimul atque externa, noua veteraque exempla eorum, qui vulgari ſua lingua ſacris in Eccleſia operantur, nullum ex eius linguæ iſtiuſmodi vſurpatione populi profectum, magis verò omnium credendorum confuſionem, & quaſi horribilem quãdam barbariem, olim exortam, ac modò indies gliſcentem, declarent: quis ſanę mentis dubitabit, te tam imbecillibus, imò ieiunis, futilibus, & ficulneis argumentis, aduerſus totam antiquitatem, Maiorumque noſtrorum & religionis plantatorum ſaluberrima & ſapientiſsima inſti-

inſtituta vtentem, non magis imprudentiam tuam, inſcitiam, & improbiſsimam audaciam patefacere voluiſſe; quàm, quicquam, quod ad religionis vnitatem, pacem, concordiam, tranquillitatem Germaniȩ, populi commodum & pietatem pertineret, proferre ſtuduiſſe: neq; tàm firma & ſolida conſiliorum tuorum fundamenta voluiſſe deponere, quàm in rebus maximi ponderis iculariter ludere ſcurræ in morem, in animum induxiſſe? Quid enim dicis, Iacobe? aut quas mutationis huius tam ſerò ſuadendæ rationes affers?

Quod non intelligitur, inquis, (ſiue id per fidem ſeu rationem fiat) idipſum nec ædificat: Miſſam latinam non intelligũt Germani: Ergo nec ædificat. Benè res habet: dignumq́; patellæ operculum. Neq; enim fieri potuit, aut debuit, vt talem ſcripturarum allegationem alia ſequeretur ratiocinationis concluſio, Mitto hîc geminum argumẽtationis errorẽ, quem ſi puer in ſcholis committeret, dubio procul vapularet. Conſtat enim ex meris negatiuis ex quibus ſequitur nihil: deinde in altera propoſitione plus eſt, quàm in prima. Nunquid enim ideo latina Miſſa nõ eſt intelligibilis, quia, Germani eã non intelligunt? Eodem ſanè ludo cum gallo illo AEſopico videris edoctus. Vt enim

Obiectio ſabilis.

Dignum patellæ operculum.

Gallus AEſopicus dialecticus.

ille de margarita, ita, tu argumentaris de Miſſa: Quicquid nõ eſt hordeum, id ipſum me non paſcit; Margarita cùm non ſit hordeum, non paſcit me; cùm tamen multi alij ſint fructus, qui paſcant, præter hordeum: & ſint quędam res, quę non intelliguntur quidem, tamẽ & emendant, & docent. Sed miſſa argumenti forma, ad id reſpondeamus, quod vulgus te dixiſſe colligit. Vis enim, quod præter doctrinam, quæ doctoris ore, vulgari gentis cuiuſque lingua, in Eccleſia fit, nulla res alia quenquam erudiat, ſeu emendatiorem reddat. De qua re duplex nobis eſt conſideratio. Aut enim emendationis vocem, qua tu vteris, intelligis omnem vulgi profectum in bonum: aut tantùm eam partem, quæ conſiſtit in rerum intelligibilium, ac neceſsariò ſcibilium notitia. Si omnem, ergo eum etiam, qui ex virtute eſt profectum, intelligis. Quod ſi eſt, videamus, nũ intelligibilia Doctoris verba eum, qui ex virtute eſt, profectum, animis inſtillent audientium. Tres ſunt (noſti) virtutes Theologæ, fides, ſpes, Charitas: Ex his pro exemplo ſumamus tertiam, id eſt, Charitatem. Nam quod de hac dicitur, idem ferè intelligi poteſt de reliquis. Pretioſa ſanè & perneceſſaria res eſt charitas. Ait enim Apoſtolus: ſi linguis hominum loquar & angelorum, Charitatem

Emendationis ſiue ædificationis uox.

Docendo an uoluntas flectatur. Tres uirtutes Theolo. 1. Cor. 13.

ritatem autem non habuero, factus ſum ſi- cut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: Et ſi habuero prophetiã, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiã: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: Charitatem autem non habuero: nihil ſum. Et alius Apoſtolus: Deus, inquit, eſt Charitas; & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hæc eſt ergo omnium perfectionum prefectio maxima: quoniam qui in Deo manet & ipſum in ſe manentem habet, amplius non habet, in quo proficiat. Nunquid autem Doctoris intelligibilia verba hunc Charitatis profectum in auditorum mentibus generare poſſunt? Duæ ſunt præcipuæ in animo humano potentiæ, ratio, ſeu intellectus; & voluntas, ſeu appetitus. Demus hoc, Iacobe, quoniam dandum eſt: Intelligibilia vulgo doctoris verba rationem, ſeu ipſam intelligentiam, Vim dico illam animi, Charitatis cognitione imbuere, vt mens humana intelligat, atq; ſciat, quid ſit Charitas, vnde, & quo Authore veniat, quid efficiat, & id genus alia: ſicut de fide Apoſtolus ait: quod ſit ex auditu. Nunquid verò & voluntatem flectere in eius amorẽ poſſunt, vt iam comprehenſam mentis intelligentia deſideret charitatem, & in conſequuta acquieſcat? Certè hoc non eſt in doctoris, aut

1. Ioan 4

An Charitas doceri poſsit.

Rom 10:

Iſai. 41.

cuiuſuis hominis poteſtate poſitum;neque vnquam Deus,qui dat eam,hanc ſuæ munificentiæ gloriã dabit alteri,vt dicat puluis & terra;linguam noſtrã magnificabimus,Pſal. 11.labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? Ipſe Dauid gloriatur, quod Doctore ſuo fuerit intelligentior:ſuper omnes docentes me intellexi,inquit; tamẽ ad Deũ clamãs, imperfectũ meum:inquit,viderunt oculi tui Domine; propterea non loquatur os meum opera hominũ, ſed tu, domine,emitte lucem tuam, & veritatẽ tuam; filiũ tuum, & Spiritum ſanctum tuum, vt Ambroſius ait,ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum. Paulus quoque gratias Deo agit, quod omnium linguis loquatur;Sed nunquid hunc Charitatis profectum in auditorum voluntatem potuit inſtillare?Loquatur ipſe quoniam ætatem habet; Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit.Itaque neque qui plantat, eſt aliquid; neq; qui rigat; ſed qui incrementum dat,Deus. Et Rom.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et ad Epheſios ſcribens, de fide loquens; Dei, inquit, donum eſt, & non ex nobis. Quare factũ eſt,vt eæ virtutes apud Theologos dicantur infuſæ; eò quòd non lingua aut

Pſal.11. Pſal.118. Pſal 130. Pſal.16. Dauid ther-didaſtes. Amb. de Spiritu S. lib.3.cap.19. 1.Cor.14. 1.Cor.3. Ephe.2. Infuſæ uirtutes unde.

autratione humana atque opera compa-
rentur, ſed gratuitò à Deo infundantur.
Itaque doctores vulgò intelligibilia verba
charitatis hunc profectum docent qui-
dem, & in notitiam mentis inferunt; ſed
voluntati non infundunt; quod Deus ſi-
bi hoc reſeruarit vni; Impetratur autem, vt
oratione fideli infundatur, ſicut ſuo nos
exemplo docet Apoſtolus; Hoc oro, in-
quit, vt charitas veſtra magis ac magis abun-
det in omni ſcientia & in omni ſenſu. Et 2.
Theſſalonicen. 3. Dominus dirigat corda
veſtra in charitate Dei & patientia Chri-
ſti. Oratio igitur eſt, quæ hunc profe-
ctum charitatis omniumque aliarum vir-
tutum hominibus à Deo impetrat; facit-
que, vt per Spiritum ſanctum velimus at-
que poſsimus Charitate complecti dilige-
reque Deum atque homines. Id quod Do-
ctoris vulgo intelligibilia verba præſtare
non poſſunt. Quam ob rem ſi emendati-
onis vocem de omni profectu populi in-
telligis, manifeſtum eſt ex his, quæ mo-
dò à nobis ſunt dicta, aliquid eſſe, quod
emendet quidem hominem, quod ipſum
tamen non intelligitur. Siue enim Deum
qui hæc ſua virtutum pulcherrimarum do-
na per Spiritum Sanctum in nos infun-
dit, primam; ſiue etiam orationem noſtram
piam

piam, qua impetrantur dona illa, ſecundam cauſam dixeris; eadem vtriuſque ratio eſt. Nam nec Deus nec oratio intelligibilis eſt, vt poſteà dicemus.

Quædam emendant ſeu ædificant, quæ tamē nō intelligūtur. Quòd ſi verò de ſcibilium rerum ſcientia emendationis vocem intelligis (vt magis arbitror) æquè vana erit Maior tua propoſitio. Non enim, vti tu tibi perſuades, ſtolidéque fingis, quicquid non intelligitur, idipſum non emendat: cum Apoſtoli conſilium expreſſum & clarum ſit, dicentis: Si quis veſtrum indiget Sapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nō improperat; & dabitur ei: Sicut Salomon ſuo exemplo docet. Nam cùm dixiſſet quodā loco, ſe abſque fictione Sapientiam didiciſſe; alibi teſtatur, didiciſſe eam nō ex doctoris vulgò intelligibilibus verbis, ſine Deo, ſine oratione: ſed magis à Deo, ſine verbi prędicatione, eā conſecutū eſſe. Deus enim orationi eius reſpondens, ait: Quia petiſti ſapientiam, & ſcientiam, vt iudicare poſsis populū meum, ſuper quem cōſtitui te regem: ſapiētia & ſcientia data ſunt tibi. Quamobrem Rex ipſe eidem Deo danti hoc beneficium acceptum fert, & illius donum eſſe agnoſcit: Ipſe dedit mihi, inquit, horum ſcientiam veram, quoniam ipſe ſcientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. Rectè ac benè factum;

Iacob.1. *Sap.7.* *Oratio, medium acquirendæ ſcientiæ.* *2.Paralip.1.*

Audie-

Audierat enim à patre Dauide; quòd Deus doceat mites vias ſuas. Quos alio etiam loco beatos pronunciat, dicens: Beati quos tu docueris, domine, & de lege tua erudieris. De quibus Chriſtus in Euangelio loquitur; Erunt inquit omnes docibiles Deo. E quorum numero ille fuit vnus, qui dicit ſe Apoſtolum non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum; Vnctio enim docuerat eum, ſicut Ioannes dicit; Vnctio docebit vos; Vnctionem dicens Spiritus Sancti inſpirationem, propter rerum ſimilitudinẽ. Sicut enim pretioſum oleũ vni alicui corporis humani parti illitũ, totum mox corpus mirificè penetrat; ita Doctor ille veritatis, eum, quẽ erudiendũ ſemel ſuſcepit & aſpirando & in ſpirando totũ peruadit, cum eoque manet; Contritum eſt cor meum, inquit Hieremias; in medio mei contremuerunt omnia oſſa mea. Docet itaque ſiue emendat Deus, vt dictum eſt; docet Spiritus ſanctus; docet vnctio. Atque medium quidem huius doctrinæ conſequendæ eſt fidelis oratio. An fortè intelligis, Iacobe, vel docentem Deum, vel doctrinam hanc afflagitantem orationem? Equidem haud cenſeo. Primùm enim, lingua illa, qua ablactatos à lacte, auulſoſque ab vberibus docturum ſe pollicetur Deus, altera quædam lingua eſt, vt Iſaiæ

Pſal. 24.
Pſal. 93.
Gal. 1.
1. Ioan. 2.
Vnctio Dei docet.
Ioan. 14. & 16.
Hiere. 23.
Oratio intelligibilis, uerum docet.
Qua lingua, ubi, quomodo, & quos doceat deus.

vt Iſaiæ.28. legimus, quam non niſi paruuli & pauperes Spiritu, intelligunt. Deinde, locus doctrinæ huius non patet omnibus, ſicut nec omnibus eſt cognitus. Latet enim in abſcondito tempeſtatis; vbi Ioſeph quõdam de terra AEgypti exiens, linguam, quã
Pſal 80. non nouerat, audiuit. Huius loci deſide-
Iob.28. rio laborans Iob: Quis, inquit, eſt locus intelligentiæ? aut vnde venit Sapientia? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoq; cœli (angelos intelligit) non norunt. Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum eius. Quare in Ioãnis Euangelio Chriſtus dicit: Spiritus, vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Tertiò, non omnibus videndum ſe hic Doctor exponit; ſicut filius de patre
Ioan.1. teſtatur: Omnis qui audiuit à patre, & didicit; venit ad me: Non, quia patrem vidit quiſquam; niſi is, qui eſt à Deo: hic vidit pa-
Ioan.1. trem. Et Ioannes: Deum nemo vidit vnquã: vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit: Ibi Euangelicõ ſpiritu inuenitur Sapientia, inquit Ambroſius. Quartò, di-
Amb de in ſcipuli Scholæ huius nõ ſemper ſolent apud
car. uerbi ſe eſſe: ſicut Apoſtolus de ſe ipſo dicit: Siue
cap. 5. in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus
2. Cor. 12. ſcit, raptum huiuſmodi hominem, raptum in tertium cœlum; raptum in paradiſum. Et Hiere-

Hieremias: Factus ſum, inquit, quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius. Sic fidelis anima, ſponſa CHRISTI, per id, quod ad tactum eius venter intremuiſſet, & ad vocem eius anima liquefacta eſſet; intellexit quidem præſentem ſibi adfuiſſe ſponſum: Sed quando, & quomodo, aut vnde veniſſet, qua voce, quibuſúe verbis loquutus fuiſſet, quoúe abijſſet, non nouit: Surgens enim quæſiuit, quem dilexit; ſed non inuenit. Quamobrem non eſt intelligibilis hic Doctor, etſi doceat: Nec ſolum Doctor, verùm etiã diſcentium oratio: Nam quid oremus, inquit Apoſtolus, ſicut oportet, neſcimus: ſed Spiritus ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, adiuuans infirmittatẽ noſtram. Qui autẽ ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret Spiritus. Et Zebedęi filij cum matre audiũt; neſcitis, quid petatis.

Hier. 23. *Cant. 5.* *Rom. 8.* *Matth. 20.*

Quum ergo nec docens, nec verba docẽtis, nec modus, tum neq; noſtra oratio humanæ rationi ſint intelligibilia: tamen ab eo, ac per eam, & in virtutibus, & ſcientia rerum neceſsariò ſcibiliũ emendemur, doceamur, erudiamur: idq́ue multo meliore atq; perfectiore modo, quã à quouis homine: aliquid certè eſt, quod nõ quidẽ intelligitur, ipſum tamen emendat, docet, atque erudit.

Falſa eſt Iac. And. maior, quia eſt aliquid quod non intelligitur, uerum tamen docet, erudit atque emendat.

Quod

Quod ſi verum eſt, vt eſt maximè; ſequitur, id, quod maioris loco à te poſitũ eſt; Quicquid nõ intelligitur, idipſum neque emendat; verum nõ eſſe. Nam ſi verum id eſſet, ſequeretur, neque Deum emendare vel docere; neque per orationem nos emendari, aut diſcere; quorum vtrunque non intelligibile eſſe, per ſcripturas docuimus. Itaque nimirùm abuteris & tua licentia, & aliorum ſimplicitate; cùm imprudentium hominum animos conaris fallere verborũ præſtigijs, veritatis deſtitutus patrocinio: palamque oſtendis, iuſtas conſiliorum tuorum non habere te rationes, quibus, quod ſuades, perſuadeas & è re laborãtis Reipublicæ aliquid quod hactenus nemo ſanus cogitauit, ſtatuas, hoc eſt, Eccleſię ſtatum perturbes. Nam ſi iuſtas, & ſtabiles, & quæ apud prudentes valere debeant, conſiliorum tuorum cauſas habes, quorſum, dum fallacijs, & impoſturis, & fumis rerum inaniſsimarum aliorum luminibus officere conaris, illis quidem moleſtiam nequiter affers: te ipſum verò etiam fruſtrà inquietans in laboribus peſsimis defatigas?

Occupatio. Neque tamen, cùm noſtra confirmamus, tua in totum reijcimus (vti tu tuique ſoletis facere) quaſi omnia diuinæ inſpirationi aſſcribentes, Enthuſiaſtarum more, nihil verbi di-

bi diuini doctrinæ ſeu prædicationi tribu-
nus: Quanquam ſanè Deus, ſine vlla verbi *Verbum Dei*
prædicatione vbi, & quando, & quos opor- *docet.*
tuit quomodoque ipſi viſum fuit, vias ſuas
olim edocuit & poteſt idipſum etiamnum;
Non eſt id profectò noſtri conſilij, vt Hie-
remiæ verbis malè intellectis, peiùs allega-
tis, peſsima ſequuti exempla, hominibus
ſuadeamus, vt venditis, aut etiam proiectis
libris, ſcholas claudant, cancellos & ſugge-
ſtus in templis ad docendum deſtinatos de-
moliantur, doctos atque eruditos viros aut
ablegent, aut etiam eijciant, & vel omnem
laborem, animique & corporis opera, per-
inde vt improbitatem, auerſentur, ſomno-
que dediti, ſomniorum viſionis & phanta-
ſias, prophetiam, & verbum Dei iactitent: *Schiſmaticorum Enthuſiaſmus*
vel ſartoris, calcearij, aut piſtoris, manuarijs
opificijs ſeſe mancipent. Fecerunt hoc no-
ſtra memoria (id quod tu ipſe etiam non ig- *Nicephor.*
noras) tui homines, ne dicam præceptores: *lib. 11. Cap.*
Fecerunt olim Hæretici Dadoës, Sabbas, *14.*
Adelphius, Hermas, Simeones, atque alij:
Sed oſtẽdimus, ad populi in virtutibus, om-
nique honeſta actione profectum aut rerũ
ſcibilium cognitione, ad ſcientiam perfici-
endam, ſolam verbi prædicationem in tem-
plis veſtris minùs ſufficere; quam tamẽ vos
vnam, vt ſufficientem, ad omnia tempora

 vrgere

vrgere ſoletis: Cùm ſitis plantatores fortè & irrigatores tantummodò: &, vt ingrati agricolæ, eum, qui ſolus incrementum dat, vel reijciatis, vel ſine vobis certè nihil facere iudicetis; orationi nihil tribuatis, & ſi (ſi Deo placet) vt ſermo veſter, (ſermo ille valde inſtabilis) felicem progreſſum atque curſum ſortiatur orare ſoleatis. Si enim orationi verè id, quod æquum eſt, atque oportuit, tribueritis: Miſſam latinam, quantum nunc laborare videmini, non reijceretis: quoniam & in ipſa, ea, qua decet, fide, iuxta Apoſtoli doctrinam, atque pietate, à pijs hominibus, & ſacrorum Antiſtitibus, in Dei promiſſa confiſis, Pſalmiſtæ iuſſu CHRISTI mandato, atque Apoſtolica monitione inſtructis, Deo pro Magiſtratu, pro omni populo, pro Eccleſia, pro omnium ordinum commodis, & vtilitate, atque felicitate, & temporaria, ſi quæ eſſe poſsit, & æterna ſupplicatur: vt nimirùm reſpicere pius & miſericordia abundãs pater dignetur in multorum cæcitatem, in mentium tenebras atque caliginem vt pectora viſitet, diuino & ſpiritali amore algida tantumque non iam congelata: perque IESV filij ſui ſeruatoris noſtri ſanguinem, (cuius illic celebratur memoria) piorum corda benignus cuſtodiat; detq; ſpiritum ſapientiæ, & reuela-

Latina oratio pro omni Statu fit ad deum. *Iac.* 1. *Pſal.* 141. *Matth.* 18. *Ephe.* 1. *Col.* 1. *Tim.* 2.

& reuelationis, & illuminatos cordis oculos, in agnitionem ſui, ſciant, quę ſit ſpes vocationis filij ſui, & quæ diuitiæ gloriæ hęreditatis ſuæ in ſanctis, & quæ ſit ſupereminēs magnitudo virtutis ſuæ in nos, qui credimus, Deum precatur, (ſiue populus intelligat, ſiue non:) aut exauditur certè oratio precantis, ſequiturq́ue effectus in ijs, pro quibus orat: aut non exauditur, neque ſequitur vllus effectus eius rei, quæ poſtulatur. Si exauditur (iam ergo conſtat, quam iniquè tu, tuiq́ue ſimiles, tantorum bonorū tam efficax inſtrumentum atque medium ex piorum hominum manibus excutere conemini) conſtat, quàm tuæ rationes cum pietate, cumq́ue verbo Dei pugnent, quibus Eccleſiam ſacrificio, ſubſtantia ſanè Religionis, homines autem ipſo ſalute æternaq́ue beatitate ſpoliare conaris: Si verò (quod abſit) non exaudiatur; ſequitur, fideles Germaniæ populos ab eo olim tempore, quo primum fidem cultumq́ue Dei ſuſceperunt, DEVM nunquam verè inuocaſſe: cultum eos impium, Deoq́ue inuiſum, imò abomniandum, propter idololatrię crimen, quod vos ineſſe ſcelerate conſtituitis, agitaſſe; neminem eorum, qui in Germania vixerunt ante hæc noſtra tempora, ſalutis participem fuiſſe;

Dilemma.

omnes perijſſe. Id quod cogitatu tremendum, dictu fuerit horrendum & miſerabile.

Refutatur excuſatio ſchiſmaticorum de Patrum ignoratione.

Neque enim hîc tua pro maioribus noſtris ſuſcepta excuſatio quicquã valet, quòd meliora, hoc eſt, quę vos ſub verbi Dei Euangelico mendaciter venditatis titulo, ignorarint, neque eis, ſi quid ad voluntatem Dei minus dextrè fecerint, ad iudicium reputari. Nemo enim, crede mihi, ab earum rerum, quę ad ſalutem neceſſariò ſciuntur, ignorantiæ pœna, te procuratore, abſoluitur.

1. Cor. 14. Scriptum eſt enim: Qui ignorat, ignorabi-

Matth. 25. tur. Sunt res neceſſariæ, cultus, & inuocatio; & quaſi Religionis ſubſtantia exiſtimantur.

Matth. 10. Neſcientibus procul dubio reſpondebit

Non eſt neſciendum. Chriſtus Ieſus: Neſcio vos: oportet enim & confiteri intellecta, & intelligenda cognoſcere. In omnibus libris, lectionibus, concionibus veſtris, populo religionis etiam difficillima & abſtruſiſsima quæq; (ſi quid tamen difficile, & non magis omnia nuda atque aperta, etiam lippis & tonſoribus, apud vos eſſe proclamentur) cognitu neceſsaria ad ſalutem edicitis, deque omnibus populo iudicium, ſub horrendæ atq; æternę damnationis pœnis, defertis atq; decernitis, Hoc ſi ſeriò atque neceſsariò facitis; quomodo quaúe ratione ſuperiorum temporum inſcitiam excuſatis, qui horum temporum igno-

rantiam

rantiam accuſatis?An tempus præſens excuſationem non admittit,admiſit præteritum? Sed nõ fuit illis prædicatum,inquies,Quid? an non vides,eodem te modo excuſare & Gentes,paganos,omneſq; adeo infideles, quibus & ipſis prædicatum non fuit?Quid ergo Chriſtus edicit?Qui non crediderit, condemnabitur. Sed,tuo more, narras prædicatum maioribus non fuiſſe.Atqui habuerunt biblia ſacra;& habuerunt, vti vos habetis,ſed incorruptiora,& integriora,neq; ita mutilata, & truncata, & pannoſa, vti veſtra ſunt;habuerunt Miſſas:è quarum diligenti attentione,& deuotione circa res,quæ tractantur,plus diuini ſpiritus & doctrinæ verè Euangelicæ,quàm vos, ex illo indeſinenti ſacrorum ſermonum garritu,percipiebant: habuerunt diuini verbi explicationes & interpretationes, quæ habentur etiãnum. Nobis ea cuſtodierunt,vt pretioſum theſaurum;nobis ea tradiderunt & commẽdauerunt: Neq; enim à nobis proceſsit Euangelium Dei,aut à nobis exortum eſt. Si quid illi non audiuerunt,quod modò veſtri audiunt,ſi quid veſtri intelligunt modò,quod maiores noſtri non intellexerunt, quiduis id potiùs eſt quàm Dei Euangeliũ: quoniam Dei Euangeliũ habuerunt,& cognouerũt,& ad illius pręſcriptum rectè,piè,

Mar 16.

Maiores noſtri poſſederunt biblia ſacra,Miſſas,prædicationes.

Biblia à Maioribus ad nos integra ac ſancta venerunt.

ſanctequе crediderunt & vixerunt. Contulerunt illi cum biblijs Miſſam, atque doctrinam ſuam: nihil repugnans in ijs inuenerũt, ideoque & interfuerũt; & præſentia ſua cultum Deo gratum, hominibus neceſſarium, peregerũt, honorarũt, confirmarunt. Quòd ſi cum ſacris literis & doctrinam, quam ſecuti ſunt, & cultum diuinum, Miſſam, dico, non contulerunt; accuſabit eos negligentia ipſorum: quia quod (veſtro iudicio) facere debuerunt, non fecerunt. Si contulerunt, & quid repugnans inuenêre; maior etiam eorum condemnatio erit; quia cultui, cum biblijs, cum verbo Dei pugnanti interfuerunt eumque confirmarunt contra conſcientiam: Neque enim ij ſolùm morte digni ſunt, qui faciunt, ſed & qui facientibus conſentiunt: ſicut olim non ſolùm Iudas Galilæus, cuius in actis fit mentio, occubuit, ſed & qui cum eo conſenſerunt, ſimul cum eo perierunt. Sed neutrum tu, qui ingratus, & improbus, imò impius es in maiores tuos, in religionis noſtræ ſacroſanctæ fundatores, in matrem Eccleſiam quæ progenuit, vnquam probare poteris: neq; tantum omnes tui animi corporiſque vires, valebunt, vt non potiùs te imprudenter & nefariè mentiri, quàm illos criminis intentati conuiciſſe, omnes boni ſint iudicaturi. Quam ob rẽ, Iacobe,

Rom 1.
Act. 5.

Iacobe, aut Miſſam non damnatam nobis relinque, vt ſimul & Maiores noſtros *Matth.7.* contra Chriſti pręceptum non condemnes: aut ne Maiores excuſes, qui Miſſam (eorum, quos excuſas, cultum) accuſas. Alte- *Conceſſio.* rum enim horum tibi faciendum eſt neceſſariò; aut tertium aliquid confinge; vti in cauſis deſperatis nihil non audes; & chimæras malis fingere, ne nonnihil dicere videaris, quàm cauſa cecidiſſe iudicari; vt dicas nimirum, Maiores noſtros, quos tu excuſas, placando exorandoúe Numine, alio ſacro, alia Miſſa fuiſſe vſos; Verùm cùm ne hoc quidem poſsis; agnoſce væſaniam tuam; compeſce fuorem, calumniandiq́; comprime libidinem. Stultum eſt enim, ſi de rebus, quas neſcis, antequam interrogaris, reſpondeas.

Si iuſta eſt commutandæ linguæ ſacrorum in hậc vel illam cauſa; omnes Germanos ea res tangit, imò omnes aliarum nationum populos, in quibus Chriſti nomen ſonat, quibus & ipſis non vulgari lingua ſacra fiunt; Nec tuum eſt; aut etiam paucorum, vt iniuſſus communẽ tot populorum cauſam agas tantam, in eaque vulgo quaſi iudicium deferas, in quo perrarò ſana ſolent eſſe conſilia. Si tamen te procuratorem loco conſtituis omnium, quo iure, quoúe ea tibi

In Eccleſia mutare ſermonis genus non pertinet ad ſchiſmaticos.

Iac. And. uſurpat officium ſine mandato.

authore conceſſa facultas ſit,oſtēde. Vnum hoc nobis conſtat, in religionis cauſa, & ad miſſas faciendas Miſſas, bonam Germaniæ partem te ſuum procuratorem non agnoſcere; ſed in eorum reponere numero,de quibus in Prophetis dominus cōqueritur: Cur-
Hier.23. rebant,& ego non mittebam eos:Propheta-
Pſal.49. bant,& ego non loquebar ad eos.Et in Pſalmis; Quare tu aſſumis teſtamentū meū in os tuum? Piæ igitur mentes in eam tuā proter-
Qui & quales ſint quibus nouatio placet. uam poſtulationem conſentire nō poſſunt, niſi ſeſe priſtinæ pietatis auitęq; virtutis deſertores declarare non erubeſcant. Neque
Act.17. enim omnes Germani Athenienſes ciues vel aduenæ ſumus; vt quod de illis Apoſtolorum geſta teſtantur,nulli alij rei vacemus, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui: ſed
Deut.4. ad beata Maiorum noſtrorum tempora re-
Hier.6. ſpicimus; deq; antiquis vijs interrogamus,
Iob.12. in quibus maiores noſtri benè beateq; ambulauerunt. In antiquis enim inuenitur ſapientia ,Iob teſte. Quin inter tuos etiam inuenies,quibus tuæ tuorumque næniæ & ineptiæ minus arrideant, cùm de Miſſa diſpu-
Vrb.Regius. tationem inſtituitis.Lege enim,quam Anno 36. Auguſtæ querimoniam moueat Vrbanus Rhegius:Multos eſſe, qui cùm de Miſſa tractant, ſine delectu, ſine doctrina blaterent; nempè, eſſe Miſſam abominationem

Deo;

Deo; ſub pœna amiſsionis æternę ſalutis ab ea eſſe fugiendum; Sacrificos in Miſſa denuo Chriſtum crucifigere; Miſſam omninò nullum eſſe ſacrificium; ſed Papæ eam eſſe commentum, & inuentum, &c. Et his verbis abrumpere ſermonem, ſine vlla declaratione; quamobrem fieri, vt vulgus hæc tantùm verba audiens, quæ lacera ſint, & ad ædificationem nihil faciant, nihil eſſe reliqui boni in Miſſa exiſtimet, occaſionemq́; arripiat etiam cænam, tanquam nullius rem momẽti, deniceps negligẽdi. Hæc ille. Qui ijſdem verbis atque querelis aduerſum te quoque nunc, ſi ſupereſſet, conſiſteret; vt in quo ſimilem reprehenſionis cauſam, ex non abſimili errore atq; imprudentia, fortaſsis etiam maiorẽ animaduerteret. Quid enim aliud eſt, quod moliris? cùm (vt tuis verbis vtar) lauantem ſimul cum lauachro per imprudentiam eijcere, & hoſpitẽ cum epulis per feneſtras gradúſue per inſaniam conaris deturbare.

Scilicet omnia quę in myſterijs aguntur, patria lingua neceſſariò ſunt peragẽda, quia Paulus dicit: Si benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? Quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. Quis hic hominis ignorantiam non videt? Scilicet ſibijpſi contrarius eſt atque repugnat Apoſtolus, idq́ue vno eodemq́ue

Tertius Apoſtoli locus male à Luc. And. allegatus.

demque capite? in quo modum & ordinem præſcribit, quo in Eccleſia loquendum ſit linguis, atque, vt id fiat, optat, ac ne quis prohibeat, vetat: Et quod ille de parte aliqua liturgiæ dicit, nimirum de benedictione, quomodo, ad totam liturgiam trahi poteſt ſine dolo? Nam benedictionem hîc non totum id, quod ſacerdotis ore profertur, ſed partem illam myſterij intelligimus, qua ille populo bona precatur, & ſuper qua populi conſenſus requiritur, vt Amen reſpondeat. Cuius generis cùm non ſint omnia, quæ in Miſſa dicuntur leguntur úe; non neceſſarium, vt; eam ob cauſam omnia ad populi intelligentiam perueniant; atque ideo iſtis Pauli verbis nihil ad inſtitutum tuum agis. Etenim neque vna tantum eſt Miſſa, quæ, vulgò vna eſſe putatur; neque ea, quæ propter excellentiam hoc nomine propriè ac verè digna cenſetur, vnius generis eſt. Eſt enim alia Catechumenorum Miſſa, alia pœnitentium, alia communicantium. Sic Honorius totam illam Liturgiæ peractionem diuidit in obſecrationes orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones. Thomas ſimiliter in preparationem, inſtructionem populi, oblationem, & communionem: Adde etiam gratiarum actionem, ſeu benedictionem. Et in his omnibus non

Partem Iac. And. pro toto ponit.

Miſſa non vnius generis.

Hono. lib. 1. cap. 112.

Thom. parte 3. Quaſt. 83. Art. 4.

vnus

vnus ſolummodò Pontifex aut ſacrificans loquitur; ſed poſt & ante eum iam Diaconus, iam Subdiaconus, iam reliqui miniſtri, & chorus; ſed neque id quidem vno in loco; Iam enim ad altare ſacrificij, iam ad altare oblationis populi, iam in medio populi, iam in ambitu; atque cancellis. A quo etiam Rabanus non diſsentit.

Et Auguſtinus alibi ſcripſiſſe legitur; quòd Miſſa non eſt tunc, quando diuinæ lectiones recitantur, ſed quando fit conſecratio. Et poſt communionem quidem, vel inter communicandum, à populo ad benedictionem Pontificis acclamatum olim fuiſſe, Amen, idem Auguſtinus alio loco teſtis eſt, Sanguis Abel, inquit ſignificat ſanguinem CHRISTI; quo vniuerſa Eccleſia accepto, dicit Amen. Nam qualem clamorem faciat vniuerſa Eccleſia, dum potatur ſanguine CHRISTI, dicit, Amen; tu ipſe, ſi potes, conſidera. De hac igitur benedictione, quæ pars Miſſæ eſt, ſi Apoſtoli locum intelligimus, manifeſtum eſt, iniquè ad totam trahi, quod ille de parte voluit intelligi. Legat, qui volet, de hac re Iuſtinum Philoſophum & Martyrem in ſecunda Apologia ad Anthonium Imperatorem: legat Tertulianum in Apologetico aduerſus Gentes; Inuenient, Chriſtianos ſępe illis tem-

Rab. de Inſtit. cleri. lib 1. cap. 33.
Auguſt. in ſermoni. Sermo. 19.
Ad Quæſt. Oroſij. 49.
Benedictio pars Miſſæ.

temporibus conuentus ſacros habuiſſe, non ſacrificandi ſemper, ſed aliquando etiam, & quidem ſæpiùs, comprecandi, & Pſalmos hymnoſque dicendi cauſa, quando tamen ſacrificium celebratum nòn fuit; Id quod ſupra etiam de ſicca Miſſa diximus. Sicut in multis locis ad agapen quoque conuenerũt. Certè Tertullianus, antiquiſsimus ſcriptor, innuit, diuiſis tẽporibus, ſua ætate, vel ſacrificium oblatum, vel dei verbum prædicatũ fuiſſe. Et cantici quidẽ tempore, hymnorumque modulandorum, Pontifex à diuino altari ad populum exire conſueuerat, ac plerumque in medio conſiſtere, vel præire. Cuius Dionyſius teſtis eſt locupletiſsimus; Nos igitur, inquit, vt arbitror, intra ſancta eſſe debemus, nudataque & aperta primi ſigni intelligentia ſpiritali, diuinam eius pulchritudinem intueri, Pontificemque ipſum aſpicere, à diuino altari vſque ad extremum templum cum dignitate profectum, atque ad illud ipſum, perficiendi ſacri ſtudio, reuerſum. Hæc ille; Quin demus tibi etiam hoc, Iacobe, ſub ſacrificio chorum populumque concinuiſſe nonnulla, quorum è numero ſit, quod Marcus Pont. Max. Conſtantini temporibus inſtituit, vt Nicenum Symbolum fidei, poſt Euangelium, à clero atque populo magna voce cantaretur. Id quod

Conuentuũ celebrandorũ plures apud veteres cauſæ.

Tert. de cult. fœm.

Dion. in cõtemp. capitis, de collectione.

Conceſsio.

In uita Mar. Pont.

quod etiam in Chryſoſtomi Liturgia obſeruatum videmus. Cuius generis ſit etiã triſagium illud,& quædam alia; Tamen ne hæc quidem ad ipſam ſacrificij ſubſtantia pertinuiſſe,ex eo manifeſtum eſt, quod Dionyſius teſtatur, ſacrificij tempore, Pontificem ad medium altaris,ſolis ſacerdotibus & ſelectis miniſtris circumſtantibus, conſiſtere, ac pleraque ſecretò dicere; idq́; clauſis chori,in quo eſt ipſum ſacrificij altare,ianuis. Et ad diuinorum quidem cantuum modulationem omnes ferè admiſſos;ad ſacrificij verò peractionẽ non niſi pauciſsimos dicit. *Dionyſ. ubi ſupra.*

Sed perge tu tamen adhuc, ſiſque non vocatus populi Germanici Aduocatus; dic, neceſsarium eſſe,vulgo vt omnia ſenſu percipiantur,quę Liturgus loquitur.Num ideo mutandum ſuades ſermonis genus in Miſſa?Dictum eſt ſuprà,è re eſſe Catholicæ veritatis, vt in myſterijs & diuinis alijs officijs latina in Romana vniuerſali Eccleſia conſeruetur lingua,quòd mutata illa,alijs nationibus profuerit nihil, obſit etiamnum plurimùm. Verùm ſi te,ac quemuis alium,tantus tamen amor tenet earum, quæ in ſacrificio ad altare fiunt dicunturúe, rerum cognoſcendarum, & ſola linguæ imperitia tantum bonum impedit:age,diſcite, quam non nouiſtis,linguam:ſi non ſemper, nec omnibus *Germanicæ Aduocatus Iac. And. non uocatus.* *Regeſtio.*

ex ęquo

ex æquo datur in ſchola; ſitis ſaltem frequentes in Eccleſia, Diſcite vel ſenes, quod Catholicorum nôrunt pueri; recuperate in hac, quod per vos neglectum fuit in illa; Quoniam, Honorio & Innocentio teſtibus, olim etiã paſtores & bubulci ex quotidi ana recitatione verborum myſterij, quid in Miſſa agatur, didiciſse, miraculis comprobatum eſt. Quod olim paruo ſtudio à rerum imperitis factum fuit, idem fieri poteſt etiamnum à rerum ſtudioſis. Quin in bullam auream reſpicimus? In ea præciditur, vt Germaniæ procerum filij in Latina lingua erudiantur, quoniam ita Imperij ſalus poſtulat; Vt latina lingua in Germania, propter Imperij ſalutem, mutaretur, aboleretur ue, non præcipitur. Quod illis difficilè non fuit, neque graue ob terrenæ aulæ negotia, idipſum laboris recuſare ob cæleſtis regni commoda, reliquam Germaniæ ſobolem pudeat. Si nõ pudet inertiæ, piget verò tantilli laboris; in alienam meſſem falces veſtras ne immittite; Eccleſiæ ſuam conſuetudinem relinquite; veritatis retinendæ ac conſenſus ſtudium illi non inuidete. Meminit Apoſtolus, alicuius præſentiam neceſſariò requiri, qui in myſterijs idiotæ locum ſuppleat; quaſi tum demum vulgi cuiuſque linqua loquendum ſit in Eccleſia, quando nemo adeſt, qui latina lo-

Honor. in Gen. animæ lib. 1. cap. 103. de canone.

Inno. 3. de ſacro alt. myſt. lib. 2. cap. 1.

Bull. Caroli Quarti Norimbergæ anno 1356. Circa finẽ.

na loquens, vulgi locum ſuppleat; Sed Eccleſiæ decreto, toties iam repetito, eſt in quolibet ſacro, vt minus dicam, vnus atque alter, qui idiotæ locum ſuppleat, & ad ſacrificantis benedictionem populi vice, Amen, reſpondeat. Quod cùm ita ſit; ipſe, ac ſolus quidem Apoſtolus, omnem, hac de re controuerſiam ſuſtuliſſe videbitur. Atque hæc quidem de eo, quòd latina lingua ſacrificium Eccleſię Catholicæ in Germania ſit peragendum, prolixius aliquanto, quàm propoſueram, dicta ſint.

SECVNDVS ARTICVLVS.

DE TRANSVBSTANTIATIONE PANIS AC VINI IN CORPVS *ac ſanguinem Chriſti: Deq; eiuſdem veritate ſub panis ac vini ſpecie.*

IAm vero vbi perfecta pænè carnis diſpenſatione aſſumptæ patris ſui omnipotentiam ac voluntatem hominibus in Mundo bene operando docendoque mamifeſtaſſet CHRISTVS IESVS ſeruator noſter, *Ioan. 17.* ſciés, quia hora eſſet vt tranſiret ex hoc Mundo ad patrem, priuſquam humanis ſeſe ſubtraheret oculis, eorumq; in terra peregiſſet, mox-

moxque paſſurus eſſet, mirabilium ſuorum admirandam ijs, quos in mundo dilexiſſet, facere, ac poſt ſe relinquere (vti & in Pſalmis olim prædictum de ipſo fuerat) memoriam voluit; qua credentes in ipſum, ſalutẽ, quam ipſo Authore conſequuti erant, iugi grataque mentis recordatione apud ſeſe cõſeruarent, palamque foris toti mundo teſtificarentur: ac nouum hominem induti, ſine hoſtili mortis formidine, Deo ac ſeruatori, non ſibi viuerent, eique in omni ſanctitate & Iuſticia per reliquum vitæ tempus ſeruirent. Ergo, cùm ſicut ab ęterno in diuinitatis ſuprema mente illa atque prouidentia diſpoſitum diſpoſitioneque prouiſum erat, quo Authore, quo modo, atque ordine humanum genus originali delicto captiuum redimeretur, redemptumque ſaluaretur: Ita etiam in eadem peculiaria quædam ac huic rei propria prȩordinata erant media; in quibus adeptȩ ſalutis noſtræ Deo grata ac Credentibus omnibus frugifera conſeruaretur memoria: ea ipſa, qua tradebatur nocte cum duodecim diſcumbens, abſumpto, quẽ antiquȩ legis traditio olim propoſuerat, agno. Exod. 12. ne quid omnium, quæ in lege atq; prophetis de ſe prȩdicta intelligebat, prætermitteret; ſacerdotium, quod ſecundum ordinem Melchiſedech, deſcribitur: aſſumit,

Pſal. 110. & 114.

Cur Chriſtus cœnam inſtituit.

Luc. 1.

Ab æterno præordinata fuerunt media in quibus memoria paſſionis Chriſti conſeruaretur.

Sacerdos Melchiſedech typus Chriſti.

mit,& longe ante Moſen frequentata Sacramenta repetit renouatque, patriſque æterni Iuramento ſecundum Melchiſedech ordinẽ *Pſal.109.*
ſacerdos olim declaratus, dicẽte Pſalmiſta: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, hic panem profert & vinum, omnipotentiaque verbi in corpus & ſanguinem ſuum ea tranſmutans, filijs Abrahæ, fa- *Ioan.8.*
cientibus opera eius, ſummus ſacerdos in cibum & potum propinat,

Multa quidem & alia per hæc ſacramenta inſinuantur abſcondita: vt, legem Moſi datam eſſe, non quæ perpetuo frequentata conſtaret, ſed quę ad definitum tempus tam multis atque diuerſis mactationibus ſacrificijsque (iudicis in modum) in eum porro, qui non alieno, ſed proprio ſuo ſanguine æternã ac plenam toti Mundo redemptionẽ operaretur, demonſtraret, Ieſum Chriſtum. Deinde eundem redemptorẽ, medium eſſe, non inter Deum ſolùm atque homines, 1. Timo. 2. ſed inter homines quoque ipſos, Iudęos atque Gentes. Rom. 10. medium maceria parietẽ ſoluentem inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuantem, vt duos condat in ſemetipſum Eph. 2. poſtremò etiam, quia pater teſtatur de filio, eſſe eum ſacerdotem ſecundum ordinẽ

Chriſtus ſacerdos ſecũdum ordinẽ, Melchiſedech, Cur.

Melchiſedech; hoc ipſum filius in hac Cœna de ſeſe interpretari atq; declarare voluit, ne quis alterius poſtea ſequẽtis Meſsię expectationẽ laboraret. Neque enim vſpiã ſacra ſcriptura docet, Chriſtũ alibi præter hãc cænã officio ſuo ac nomini ſacerdotali ſatisfeciſſe: Verùm præter hęc tria, atque id genus alię, præcipuè tamẽ hac peractione formam Chriſtus atq; exemplar tradidit, quo modo quaq; ratione vitæ mortisq; ſuæ tã ſalutaris memoriam apud fideles populos ſuos velit cõſeruari: Nec vllum aliud externum ſacrificium à ſuis frequentandũ, præter id, cuius ipſe & Author & ſacerdos, & hoſtia, & Deus idẽ ſit: qui quod offertur, cũ patre ſuo Deo & ſpiritu ſancto ſuſcipit. Hãc ob rem etiam Melchiſedech in multis typus quidam fuit atq; figura venturi tũc domini ac ſacerdotis Chriſti Ieſu. Introducitur enim ſacris literis ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, Gene. 14. Ita & Chriſtus ſine patre in terris, ſine matre in cœlis, filius deſcribitur. Pſal. 2. Mat. 1. Heb. 1. Et Iſaias clamat de genealogia eius generationẽ eius quis enarrabit? Iſa. 53. Deinde Melchiſedech ipſa nominis ſui ratione rex Iuſticię deſcribitur, He. 7. Ita & Chriſtus ipſe factus eſt Iuſtitia noſtra, 1. Cor. 1. Ac tertio, Melchiſedech etiã rex ſalem, hoc eſt, pacis nominatur rector, Heb. 7. Ita & Chriſtus

Vnicum ſolenne Chriſtianorum Sacrificium.

ſtus ipſe factus eſt pax noſtra, Eph. 2. Quartò, Melchiſedech neque initiũ neque finem tẽporis vitęq́; inuenitur habere, Heb. 7. Ita & Chriſtus ipſe eſt principium & finis. Apo. 1. &. 22. Ioan. 1. Pſal. 109. Quintò, Melchiſedech ſacerdos eſt omnipotentis. Geneſ. 14. Eiuſdem ordinis etiã Chriſtus eſt. Pſal. 109. Sextò deniq; ſacerdotiũ Melchiſedech conſtat in pane & vino, Geneſ. 14. Ita & Chriſti ſacerdotiũ panẽ habet & vinũ, materiã. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 6. 1. Corinth. 11.

Cùm autẽ in hoc ſecũdo Articulo huius libelli de hac ipſa materia ſacrificij ſacerdotis Chriſti ſit tractandũ; ex horum Euangeliſtarũ atq; Apoſtoli teſtimonijs diſcamus modum & formam, quibus verus ac ſummus ſacerdos ſacrificium ſuum in Cęna perfecerit atque materiam eius tractauerit, nihil præter vnam totius negotij veritatẽ quęrentes. *Summa ſecũdi huius Articuli.* *Euangeliſtæ & Apoſtoli de Cœna qui ſcripſerunt.*

Et Matthęus quidẽ ita ea de re teſtatur 26. cap. Cænãtibus autẽ eis, accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditq́; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meũ. Et accipiens calicẽ, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽti, qui ꝓ multis effundetur in remiſsionẽ peccatorũ. *Matthæus.* *Marcus.*

Mar. 14. Manducantib. illis, accepit Ieſus panẽ, & benedicẽs fregit, & dedit eis, & ait. Su-

mite,hoc eſt corpus meũ. Et accepto calice gratias agens, dedit eis:Et biberunt ex illo omnes.Et ait illis:Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti,qui pro multis effundetur.

Lucas. Lucas 22.cap, Et accepto pane, gratias egit,& fregit,& dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur:Hoc facite in meã commemorationem. Similiter & calicem,poſtquam,cœnauit,dicens:Hic eſt calix, nouum Teſtamentum, in ſanguine meo,qui pro vobis fundetur.

Ioannes. Ioannes 6.cap. Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis:Qui mauducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die : Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.

Paulus. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur,accepit panem, & gratias agens fregit,& dixit:Accipite, &manducate; Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur;Hoc facite in meam commemorationem.Similiter & calicem, poſtquam cænauit,dicens;Hic calix nouum Teſtamentũ eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcunque bibetis in meam commemorationem:

Quo-

Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annunciabitis, donec veniat; Itaque quicunq; manducauerit panẽ, & biberit calicẽ domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini, probet autẽ ſeipsũ homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè; iudiciũ ſibi manducat & bibit; nõ dijudicãs corpus domini.

Liturgiæ Occidentalis Verba.

Addamus hic ex his Euangeliſtarũ, Apoſtoli, & ſpiritusſancti teſtimonijs conflatum Eccleſiæ teſtimoniũ, in omnibus Latinę liturgię codicibus ſcriptũ; Qui pridie quàm pateretur (de Chriſto enim loquitur) accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas; & eleuatis oculis in cœlum ad te Deũ patrẽ ſuum omnipotentẽ, tibi gratias agẽs, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens; Accipite, & manducate ex hoc omnes; Hoc eſt enim corpus meum. Simili modo poſtquam cęnatum eſt, accipiens & hunc pręclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas; Item tibi gratias agens, benedixit, dedit, diſcipulis ſuis, dicens. Accipite, & bibite ex eo omnes; Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorũ; Hęc quotienſcunque feceritis, in mei commemora-

tionem facietis. Vnde & memores nos tui ſerui, Domine, ſed & plebs tua; & quæ ſequuntur.

Diſtributio eorum in ſupra dictis ſcriptoribus ſcripta ſunt.

Hæc teſtimonia, ita vt in libris ſacris atq; Eccleſiæ toti mundo expoſitis ab omnibus leguntur integra, quaſi totius concertationis fundamentũ, huc apponere volui. Oſtẽdunt enim & ſacerdotem ſummum, Chriſtum, & materiam, ſeu quaſi materiam, panem & vinum: & formam, quid, & quo modo Chriſtus fecerit dixeritúe; & finem ad quem omnia referenda ſint: Adde etiam locum, & tempus, & Apoſtolos, vbi, & quãdo, & quibus præſentibus hæc facta credentur. Hoc igitur fundamentum, Andrea, tibi perinde, atque mihi, adeoq́ue omnibus hominibus patet: ſufficiens prorſus, cui non tua modo, meaq́ue, ſed totius etiam mundi fides atque confeſsio innitatur, innixa ſolidetur, ſolidata, ab ipſo authore Deo comprobetur, comprobata, etiam ab hominibus vel ignorantibus olim ſuſcipiatur, vel à ſuſcipientibus defendatur: Tantum verò, ne quis noſtrum vel opinione vel ratione ſua altius in his profundiſsimis & omnium hominum ſapientiam excedentibus myſterijs tranſcẽdat, quàm vbi fides Chriſtiana incipit & terminum rationi præſcribit. Qui enim ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria, Prouerb, 25.

uerb.25. Tentat enim nos Dominus Deus noſter, vt palam fiat, vtrùm diligamus eum, & verbo ipſius inhæreamus, an non, in toto corde. Deut.13. neque laudis quicquam Caphernaitæ reportant, quod ſecus, quàm veritas ipſa poſtulat de hiſce myſterijs loquuntur & ſentiunt, Ioan.6.

Huic itaque fundamento ac ſacrarum literarum teſtimonijs tuum, Andrea, ſecundum Articulum iuxta comparemus, &, ſi ignitam veritatis probationē ſuſtineat, (quoniam tam multa de tua proba in tuo libello gloriando narras artifex, nō aurifex) diſquiramus. Non autem, lector, ſicut in primo Articulo extra propoſitum quaſi tollere conatus eſt latinam linguam vellicando, quâ Miſſæ liturgia peragitur; ita hoc in ſecundo etiam: ſed hîc ipſam Miſſæ ſubſtantiam inuadit, in eaque horribili dementia furioſus graſſatur; petulantique lingua blaſphemus Diabolicum virus vetus quidem: illud ſed nouus tamen adminiſter, expuit. primùm enim rapaces manus in propoſitum panem & vinum inijcit: vult enim panem & vinum ab effectu potentię operantis atque verba ſanctificantia proloquentis, ſubtrahere, vt ſint quemadmodum ante, ita etiam poſt conſecrationem, ſine vlla ſui mutatione, panis & vinum, cum quibus corpus & ſanguinem

Conatus Andreæ im potēs in hoc Articulo.

I.

II. domini vulgus propinatum ſibi accipiat. Deinde, ad mutationem rerum propoſitarũ in aliud perficiendam, nihil valere ſacerdotalis characterem ordinis, nihil intentionẽ rectã prodeſſe ſacrificantis. Tertiò deniq;,

III. Chriſti verba, quibus ſacrificans, tanquam ſolẽnibus, ad altare ſacris operatur, partim trãſpoſita, partim prorſus ſublata, partim adiectione aliarum vocum auctiora eſſe, reddita contendit. De his igitur tribus cùm pręſenti nobis tractandum ſit Articulo, primo loco dę pane ac vino, tanquam ſacrificij materia, inquiramus.

Materia in Sacrificio panis & uinum, quare. Principiò ergo, quod panis & vinum in Sacrificio ad altarę adhibeantur, omnes libenter fatemur. Eadẽ certè etiam Chriſtus ſummus noui teſtamẽti ſacerdos & Author myſterij, adhibuit, atque primus in ſacra Cęna tractauit; Idq́ue non ſolùm, quia Melchiſedeci in veteri Teſtamento antiquiſsimus ea ordo efflagitaret; verùm etiam ideo in aliena ſpecię carnis & ſanguinis ſui myſteria tractat, vt fides habeat meritum, quæ de his eſt, quæ non videntur; Ideo in quotidianis cibis, vt non ſit difficultas in acquirendo; Ideo in terræ frugibus, vt demõſtraret, quia ad hoc venerat, vt illam maledictionem auferret, qua maledicta eſt terra propter primi hominis peccatum; Ideò in eis rebus, quæ *Aug. ſuper Ioan, 6, cap.*

ad vnum

ad vnum aliquid rediguntur ex multis, in pane & vino; vt nos pacis atque vnitatis commonefaceret. Sicut enim panis vnus ex multis granis condenſatur, vinum vnum ex multis acinis confluit; ita multi vnum corpus, imò, dicente Apoſtolo, vnus panis ſumus, omnes, qui de vno calice & de vno pane, participanus. 1. Corinth. 10. Ideò in quotidiano hominum cibo ac potu, vt nullus ſit horror cruoris; & tamen pretium operetur redemptionis, & ipſa ſpecies inuitaret ad communionem. Verùm quod dicit panem hunc & vinum, poſt conſecrationem factum, in prima ſua ac naturali ſubſtantia, ſine vlla ſui tranſmutatione, perſiſtere, aut Chriſtum cum ipſo pane atque vino corpus ſimul ſuum & ſanguinem tradidiſſe Apoſtolis, ita vt alia ſit res caro & ſanguis Chriſti alia verò panis ac vini in ara poſt conſecrationem ſubſtantia, dum vel à miniſtris porrigitur, vel à fideli populo ſumitur: Hoc nõ Scripturarum te docet veritas ſed manifeſti erroris confinxit prauitas. Quam ob rem cùm Magiſtrorum tuorum, Andrea, hoc ſit axioma, in fidei negotio nihil ſuſcipiendũ, nihilque credendum, niſi quod propheticis atque Apoſtolicis Scripturis expreſsè traditum ſit; Non mutari autem panem & vinum in altari poſt conſecrationem: ſiue, corpus

Amb. de Sacram. lib. 4.

Duo errores circa hanc materiam.

Andreas cũ ſuis proprio gladio iugulantur.

Axioma Lutheri.

& ſanguinem Chriſti cum pane & vino ſimul porrigi ac ſumi, nuſquam in propheticis aut Apoſtolicis ſcripturis expreſsè ſit traditum: haud facilè ſanè adducar, vt credam ſeriò te id, atq; ex mentis tuæ (ſi qua tamen tibi eſt) ſententia ita ſentire, quod in Sacris Scripturis nuſquam vel ego vel tu ipſe poſſimus inuenire. Si tamen (quod minimè reor) verè ita, vti præ te te fers, ac ſcribis, ſentis? ſi panis ac vini in corpus ac ſanguinem Chriſti tranſmutationem ex animo negas: quæſo te, qua ratione axioma veſtrum defendes, aut quo modo te apud axiomatis illius Authores, tuoſque pręmonſtratores excuſabis, aut qua via tuam ipſius conſcientiam ſaluabis, qui vno eodemque ore & calidum & frigidum efflas, de vna eademque re idem & aſſeris & negas: quarum ſacra ſcriptura tamen illud, quod tu aſſeris, negandū; quodque negas, aſſerendum docet, aut ſaltem aſſerendum negandumúe eſſe expreſsè non tradit? Nullus Chriſti Apoſtolus, nullus propheta illius veſtrę doctrinę ſe authorem aut promulgatorem agnoſcit? quam vos tamen ſub Euangelicæ veritatis titulo tantoperè venum exponitis. Non ſic Chriſtus loquutus, nō ſic poſt eius aſcenſum quiſquam Sanctorum vel ſcripſit vnquam, vel docuit. Ex ſchola Berengarij primùm ea prodijt,

Negatio Tranſubſtantiationis teſtimonium in Scripturis habet nullū. Berengarius primus eius Author.

qui

qui circa milleſimum Domini annum, vixit. Nam etſi Cyrilli quoque temporibus ante mille ducentos annos Errones quidam comminiſci non erubuerint, ea, quæ in Cæna domini non conſumerentur, poſt atque extra eam, in ſuã, hoc eſt, panis ac vini redire naturã; eadem tamẽ in Cœna nõ mutari, nemo ante Berengariũ dixit. Primus enim hic inuenitur, qui panẽ & vinum, ſine tranſmutatione, ſigna ſeu ſymbola tantũ corporis & ſanguinis Chriſto palàm profiteri auſus fuerit, Idẽ tamẽ poſtea erroris nefarij admonitus, palã apud omnes Chriſtianos hanc ſuam doctrinã, vti hæreticam, agnouit; agnitã, publicè reuocauit, condemnauit, propria manu ſcriptam, igni concremandã delendamq́; proiecit; demùm de eo, quòd tot populos tam pernicioſo errore ac dogmate tã imprudẽter ſeduxiſſet, pænituit, atq; in mortẽ vſq; deteſtatus eſt: Cuius te tuoſq́;, Andrea, exemplo veſtri nefandi pænitere, veſtrorumq́ue animorum miſereri oportebat magis, quàm totum Chriſtianũ orbem veſtris ſomnijs exitio dare, atque hoſti ludibrio exponere. Quòd cum tergiuerſando tamẽ detrectatis; ſacrarum Scripturarum, quam negare non audetis, authoritate, pro captu ſimplicium, ſimplici modo atque ordine, docendum interim; palamq́ue demonſtrandum

Berengarius recantauit.

Ordo docendorum. dum nobis eſt;panem & vinum,in myſterio ſancto adhibitum atque in altari propoſitũ, non,ſicut vos ſomuium dicitis, ſine vlla ſui mutatione poſt cõſecrationem permanere, vti alius quilibet panis,ac aliud vinũ in conuiuio: ſed fieri mutationẽ in eis, ac motum aliquem: poſtea etiam hoc docebimus, in quid hic motus fiat, & cuiuſmodi nomina ſortiatur.

I. *Panem & uinum non mutare probatur rationibus.* Nam cùm ea quæ natura ſua vnum idemque ſunt in omnibus, nulla ſanè diſcretione ab inuicem poſſunt dijudicari: Apoſtolus autem doceat,quod in altari propoſitũ eſt corpus, ab alijs cibis dijudicandum eſſe. Non dijudicans corpus domini, inquit 1. Cor.11. iudicium ſibi manducat & bibit;quomodo, quod in altari eſt, cum alijs communibus cibis vnum idemq́ue eſſe poteſt?

II. Panis enim & vinum,communis cibus,ſine pœna etiam ab ijs qui in mortali peccato exiſtũt,quantum ſatis eſt,ſumi poſſunt. Dat enim Dominus omni carni eſcam, Pſal.135. & ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos,& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos,Matth.5. Sed quod in altari propoſitum eſt corpus, à talibus ſine pœna ſumi nõ poteſt;dicit enim Apoſtolus.1 Corinth.11.Qui manducat & bibit indignè,iudicium ſibi mãducat & bibit; Non ergo,quod in altari propoſitum eſt corpus,

pus, vnum idemque eſt quod panis & vinum, communis cibus. III.

Sicut etiam panis & vinum, cõmunis cibus omnibus, ſumpta, nihil ad æternam vitam vel conſequendam vel retinendam faciunt: Sunt enim creaturę Dei, ad corporalis huius vitæ alimoniam à creatore ordinatæ: Quod autẽ in altari propoſitum eſt corpus, plurimùm ad vitam illam æternam commodat, Chriſto dicente, Ioan. 6. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum: Itaq; vtriusque differentia eſt aliqua.

Quin etiam, ſi hæc differentia exigua eſſet, & non magni potiùs momẽti; etiam pœna, quæ hanc differentiam non dijudicantibus pręnunciata eſt atque incumbit, exigua eſſet: dictante Iuſticia, quę pro menſura delicti metitur & pœnę quantitatem Apoc. 18. Cùm autem Apoſtolus non dijudicantibus hanc rerum differentiam, iudicium pariter ac mortem, pœnas & omnium grauiſsimas, denuntiat, 1. Cor. 11. quis non videt, grauem atque adeò ingentem eſſe earum rerum differentiam, ob quam non obſeruatam, tam grauis denunciatur pœna? IIII.

Adde etiam, quod Manna illud; & aqua de petra deſerti, res fuerunt prorſus ſupernaturales. Id quod ipſum Mannæ nomen & omnes hiſtoriæ declarant circumſtantiæ. V.

Chri-

Chriſtus tamen per comparationem longè maiora eſſe affirmat ea, quæ ipſe ſit daturus, quàm quæ Moſes Ioannis.6.capite. Et Apoſtolus priora illa, figuras tantum fuiſſe ait earum rerum, quæ per Chriſtum dantur, 1. Corinth.10. Quam ob rem etiam præſtantiora bona noui teſtamenti, & excellentius miniſterium eſſe affirmat, Heb.1.7.8.& 10.cap. Si ergo prioris teſtamenti bona illa tam præſtantia ſunt & ſupernaturalia; quantò magis noui teſtamenti bona dicenda erunt ſupernaturalia? Etſi Manna illud ſupernaturale figura eius tantum eſt, quod datur in nouo teſtamento; quanto præſtantius eſt id, quod tam ſupernaturalis figuræ ipſa eſt veritas?

VI. In omni Republica benè inſtituta mos hic obſeruatus animaduertitur, vt minores à maioribus, Ciues à Magiſtratibus, liberi à parentibus in omni re ſcibili erudiantur. Hinc Moſes docet Deut.32. Iſraēlem, dicēs: Memento dierū antiquorum, cogita generationes ſingulas: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Et Exod.13. pręcipit parentibus, vt veram doctrinam de agno phaſe filijs manifeſtare interrogati, non detrectent; Cùm interrogauerit te, inquit, filius tuus cras, dicens,

Maiores docent minores.

quo-

quid eſt hoc? reſpondebis ei. Quod ſi nos quoq; maiores noſtros de phaſe noſtro interrogauerimus; ac ſi qua, quamq́; magna ſit inter panem hunc myſticum & communem differentia, diſquiſierimus, ad ea procul dubio nos relegabunt, quæ ipſi, dum hîc viuerent, in hoc negotio vel verbis palàm, vel factis ſunt profeſsi. Ac de dictorum ipſorũ quidem teſtimonijs ſuo dicemus loco: Hîc tantùm, quid circa hunc myſticum panem fecerint Majores noſtri, qua illum reuerentia coluerint, pauca ex infinitis in medium proferemus. Primò enim, non quolibet tempore conſecrationem eius celebrarunt: ſed ieiunij ſolemnis tempore, in quo tam ſacerdotes, quàm populus, luctum, ieiunium, & compunctionem in peccatorum expiationem exercebant, ob reuerentiam, duobus tantùm in hebdomada diebus, Euchariſtiam (placet enim hoc nunc nomen) conſecrabant. De qua re in ſexto generali concilio in Trullo celebrato ſic legimus. In omnibus ſanctæ quadrageſimæ ieiunij diebus, præter quàm ſabbato & dominica & Annuntiationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum ſacrificium. Rectè id ſanè. Nam cùm ſacrificium DEO offerre, ſit diem feſtum agere; non potuit id cum luctu atq; ieiunijs conuenire. Erat autem ſacrificium præſan-

Maiorum feſta atque Religio docent panem uinum non manere.

A tempore.

Concil. Conſtant. in Trullo generali Sexto Can. 52.

pręſanctificatorũ,quandò Euchariſtia, quę præcedentibus diebus ſanctificata, hoc eſt conſecrata fuerat,poſtea offerebatur in Miſſa.Cuius etiam D. Athanaſius tempore Niceni Concilij meminit,vocans eam Miſſam præſanctificatorum. Deinde, neque quolibet loco Euchariſtiam tractabant, ſed in loco ſacro.Hinc in Moguntina Germaniæ noſtræ olim Synodo circa Arnulphi Imp. tempora anno à Chriſto nato 888.capite 9.à tribus Rheni Archiepiſcopatibus ſtatutum in hæc verba legimus,Miſſarum ſolemnia non vbiq;, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, celebranda eſſe cenſemus. Hinc alibi anathema datur, qui acceptam Euchariſtiam in templo non conſumit. Hinc ob Euchariſtiæ reuerentiam altari ain Eccleſia iubētur conſecrari atque inungi.Contra verò Laodiceni concilij canon 28.prohibet.in Eccleſia agapen fieri,aut aliud quidpiam manducari.Sicut etiam Apoſtolus conqueritur factum; Nunquid domos non habetis ad mãducandum aut bibendum?Tertiò,neque in quolibet vaſe aut linteo faciebant conſecrationẽ Euchariſtię veteres,ſed in conſecratis Deo,Hinc in 6.Cõſtantinopolitano ita legimus;Nullus ſacerdos aut clericus ſiue laicus præſumat calicem, aut patenam, aut quęlibet vaſa ſacra,& diuino cultui mancipata,ad alios

A loco. Tomo.Concil.2 fol. 730.

Concil.Caſar Auguſtan.Can.3. & Concil. Tolet.1. can 11. Conci.Agathen.can.14.

1.Corint. 11,

A contineti. Canon.3.

alios vſus retorquere: Nam quicunque de calice ſacrato, quo ſanguis Chriſti accipitur, aliud bibit præter ſanguinem Chriſti: & patenam ad aliud officium habet, quàm ad altaris miniſterium, deterrendus eſt exemplo Balthaſaris, qui dum vaſa domini in vſus cõmunes aſſumpſit, vitam pariter cum regno amiſit, Danielis. 5. Hinc in Triburiẽſi quoque Germaniæ Concilio quædam de his vaſis cõſtituta ſunt. Et in Salegunſtadienſi Synodo de linteo ſiue corporali ſic legimus: Conqueſtum etiam eſt in ſancto concilio de quibusdam ſtultiſsimis præsbyteris, vt, quando incendium videant, corporali dominico corpore conſecratũ, ad extinguendum incendium temeraria præſumptione in ignem proijciant: Ideoque Decretum eſt ſub anathematis interdictione, ne vlterius fiat. Quartò etiam, per certos homines Euchariſtiam Maiores noſtri tractari volebant; nemini, præterquam ſolis ſacerdotibus eius conſecrãdi facultatem tribuentes. Extat eius rei exemplum in Nicephoro, non ſolùm apud pios atque Catholicos verùm etiam ſciſmaticos obſeruatæ: vbi Acephali quidam deſcribuntur, eò ſic dicti, quod ſub Epiſcopus non fuerint, cuiuſmodi etiã Germania hodie ſuſtinet; Hos dicit communionẽ plurimo tempore aſſeruatẽ habuiſſe, fe-

Concil. Tribur. cap. 18. Anno. 895.

A conſecratis perſonæ.

Niceph. lib. 18. Cap. 45. Acephali.

rijsque paſchalibus in minutiſsimas partes inciſam conuenientibus ad ſe hominibus dediſſe, proptereà, quod Epiſcopi atque ſacerdotes eorum iam eſſent defuncti: laici verò conſecrare non poſſent. Quin etiam ſanctus vir Gregorius Nazianzenus indignum ſe prorſus profitetur, qui Euchariſtiam tractet in altari. Et Chryſoſtomus ſacerdotibus qui ſe quoquo modo inquinauiſſent, tractationem eius interdicit. Sic etiam laicis non omnibus eius communio conceditur. Vnde Eulogius hoc etiam nomine laudatur, quod in ſacri illius diſpenſatione, diuino quodam inſtinctu, atque arcano mentis impulſu, indignos nouerit arcere, dignos admittere. Teſtes ſunt Palladius Hiſt. Lauſiaca, & Niceph. lib. 11. capite. 34. Ambroſius quoque Theodoſium Imp. pro authoritate Epiſcopali interpellat, non licere illi huncpanem, imò corpus & ſanguinem domini ijs manibus attrectare atque ad os admouere, quibus ſanguinem humanum ſitiens effudiſſet. Quin non à ſumptione & participatione tantùm, verùm etiam ab aſpectu diuinorum myſteriorum Diaconi voce arcebantur indigni: teſtis Cyrillus. Deniq́ue, honorem reuerentiamq́ue quam ſancta Antiquitas ſanctiſsimis hiſce rebus, loco, tempori, vaſis hominibus, tam confici-

Greg. in Apologet.

Chryſoſt. in 1. cap. ad Epheſ. ſerm. 3. & in Matt. cap. 26. homil. 83.

Aſumentiū perſona.

Cyrill. Hiero. Catecheſi myſtag. gica.

conficientibus quàm ſumentibus, exhibuerunt; non cum ipſa communione tamen finierunt, ſed poſtea, etiam frequentandam duxerunt. Hinc ipſam Euchariſtiam, in varios poſt communionem aſſeruatam vſus reuerentia ea coluerunt, quæ non communibus cibis, ſed diuinis prorſus rebus debetur. Vnde in Turonenſi Concilio præcipitur vt mundo, ac tantis rebus digno vaſe ac loco reſeruetur, ne quid in eam temeraria cuiuſpiam attentet manus. Sicut Ivo parte 2. capite 19. & Burckhardus libro 5. capite 9. ex quarto illius Concilij capite annotarunt. Hinc temporibus Arcadij magnus Conſtantinopoli luctus Sacerdotum fuit, quòd ſanguis Chriſti in Sacrario repoſitus, in militum militaria veſtimenta fuerit inſolentiam effuſus. Etiam minutiſsimas partes Euchariſtię à communione relictas reuerenter collectas, non niſi innocentiſsimis puerulis atque ieiunis ſumendas dederunt. Sed quid de honore tantùm reuerentiàve Euchariſtiæ exhibita loquor? Illud omninò maximum eſt, quòd fidem fiduciamque Maiores noſtri eam in ſeruatas Euchariſtiæ partes oſtenderunt, quæ nullis humanis rebus, nulli creaturæ debetur, ſolius verò DEI eſſe agnoſcitur. Tharſicius Diacon vt rem ſanctũ atq; diuinam ſecum habuit Euchariſtam, moriq; potius

A reſeruatione in uſus neceſſarios.

Niceph. lib. 13 cap 19.

A remanentibus particulis.

Niceph. lib. 7 cap 25.

Tharſicius Epiſt. Stephani Pap. [illegible] 21. Satyrus.

A fide Maiorum Ambroſ. in orat. funeb. de obitu fratris. *Ab effectibus eximeus in Epi. ad Victorem. Euſeb. hiſt. Ec. lib. 5 cap. 26.*

potiùs quàm infidelibus prodere eam voluit. Satyrus quoque Ambroſij frater ligauit in orario, atque monilis in morem in collo ſuſpendit, eiuſque tanquam corporali diuina præſentia gaudens, intrepidum ſe demiſit in mare. Sancti quoque Romani Pontifices, ſalutem in Chriſto verbis ſcriptiſq; exteris populis annuntiatam, quaſi inerme reputantes, Euchariſtiam diuinam, atque efficacem ſalutis ſua prĕſentia operatricem, vnà tranſmiſerunt; armatioresque ſuos legatos huius comitatu cenſuerunt. Miraris? Sed ipſa Dei maieſtas tã manifeſtè ſeſe alibi prĕſentem atque operantem oſtendit, vt potiùs mirer, quo modo factum ſit, vt minor fides noſtris temporibus rei tam exploratĕ habeatur, nec faciant omnes, quod ſalutis cauſa fuit multis: Recitat inſignem hiſtoriam Nicephorus, quam non piget huc apponere:

Miraculum. Niceph. lib. 17. cap. 25.

Conſuetudo à multo tempore Imperanti vrbi fuit, vtcùm pluſculum de partibus immaculati diuinique corporis domini & Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti reliquum eſſet; ſacerdotes pueros, incorruptos, ex eis, qui ad prĕceptores in ludum literariũ eunt, accerſerent, qui ieiunij reliquias eas ederẽt. Quod quidem mihi quoque ſæpenumero, quum puer eſſem admodum, & maximè à prima ætate in ſacris ædibus verſari ſtudio habe-

haberem, contigit. Tale quiddam ſub Mena quoque patriarcha euenit. Cùm pueris ad id delectis, puer quoque viri religione Iudæi, vitro conficiendo vitam tolerantis, aggregatus eſt. Puer is, vbi diutiùs vltra ſolitam horam moratus, domum venit, & cauſam tardioris reditus parentibus diligentiùs eam inquirentibus, quòd ſcilicet cum alijs pueris in æde ſacra diuinas partes ediſſet, renunciauit. Pater re noua cognita, furore percitus fornacem, vbi vitrum conformabat, ſuccendit, & puerum arreptum, in eum, prunis flamma ſuffocata, candentem coniecit, ob factum tale iratus: quamuis filius ſciens nihil admiſiſſet; Porrò mater, vbi puerum diutiùs non comparentem, quæſiuiſſet, & non inueniſſet vrbem circumijt, per quàm acerbè plorans ac lugens: & die tertio ad officinam mariti cõſiſtens, ingenti planctu ſeipſam lanians, prolixiùs ingemiſcens, filium vocauit. Atque ille materna voce agnita, reſponſum è furno reddidit. Tũ mater oſtio furni fracto, cũ miraculo maximo, in medijs prunis puerum ſtantẽ vidit, ita prorſus incolumẽ, vt ne capillũ quidẽ flamma læſerit. Et vbi cauſam incolumitatis quæſiuit, mulierem quãdam illuſtrem, purpurea amictam ſtola, frequentiùs ad eum veniſſe, aquã ſibi infudiſſe, & flammã ea appropinquantẽ

 extinxiſſe,

extinxiſſe,cibum etiam,cùm eſurijſſet,præbuiſſe, dixit.Hec poſtquam Iuſtinianus cognouit, puerum cum matre diuino regenerationis lauacro adhibuit, Deoque dicauit:patrem autem, qui Chriſtianorum ſacra ſuſcipere non ſuſtinuit,veluti parricidam,in ficum arborẽ, perinde atq; in crucem, egit. Hęc atq; his ſimilia alia infinita, cũ à ſanctis Maioribus nòſtris ſacroſanctis myſterijs reuerentiæ ergò ſint exhibita,potentia Dei mirabilium effectrice, ſeſe hiſce rebus adeſſe tam manifeſtè declarante,vt ſatis conſtet,peculiari modo, & nullis alijs creaturis communicabili,diuinã ſeſe in hęc myſteria trãſfudiſſe maieſtatẽ :non ẽſt vlla nouitatis tam ſplendida perſuaſio,qua velimus poſsimuſque,tanquam degeneres filij, à moribus factiſúe Maiorum noſtrorum deficere: eorũdẽ religione ſimul ac Dei benignitate, freti nunquam idem vnumque dicturi,quæ ipſi tam accurata dijudicatione ſecreuerunt.

Iuſtinianus Imp.

Non in uſu ſumentium ſed in ſanctificantis potentia cibi potuſque huius potentia.

Addimus hoc etiam, hanc myſterij præ communibus cibis præſtantiam non in vſu ſacramenti ſolo conſiſtere, ſed in commutãtis tranſumentiſque res tantas potentia. Si enim in vſu tantũ conſiſteret;ſimul id,quod

VII. cultus noſtri maiorumq; noſtrorum cauſa eſt, cum vſu deficeret : & panis, qui videtur in altari propoſitus, peracta omnium communi-

A conſequentibus.

munione, ſine piaculo proijci poſſet deuorandus canibus: Sine Magiſtratus metu in alios quoſlibet vſus poſſet conuerti. Sed hoc nunquam factum cõſtat, ſine horrore audientium, ſine animaduerſione Magiſtratuũ. Neque hac in re Magiſtratus vel tyrannidis vel hypocriſis vel etiam inſcitiæ à quoquam poteſt coargui, cùm Paulum ante oculos habeamus omnes, fide dignum diuinæ voluntatis teſtem, aſſerentem, antè & priuſquam Magiſtratus Chriſto nomina dediſſent, Deũ ipſum tanquam ſupremum Magiſtratum, in eos, qui quoquo modo hanc corporis & ſanguinis filij ſui differentiam neglexiſſent, Iudicio infirmitate, imbecillitate, atque morte ipſa, pœnis grauiſsimis animaduertiſſe. Quamobrẽ cùm qui hodie Magiſtratus in tales animaduertũt, quo officij ſui executionẽ referant, ipſum Deum exemplar habẽt. quo modo quibuſúe exemplis ſe rectè excuſent, ſi & ipſi negligentes ſint, non habẽt. Non enim fruſtra eis commiſſus eſt à Deo gladius. Quę cùm ita ſint; & Maiorum noſtrorũ facta tam inſignem inter panem myſticum atque communem conſtituant differentiam; quæſo te hoc loco Andrea, quam cauſam ſubeſſe putes aliam, quodúe tantæ differentię fundamentum exiſtimes edicas? Eſſe enim amplius aliquid ibi hic

Ipſe deus primum abutentes hoc cibo puniuit, Magiſtratui dãs exemplum quid fieri in his uelit.

verò non eſſe, quòd tantæ reuerentiæ tanti honoris exhibiti Maioribus noſtris cauſa fuit certiſsimum eſt; Nudæ enim creaturæ iſtam reuerentiam iſtoſq́; honores ſine idololatriæ magna ſuſpicione exhibere non potuiſſet. Si dixeris mihi, cauſam eſſe, quia cũ pane hoc atque vino corpus & ſanguis Chriſti in populos ſimul diſtribuantur, ſitq́ue vicinitas, ſeu quædam vtriuſque quaſi cognatio: ſtatim arguit te os tuum, & tuijpſius te contradictorum ſtatuit. Lege enim aut relege magis, quæ per imprudẽtiam, aut inſaniam potius euomuiſti in tertio tuo Articulo; vbi pàlam dicis, Chriſtum non alia ratione adeſſe cum pane ac vino, in Cæna, quã qua eſt cum omnibus indifferenter Creaturis, atque cum ruſtico aliquo. Si autem indifferenter Chriſtus in pane myſtico atq; omnibus alijs Creaturis ineſt; nec quicquam panis ille peculiare prę cæteris habet; ſequitur nulla etiam maiore, quàm reliquas Creaturas, religione colendũ eſſe. At colitur tamẽ, vt dictum eſt, maiore, & ea ſanè, quæ peculiarem atque eximiam quandam differentiam vtriuſque neceſſariò conſtituit: Idq́ue nõ à paganis, aut Iudæis, ſed ab optimis quibuſq́ue Chriſtianis populis atque magiſtratibus. Dictum eſt ergo hactenus, atque ex ſacris Scripturis, maiorumq́; noſtrorum factis oſten-

oſtendimus; magnam eſſe inter panem myſticum & communem differentiam, religione fideq́ue iuxta Apoſtolum dijudicandam, non natura inditam, ſed potentia Dei ſupernaturaliter commutatam. Nunc porrò videamus, in quid hęc fiat commutatio, & cuiuſmodi nomina ſortiatur.

TERMINOS HVIVS MOTVS SEV COMMVTATIONIS ESSE PAnis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

MOtum verò hunc panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti nō accidentium ergo eſſe, ſed ſubſtantiæ; planum eſt ex eo, qùod manentibus, accidentibus, motu facto, non ea eius ſubſtantia creditur, quæ prius fuerat. Ideò quo fundamento fides noſtra de hac ſubſtantię in ſubſtantiam mutatione innitatur, inquirendum eſt ordine. Quatuor modos eſſe eſſentiæ Philoſophi docent, vt ſit re ſiue ſubſtantia, nomine, effectu, ac forma. Horum tres priores modos Euchariſtię conuenire Rupertus Tuitienſis docet, quar to autem differre. Quanquam etiam quartus modus nonnulla illi ratione videtur cōuenire. Quod ſi verum eſt; & id quod in alta

Quatuor modi eſſentiæ.

In 6, cap. 10.

ri eſt,cum eo,quod natum & paſſum eſt, cor pore conuenit; vnum corpus ſuo modo v- trumque eſſe rectè dicemus. Itaq; ſingulos modos ordine inquiramus.

Primus modus eſſentiæ. *Petrus Cluniacen.* Et quidem quod ad primum, hoc,eſt,vt ſint re ſine ſubſtantia vnū; in eo tu ipſe cauſam tuã foue:dic:Domine Ieſu Deus noſter, ſaluator noſter, ſacerdos noſter, hoſtia noſtra: dic:reſponde aduerſarijs teſtamẽti tui, qui volunt reſcindere quod ſtatuiſti, eradicare quod plantaſti,deſtruere quod conſtituiſti:Dic:forſan acquieſcẽt tibi,qui Eccleſiæ tuæ reſiſtunt, verebuntur faciem tuam, qui tuis irreuerenter abuiant mandatis, & ſi oues tuæ ſunt,vocem tuam audient.Ignoſce & mihi præſumptuoſe interroganti,ſed tum pro Eccleſia tua, columba tua, ſponſa tua, quã iſti violare conantur. Zęlanti,planè iſti redemptorem te negant,qui precium redẽp tionis humanæ,quod pro nobis dediſti(cor pus tuum dico) redemptis auferre contendunt.volunt rurſum vincire à te olim ſolutũ nodum captiuitatis,dum largitorem reſpuunt libertatis, Dic ergo, Domine, teſtator noui & ęterni teſtamenti, vtrum teſtamentũ hoc vnius diei,ſicut iſti dicunt,eſſe volueris an potiùs æternum eſſe decreueris? Audiant iſti non me, ſed te, vt conuertantur non ad me,ſed ad te. Quid ergo?In cęna vltima,quã

cum

cum diſcipulis tuis,vetus paſcha nouo commutans,celebraſti,accepiſti pané, gratias egiſti,dediſti diſcipulis tuis.Sed quid dixiſti? Accipite, hoc eſt corpus meum; quod pro vobis tradetur. Et quid dixiſti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cænaſti, dicens. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem. Audiſtis? Nolite fieri ſimulachra, quæ oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt. Auditis hæc, non à quolibet Doctore, ſed ab illo, de quo pater clamans præcipit: Ipſum audite: Auditis eundem dantem corpus. Sed quod corpus? Sunt enim corpora cæleſtia, & terreſtria, & quicquid viſui, auditui, olfactui guſtui, tactui hic ſubiacet, corpus eſt. Vnde ne quis putaret animalis cuiuſlibet, aut hominis cuiuſlibet hoc eſſe corpus; ad excludendum omne aliud ſenſibile corpus, poſtquam dixit, accipite, hoc eſt corpus; adiunxit, meum. Suum ergo, non alterius corpus diſcipulis dedit. Rurſum, ne forte alicui cogitatio occulta ſubreperet: Potuiſſe creare in manibus corpus, quod ſuum quidem eſſet, ſed tamen quod ipſe erat, non eſſet; addidit, quod pro vobis tradetur. Ac ſi diceret: nolite dubitare, nolite

Corporum alia Cæleſtia alia terreſtria.

hoc

hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare, quia hoc eſt corpus, nō alterū non alterius, ſed meum: non permutatū, vel nouiter creatum; ſed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur, pro vobis morietur. Sic & de calice: Hic eſt, ait, ſanguis; non bouis, aut arietis, nō agni, aut cuiuſlibet hominis, ſed meus; non alius, vel noua creatione productus, ſed qui pro vobis fundetur flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excuſſus. Quid ad demonſtrandam veritatem corporis & ſanguinis domini dici potuit clariùs, lucidiùs, manifeſtiùs? Nonne & lōgè ante paſsionem commendans magnificum & ſalutare ſacramentū diſcipulis & Iudæis, ſæpè dicebat: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? Ioan. 6. Et panis quem ego dabo caro mea eſt. Et caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Hoc quare? Vt dū audito nomine corporis, circa diuerſa corpora cogitando vagaris; audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuoceris.

Dicta & facta conreſpondere oportet.

Lucas Euangeliſta de Chriſto Act. cap. 1. teſtatur: quod cœperit facere & docere. In cæna quoq; facit ad docet. Neceſſe eſt autē, vt hęc duo ſibi mutuò reſpondeant atq; conſentiant: ita, vt nec plus nec minus in verbis intel-

intelligatur docentis, quàm in opere conſideratur facientis. Sed verbis Chriſtus prorſus oſtendit, diſcipulis ſe ſuis in Cæna ſuum corpus, quod pro nobis tradebatur, ſuumq́; ſanguinem, qui pro nobis effunderetur dediſſe. Si panem, & vinum cum eo corpore ac ſanguine ſimul dediſſet; vel, vt vos dicitis, ſi corpus & ſanguinem ſuum cum pane atque vino dediſſet; verba non conſentirēt cum facto: quia minus diceret, plus daret. Id quod nec Deo, nec nobis cōueniret. Sed loquitur de vna tantum re, quæ ſit manducāda: de vna etiam, quæ ſit bibenda: de corpore & ſanguine ſuo: non autem de pane etiā atq; vino: & (ſecundū Matthęū, qui Hebraicè ſcripſit aliquanto apertius) dixit: manducate hoc, quod eſt corpus meū; nō dixit de pluribus, mādurate hæc, ſed hoc māducate, quod corpus eſt, non corpora: bibite ex hoc, nō ex his: qui eſt ſanguis meus, nō, quæ ſunt ſanguis & vinum mea. Quod ſi duo dediſſe intelligendus eſſet, vbi vnū tamē manducari vult: duo item, vbi vnum tamen è ſuis bibi pręcipit: neſciſſent Apoſtoli, vtrum ex duobus propoſitis vel manducandum vel bibendum fuiſſet: præceptoque, quod ſingulare eſt, obtemperantes, alterum reliquiſſent, alterum ſumpſiſſent: & ſumpto corpore & ſanguine, quæ duo ſumi expreſsè vult, panem

Dicit ſe, non panem aut vinum: ſed corpus ſuum & ſanguinē dare Chriſtus.

Manducate hoc, nō hæc: vnum ſcilicet, non duo.

panem & viuum, cum corpore & ſanguine ſimul porrecta, reliquiſſent: Aut ſi vtrunque ſumpſiſſent, contra prçcipientis verba feciſſent, qui vnum tantū corpus manducari, vnum tantum ſanguinem bibi præcipeſſet, habuiſſentq́; pro participationis effectu Deum non in habitantem, ſed in ipſos pro præuaricato præcepto animaduertentem: non minus, quam olim in Iſraëlem, qui cum panem omne delectamantū in ſe habentem comedērēt, ollas AEgypti cum carnibus efflagitarent, animaduertiſſe legitur. Quam ob rem, Andrea, cùm tu nuſquā in Cçnę iuſtitutione legas, Chriſtum corpus ſuum vna cum pane, ſanguinem ſuum cum vino manducandum bibendumúe Apoſtolis tradidiſſe; nos verò expreſsis domini verbis inhęrentes, vnū corpus ſine mentione panis, vnum ſanguinem Chriſti ſine vlla appoſitione vini Apoſtolos accepiſſe, comediſſe, atq; bibiſſe conuincamus: cogita, quęſo, quàm iniquè expoſtules quā ſtolidè expectes, vt, relicto Chriſti mandato, reiecta Euangelica veritate, prudētes homines ſalutiſq́; ſuæ amantes, tuæ ſuaſioni atq; errori tam manifeſto vnquā ſint conſenſuri. An te non pudet eo ipſo, quod veritatē Euangelicā profiteri te iactitas, contra Euāgelium dicere, quod Chriſtus non dixit, negare verò etiam, quod Chriſtus affirmauit? Nuſ-

Si Apoſtoli cum pane corpus ſumpſiſſent, cōtra Chriſti preceptum feciſſent.

AEgypti olla & carnis.

Nuſquam legitur Chriſtū corpus cum pane dediſſe.

Nuſquã Chriſtus dixit: Accipite corpus meum cum pane, duo comedite: Accipite cum vino ſanguinem meum duo ſimul hęc abſorbite: tu dicis. Chriſtus dixit: Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus; tu hoc non dicis, ſed negas, ſed impugnas. Scilicet tua paucorumq; tuorum cauſa Chriſtus verbum ſuum mutabit, naturę Dominus, ac dicet: Quod olim id terra teſtatus ſum corpus meum eſſe, ſanguinem meum eſſe: Iam neque corpus neque ſanguis meus eſt; Aut ſi quid eſt tamen, non ſolùm corpus, ſed cum eo panis mixtus eſt: non ſolus ſanguis, ſed cum eo etiam vinum eſt: Sumite cõbinata, quæ hactenus ſumpſiſtis ſingula. Verũ quis ita loquentẽ audiret? quis vocem hanc Chriſti vocem eſſe in ouibus crederet? Norunt Chriſti oues paſtoris ſui vocem, norunt ſanctæ piorum mentes ad præſepe domini ſui pabulum, cui aſſueuerunt: Paucis hæc benè nota voluptas. Alienum non audiunt; peregrina paſcua nõ deguſtant. Quotienſcunq; enim hoc pabulũ de manu paſtoris ſui, vel ſeruulorum eius acceperunt oues, voce paſtoris audita, corpus ſuum & ſanguinem ſuũ atteſtantis; hoc & crediderũt & perceperũt, quod verba ſonuerunt & benè ouibus fuit in eo. Agè verò; Si tantum lingua tua valet, quantum ſperare audes; & eſt tamen, qui

Oues Chriſti paſtoris ſui vocẽ audiunt.

Chri-

Chriſti verba contemnat, tua audiat: ſi tamẽ (vt tu vis) cum pane & vino Chriſti corpus & ſanguis diſtribuuntur: quoniam duo ſimul porriguntur, atq; adeò duo, vt nunquã vnum fieri eſſeq́ue poſsint; oſtende Auditoribus tuis, vtrum prius ex duobus, panis ne an corpus, vinúmne an ſanguis ſumẽdus ſit: Quoniam enim duo ſunt, & corpora ſunt vno eodemq́ue in loco ſimul eſſe non poſſunt. Quã ob rẽ fieri poteſt, vt pane ſumpto atq; vino, quę vos comeditis; corpus atque ſanguine inconſumpta fortè tui relinquant. Et certè timeo vobis, Andrea, quoniam verum corpus verumq́ue ſanguinem, verum vitæ æternæ cibum, quem Chriſtus dat reſpuitis; ne cum pane, cumq́ue vino, quæ vos ſupponitis, à Chriſti communione alieni atque famelici pereatis. Neque enim in pane & vino, ſed in corpore & ſanguine ſuo Dominus corporibus noſtris animabusq́ue immortalitatis præſtat alimoniam. Fruſtra ergo cum pane veſtro & vino expectatis, quod neque natura neq; gratia illis creaturis combinauit, Paulus non vult in Eccleſia panem manducari, aut vinũ bibi: Nunquid domos non habetis, inquit, ad manducandũ & bibendũ. 1. Cor. 11. quod ſanè nõ vetaret, ſi corpus & ſanguis Chriſti niſi cũ pane & vino ſumi non poſſent.

Si duo dedit Chriſtus panem & corpus, diuerſa hæc duo loco eſſe neceſſarium eſt.

Panem manducari in Eccleſia Paulus prohibet.

Rede-

Redemit nos Dominus & ſaluator noſter Chriſtus Ieſus in aſſumpta ſibiq; indicibili modo vnita humana natura,hoceſt,proprio corpore & ſanguine,atq; in eadẽ vitam ęternam nobis impetrauit. Quoniam verò adepta nobis per eũ nihil prodeſſet,niſi etiã cõſeruaretur in nobis;ſanè non minoris eſt vel gratiæ vel potentiæ, conſeruare impetratã, quàm conſeruandã impetrare.Iam, ſi Chriſtus corpore ac ſanguine ſuo eam tantum modo impetrauiſſet, non conſeruaret autẽ ijsdem corpore & ſanguine ſuo, niſi additis combinatiſque etiam pane & vino:haud ineptè homines exiſtimarent,Chriſtũ ad conſeruandam in nobis,quam impetraſſet vitã, ſuo corpore & ſanguine non ſufficere, vt quibus etiam panem adderet atque vinum. Quam ob rem etiam periret aliquid de maieſtate hominis Chriſti, diuiſa nimirum in duo hominum dilectione;cuius pars Chriſtum impetrantem,pars panem & vinũ conſeruantia reſpiceret; fruſtraque Chriſtus à nobis, vt ſe ex toto corde & tota mente &c. diligeremus, exigeret, tranſmutansque homo eum, qui Deo proprius debetur,honorem, in panem & vinum,adulterij à Deo, & idololatrię in Creaturas iudicaretur obnoxius.

Salus per ipſum Chriſtum impetrata per eũdem neceſſario in nobis conſeruatur.

Sed dedit nobis Dominus idem illud cor-

Verba ſequẽtia conjectationem oſtẽdunt veritatem corporis & ſanguinis Chriſti.

pus, quod etiam in mortem tradidit pro nobis: eundemq́ue ſanguinem, quem tunc in remiſsionem peccatorum multorum effudit. Dicens enim. Hoc eſt corpus meum, addidit, quod pro vobis tradetur. Dicens quoque, Hic eſt ſanguis meus, addidit: qui pro vobis & pro multis effundetur. Si verum ac naturale corpus ſanguinemq́ue pro nobis tunc tradidit; ſequitur, eadem etiam nunc tradi atque ſumi. Sin verò & panem & vinum tunc tradidit; conſequens etiam eſt nunc ea tradi; eruntq́ue panis & vinum cauſa vitæ nobis æternæ, non impetrandæ conſequendęúe ſolùm, ſed & conſeruandæ, eruntq́ue cauſa remiſsionis peccatorum noſtrorum, quam tamen poteſtatem ſolus filius Dei atque hominis in terra habet. Matth. 9. 17.

Conſequẽtia quæ ſi panis & vinum una cum corpore & ſanguine dãtur.

Hæc atque idgenus alia infinita abſurda æquè atque impia ex iſta panis & corporis, vini & ſanguinis combinatione ſequuntur neceſſariò. Quod vt palam fiat, ſicut iam demonſtratum eſt, ſi non ſolum corpus & ſanguis, ſed cum ijs etiam panis & vinum, propinantur in Cæna, ſequi; quòd Chriſtus Dei filius non ſolus ſit nobis cauſa ſalutis: ita vnum tantum, reliquarum impiarum ex iſta combinatione conſequentiarum ex Hilario anti-

antiquiſsimo Scriptore, exemplum profe-
remus: quo apertum fiet, ne filium quidem
Dei eſſe Chriſtum, ſi non verè nobis veram
carnem & ſanguinem verum dat in Cæna.
Oſtendit enim Hilarius per eam vnitatem, *Hilarius de*
qua Chtiſtus naturaliter in nobis eſt per ve- *Trin. lib. 8.*
ram carnis ſuæ manducationem, & nos in il-
lo ſumus Chriſtū verè ac naturaliter in Deo
patre eſſe: Iam ſi neq; Chriſtus in nobis per
eam carnis ſuæ manducationem eſt; aut, ſi
non verè id, quod Chriſtus corpus ſuum di-
xit & manducandū tradidit, corpus ſuū eſt;
neq; nos verè in illo ſumus; ſequitur, neque
Chriſtum verè eſſe in patre, neq; in ipſo pa-
trem. Sed ipſum audiamus. Nō eſt humano *Verba Hi-*
aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquēdum ait, *larij.*
neque per violentiam atque impudentem
prędicationem cæleſtium dictorum ſanita-
ti alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquē-
da peruerſitas eſt. Quæ ſcripta ſunt; lega-
mus; & quæ legerimus, intelligamus; & tunc
perfectę fidei officio fungemur. De natura-
li enim in nobis Chriſti veritate quæ dici-
mus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè
dicimus: Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſ-
ca, & ſanguis meus verè eſt potus; Qui edit
carnem meam & bibit ſanguinem meum,
in me manet, & ego in eo. De veritate carnis
& ſanguinis nō relictus eſt ambigēdi locus.

Nunc enim & ipſius domini profeſsione & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Contingat plane ijs verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & nos ſumus in eo, dum ſecum hoc, quod nos ſumus, in deo eſt. Et poſt pauca: Quod autẽ in nobis naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit: eius tantũ aſſumptam in ſe habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Perfectè autem huius vnitatis ſacramentum ſuperius iã docuerat, dicẽs: Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo per patrẽ; & qui manducat meam carnẽ, & ipſe viuet per me. Viuit ergo per patrẽ; & quomodo per patrẽ viuit: eodẽ modo nos per carnẽ eius. Et mox: Si ergo nos naturaliter ſecundũ carnem per eum viuimus: id eſt, naturã carnis ſuę adepti, quomodo nõ naturaliter ſecundũ ſpiritum in ſe patrẽ habeat, cum ipſe viuat per patrẽ? Hęc ille. Verùm quod hic vir & ſanctitate, & ſciẽtia eximius ſcripſit, apud omnes Chriſtianos imò, etiã ſchiſmaticos tũc incõfeſſo erat. Voluit enim tanquam per omnibus con

feſſa,

feſſa, Arianos, id, de quo ipſi dubitabant, docere. Loquitur autem de naturali Chriſti in nobis manſione, quam aſtruit per naturalē corporis Chriſti participationem. Quomodo autem naturalis poſsit eſſe Chriſti participatio, non ſolùm in eo oſtendit, quod Chriſtus id nobis in cæna reddat manducādum; quod ipſe in incarnatione de noſtro aſſumpſit; verùm etiā quod non aliud à nobis manducetur, quàm quod ab ipſo de noſtro aſſumptum eſt, & rurſus ab eodem ipſo nobis porrigitur. At nō panis aut vinum, ſed corpus & ſanguis Chriſti porrigitur, atque ideò etiam manducatur. Per gratiam quidē ſupernaturaliter in nobis Deus eſt; at naturaliter idem in nobis eſſe nō poteſt, niſi per humanæ carnis veram aſſumptam naturam. Non poteſt autem per hanc naturam in nobis eſſe, niſi participatione quadam ipſius naturæ ex ipſo. Sicut neque nos in ipſo eſſe poſſumus, niſi ipſe participaſſet de noſtra natura. Quamobrem cum in Ioanne cap. 6. diceret: Qui māducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet; cōtinuò addit: & ego in illo: oſtendens quod ſicut ipſi iam ante in illo ſumus per noſtræ carnis aſſumptionem, ita etiam ipſe in nobis ſit per ipſius corporis manducationem; vt noſtrum eſſe in ipſo, intelligatur eius de noſtro in vir

Chriſtus in nobis ſuper naturaliter, per gratiam idem in nobis naturaliter per aſſumptam carnem.

gine concepti;illius verò eſſe in nobis, intelligatur noſtra de ipſius carne in Cæna manducatio. Ac cùm ſit vna vtriuſque veritas, ſitque ipſe tam verè in nobis, quàm nos in ipſo;ſequitur id quod nos in Cæna manducamus, verum eius ac naturale corpus eſſe; aut ſi verum hoc non eſt, neq; ipſum veram de noſtro in incarnatione aſſumpiſſe carnē; Alioqui verum non eſſet, ita eum in nobis eſſe per manducationem, ſicut nos in ipſo per aſſumptionem. Vide de hac re Gnimūdum lib. 3. de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia.

Hoc exemplum ex Hilario addidi,vt prudentes commonefacerem, quo totum diſceptationis negotium diligenter inſpiciāt atque examinent; quando nulla alia ratione Sathanę conatus ac technæ faciliùs atque manifeſtiùs deprehendi poſſunt. Vult ille Chriſtum maieſtate,quam ex vnitate paternæ diuinitatis habet,ſpoliare atque exuere, nudumque hominem hoſtibus ridendum proponere. Hoc quum aperto Marte nequit efficere;dolo aliud ſimulans, argumenta ac ſcripturarum teſtimonia, quibus vnitatis illa maieſtas conſtat atque aſſeritur, luxando eneruat atque corrumpit;vt in hoc exemplo apertum eſt. Vbi enim Scriptura dicit; Sicut pater in Chriſto eſt, ac Chriſtus per

patrem

patrem viuit;ita manducantes quoq; Chriſtum in ipſo eſſe:ecce,venit inimicus ille ſuper hoc teſtimonio,& ſuperſeminat zizania ſua, dicens: Chriſtus in manducantibus ſe non alia ratione alioúe modo ineſt,niſi qua in omnibus alijs creaturis aut Ruſtico alicui ineſt,& non per naturalem participationem carnis eius. Quid inde colligitur?Hoc certè: Ne patrem quidem verè ſubſtantialiter aut naturaliter eſſe in Chriſto. Huc tergiuerſator ille intendit, vt multos ab ea veritate ſeducat. Quod ſi perſuaſerit,iam vicit Arrius atque triumphat.

Chriſti pronunciatum de hac Quæſtione.

Sed prudentiores commoniti, has illius technas deprehendunt, atque reijciunt. Et Chriſti pronunciatum pijs ſatis firmum ac ſolidum eſt contra omnia Sacrilega figmenta. Non enim ille dicit: cum pane corpus meum eſte:Aut, cum vino ſimul ſanguinem meum ſorbete:Sed neque,vbi corpus & ſanguis meus eſt, illic pręſens ſum: Quis enim neſciat CHRISTVM ac Deum potentia ac prouidentia quidem ſua in omnibus, gratia verò in aliquibus ineſſe? Sic neque dicit: vbi ſignum aut (ſi mauultis) figura corporis ac ſanguinis mei: Illic ſpiritaliter adſum ſpiritaliter conſumor; corpore cælo confixus. Non ſanè: Sed manducate,

Chriſtus potentia ac prouidentia ſua in omnibus.

Manducare & bibere ſubſtantiales actiones ſunt.

inquit, hoc, quód eſt corpus meum: Bibite, hic eſt ſanguis meus. Manducare ac bibere, ſicut hîc fecerunt Apoſtoli, corporeæ ſubſtantiæ actiones ſunt; quam ob rem id, quod eo modo manducatur ac bibitur, corpus ſit, ac corporis veritatem habeat, neceſſum eſt. Sed figura, ſed ſpirituale ſignum, & quæ mille alia nomina falſiloquus in eas res confinxit, corpora non ſunt. Non itaque illis ea ſumuntur, ſed aliud quidpiam & manducatur, & bibitur. Quod quid ſit, ex Chriſti ore diſcis, ſi credis: Eſt corpus meũ: Eſt ſanguis, inquit, meus. Quod niſi credideris, non intelliges; imò non videbis vitam, ſed ira Dei ſuper te manet, quia incredulus es filio. Credes Euangeliſtis, qui panem & vinum in manus ſuas Chriſtum accepiſſe teſtantur; non credes Euangeliſtarum Domino, qui corpus & ſanguinem ſuum, & quidem eundẽ qui pro nobis effundebatur, idemq́; quod pro nobis tradebatur, dediſſe tam manifeſtè aſſerit. Plus valebunt oculi tui, & ſenſus carnis tuæ, quàm fides in Dominum Deum tuum? Sed an non Spiritus ſanctus te incredulitatis tuæ coarguit? Intelligite inſipientes, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt? & quid faciat dicatúe ipſe neſciat? Sed

Fides exigit ut credas Chriſti verbis.

Ioan. 3.

Pſal. 93.

Sed verò ô beatos Apoſtolos, qui ſpiritu Dei edocti, Creatori eidemque reparatori rerum vniuerſarum in Schola fidei norunt non eſſe repugnandum. Gloria hæc fidei ipſorum nunquam intermoritura eſt, quod ad Chriſti mandatum: Accipite, manducate. bibite: cum ſilentio atque admiratione obſequentes diſcipuli, quę porrecta erant manu Seruatoris, manducauerunt, atque biberũt: aſſenſu confirmantes quod ſcriptum nouerant in Pſalmis: Qui rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Legimus eum omnia verbo ſuo creaſſe, ac quęcunq; voluit, feciſſe. Quod cum non vidimus, credimus. Nemo hanc fidem impugnat; philoſophi quoque ipſi repugnando defeſsi, manus huic fidei porrigunt, in captiuitatem redigẽtes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Magnam ſcilicet Incredulitas cauſam prætendit diffidentiæ ſuæ: nempe, quoniam ſcriptum non eſt expreſsè, Chriſtum voluiſſe aliquando panem in verum ac naturale corpus ſuum, vinum in verum ac naturalem ſanguinem ſuum conuertere: ideò factum non erit? Quis vero non intelligit, quã vana hæc ſit cauſa prætenſa? Da enim, nihil Chriſtum feciſſe, niſi quod voluiſſe in poſterum facere, expreſsè ſit ſcriptum anteà: Sequetur profectò, ne cælum quidem ac ter-

Factum Apoſtolorum ueritatẽ confirmat.

Pſal. 32. 154.

2. Cor. 10.

Voluntas Chriſti.

ram ab eo facta eſſe; quia ne hoc quidem, quòd iſta aliquando creare vellet promiſit aut vſpiam expreſsè ſcriptum fuit.

Collatio Creationis & reparationis. Et Moſes verò, cum Authorem cæli & terræ, ipſumque creationis modum & ordinẽ deſcripturus eſſet, initiò ſtatim ab ipſo opere exorditur; creauit, inquit, DEVS. *Gen. 1. Creauit. Benedixit.* In eundem modum Euangeliſta hîc deſcribit tranſmutationis ordinem; Benedixit, inquit, IESVS. Quę cauſa eſt, rogo, vt verbum illud; Creauit; quod Moſes dixit, plus valeat ad creandum ex nihilo, quæ non erant; quàm verbum, benedixit, quod Euangeliſta hic adſcribit, ad tranſmutanda ea, quæ iam tùm exiſtebant, in ea, quæ non erant? Adde etiam, quod quo medio creata ſint, quæ ſunt, deſcribens Moſes, ait. Dixit *Fiat. Eſt.* Deus; Fiat. Euangeliſta verò, cum quo medio tranſmutata ſint, quæ ſunt, deſcriberet, ait; Dixit IESVS: Eſt.

Cùm ex nihilo olim creanda erant omnia, ſermo Dei omnipotens quaſi de futuro profertur, fiat; nempe id; quod non eſt, fiat; Quando verò id, quòd erat, in aliud quidpiam tranſmutandum erat; idem omnipotens DEI ſermo de pręſente auditur. Eſt, nempè non id quod prius erat, ſed aliud quid iam nunc eſt. Et illud quidem de DEO vnus ille Moſes propheta Dei de-

ſcri-

ſcribit; hoc verò quatuor aut plures etiam Euangeliſtæ atque Apoſtoli, Vnius illius teſtimonio creditur ab omnibus, ſi tamen ab omnibus; Cur non multorum teſtimonio eadem fides habetur in omnibus? Vtrobique prefoctò & DEI miniſtri ſunt, & veritatis teſtes; & in eo quod vtrumque factum Deo attribuũt, eandem à nobis fidem atq; confeſsionem in vtroque exigunt; quoniam impoſsibile eſt ſine fide placere Deo; & ſicut fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei; ita etiam in tranſmutandis rebus non eſſe impoſsibile apud Deum omne verbum credamus.

Moſes Euãgeliſta.

Heb. 11.

Luc. 1.

Quod ſi fide verbo Dei inhærendum eſt; vt eſt maximè; ſanè (quod Petrus etiam ſcripſit) firmiorem habemus propheticum ſermonem noui Teſtamenti, vel in hac ipſa etiam tranſmutatione, quàm in creatione; quia futura omnia imperfectionem habent. Cur ergo non maior pœna timetur incredulitati, quæ eſt de tranſmutatione, quàm quæ eſt de Creatione; niſi fotrè (quod timeo) qui non credit tranſmutatione idem per eam ſuam incredulitatem toti mundo teſtatum velit, quàm nihil credat etiam Creationi, aut certè filium Pates minorem, minusque potentem cum Ario cenſeat. Quanquam nec pater ſine filio

2. Pet. 1.

creauit,nec filius ſine patre benedixit.

At verò ſi teſtimonia voluntatis diuinæ requiris in tranſmutatione, quæ non exigis in creatione,en tibi omnium diuinorũ operum,quæ ſuprema illa maieſtas ab initio rerum,& ante nos, & in medio noſtri, operata eſt,nulla vſpiam extat cauſa, præter voluntatem Dei operantis;voluntatis verò cauſa huius eſt ipſa operatricis bonitatis Bonitas.

Pſal.17. &.21

Quam ob rem ſicut Pſalmiſta olim cecinit: Omnia quæcunque voluit fecit: ita & ego viciſsim rectè dixero; omnia quæcunque fecit,voluit:Nam eodem modo idem propheta alibi canit;Saluũ me fecit, inquit quoniam voluit me. Tranſmutauit autem panem & vinum in verum corpus ſuum & ſanguinem.Id quod ipſe primùm diſertè, tum etiã Apoſtoli, Martyres ac per vniuerſum orbẽ diffuſa confitetur ac teſtatur Eccleſia. Quis ergo de voluntate Dei in hac re ambigendi relictus locus eſt? An non voluntas Dei eſt, vt ſit Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech;idque in æternum? Iuramento quodam hanc volũtatem ſuam confirmauit Deus,nec pęnitebit eum. Neq; nudũ hoc ſacerdotis nomen geſsit, ſine re; ſed, quod proprium eſt huic ordini, functus eſt officio;In pane & vino quidẽ, quando primùm ea in menſam protulit;in corpore & ſangui-

Chriſtus ſacerdos. Pſal.109.

ne ſuo

ne ſuo ſub panis viniq́ue ſpeciebus, quandò tranſmutata eadem ſumenda porrexit, ac; quid noui teſtamenti nouus ſacerdos porrigeret, verbis declarauit; Hoc eſt corpus meum, inquiens; hic eſt ſanguis meus; Manducate, bibite. Alioqui ſi panis & vinum non tranſmutata manſerunt; nulla eſſet veteris ac noui Teſtamenti Sacramentorum differentia. An non eſt voluntas Dei, vt in Chriſto nòn modò pacificarentur: ſed & vnirentur Deus & homines? Iuxta illud; Erunt duo in carne vna; atq; adeo in carne vna, vt Apoſtolus de nobis nô dubitauerit dicere, quod ſimus membra corporis eius; corporis, inquit, eius; non tantùm ſpiritus; de carne eius, & de oſsibus eius.

Sacramentorum utriuſq; Teſtamenti differentia ueritatem aſtruit.

Vnio Chriſti & noſtri. Ephe. 5.

Quamobrem ne tu mihi hîc de ſola ſpiritus Chriſti in nobis vnione ſomnium tuum narres, Andrea; ipſo Chriſto teſtante, quod ſpiritus carnem & oſſa nòn habet. Et de ſpiritus vnione Apoſtolus dicit, quòd qui adhęret Deo, vnus ſpiritus cum eo eſt. Sed idē quoque alibi de vtriusq; tam corporis quā Spiritus vnione, tam propriè atque differenter teſtatur, vt mirer, ſi quis hæſitet, vnionem eſſe etiam corporis. Vnum corpus, inquit, vnus Spiritus. Audis diſtincta atque ab inuicem ſecreta proferri, vnum corpus, & vnus ſpiritus? Et quomodo vnū corpus, quæſo, niſi

Luc. 24.

1 Corinth. 6.

Duplex unio corporis & ſpiritus. Epheſ 4.

ſo, niſi veri ſui corporis vera participatione? Sicut Chriſtus vnum cum patre non eſt niſi diuinitatis paternæ vnione. Neque enim nos alimenta hæc in noſtri corporis tranſmittimus ſubſtantiam; ſicut reliquum cibum corporis noſtri; ſed vt Auguſtinus annotauit, illa nos potiùs transferunt in ſe; vt non ſint ex vno CHRISTI corpore, quo veſcimur atque potamus, multa corpora; ſed ſit ex multis vnum. Vnum corpus, inquit Apoſtolus, & vnus ſpiritus. Quod quo modo ſit, cum intellectu non capio, (fatebor enim) fide teneo; etſi verum ac viuum membrum CHRISTI ſum, etiam aliquãdo ſentio, nec in mirabilibus, quæ ſupra me ſunt, ambulare præſumo, quoniam ne hoc quidem, quomodo diuinitas & omnia CHRISTI in aſſumpta humana natura, nec quomodo Spiritus & anima noſtra in mortali hoc corpore & vnum quodammodo atque diſtincta ſint, intelligo. Si humana ratione aut intellectu diuina perſcrutanda cenſemus; cur non potiùs Creationis opus priùs indagamus? poſtea verò in tranſmutationis arcana tranſimus? quoniam illud ſicut tempore ſic etiam ratione prius eſt.

Aug. lib. 2. Confeſſ.

Quatuor motuum genera.

Nam cùm omnium rerum mutatio quadruplici conſtat motu, primus ſanè ille eſt, quo

quo ex nihilo in principio creata ſunt om- Gen.1.
nia, quę ſunt; vt Moſes teſtatur, ac fides Chriſtiana confitetur. Et huic quidem mutationi nemo noſtrorum repugnat, quantumuis philoſophia reclamet; ex nihilo fieri Secundus
nihil. Eſt alter motus, quo omnia; quæ con- motus.
ſtant ex nihilo, rurſus in nihilum, aut in aliud quidpiam, ſeu id miraculo, ſeu natura, abeunt. Et hunc ſubſtantialem vocamus: vt cùm nux in arborem euadit, vel cibus & potus in carnem & ſanguinem humanum naturaliter tranſmutantur. Quanquam omnia rurſus in nihilum redigi ſingulare quid eſt, ac intellectu tantùm & mente percipitur. Nam cùm ſolus DEVS cauſa ſuprema ſit omnium vt ſint quæ ſunt, atque conſiſtant, collabi ac in nihil redire omnia neceſse eſt, ſi is, qui ſuſtinet DEVS, vo- Aug. ad Pe
luntatem ſuam vel ad vnum momentum licianum.
ſubtrahat. Id quod Auguſtinus etiam alibi in hanc ſententiam teſtatur; Creatura ex nihilo conſtat; quam ob rem, quantùm in ipſa eſt, propria vi atque natura rurſus in nihil relabi neceſſe eſt, niſi perpetuò per DEI gratiam contineretur. Et huic ipſi etiam mutationi nemo Chriſtianus repugnat, præter philoſophos ſine verbo DEI Sapientes, quorum axioma eſt; Quod factum eſt, infectum eſſe nequit.

Tertius motus. Eſt tertius motus, quo, manente rei ſubſtantia, accidens ſiue qualitas vna pluresúe alterantur, arte vel natura; vt cùm ferrũ vel pondere amiſſo ſuper aquam natat, vt in Regũ *4.Reg.6.* libris eſt: vel colore mutato ignitum candẽs videtur, cùm natura ſit ferrugineũ. Re- *Quartus motus.* ſtat quartus motus, quo, manente qualitate ſeu accidentibus, ipſa ſubſtantia mutatur in aliud, ſicut panis & vinum in corpus & ſanguinem domini, manentibus in altari colore, ſapore, &c. Et huic totus ferè Mundus ſeſe opponit (præter eos quos Dei benignitas in Chriſti fide ac veritate ſeruauit hactenus) nullam ob aliam cauſam, niſi quia hæc filij Dei Ieſu Chriſti propria, & prioribus tribus cùm melior tum vtilitate potior ſit; Melior, inquam quod terrenam ſubſtantiam in carnem, & ſanguinem Deificam tranſmutat: vtilior, quod reliquæ tres illæ nihil prodeſſent, ad beatitudinem conſequendam conſeruandamúe, niſi hac ſingulare aliquod remedium ſuis parauiſſet. Id quod Dauid longe antea & ſpiritu præuiderat, & certò futurum ore vatidico nunciauerat: paraſti inquit, in conſpectu meo menſam, aduerſus omnes qui tribulant me. Quo *Pſal, 22.* maiore reprehenſione digna eſt multorum ingratitudo, qui nauſea quaſi ducti, inenarrabile hoc donum miris modis defœdent, quic-

quicquid libet errorum opinionũ blaſphemiarumque euomentes.

Sed antiquum Mundus obtinet, nec vſquam ſui poteſt eſſe diſsimilis. Iam enim inde etiam ab exordio Euangelij inimicum ac ſugillatorem ſe omnium, quæ Dei filius verbo factisque præſtitit, exhibuit. Nam quemadmodum in Mundo quatuor motus inueniuntur, atque à nobis iam iam perſcripti ſunt; ita & humanorũ corporum quatuor generationes traduntur, primus enim generandi motus eſt ſine viro, ſine fœmina, ſed ex terra. Sicut Adam creatus eſt de limo terræ. Huic alter motus opponitur, qui iam cõmunis eſt omnibus, ex viro pariter atque fœmina; vt Iſaac ex Abraham & Sara. Tertius, non de fœmina, ſed de viro, vt Eua ex coſta Adam. Atque his tribus motibus microcoſmi formandi repugnat nemo; ſicut nec ſuperius quidam tribus prioribus motibus vniuerſi. Quartus ſequitur, qui eſt non de viro, ſed ex fœmina; Sicut Ieſus Chriſtus ex Maria virgine, ſine virili ſemine. Vt verò quarto motui, qui eſt ſubſtantiæ, manentibus accidentibus; ita & huic quarto generationis modo ab omnibus Iudæis atque paganis reclamatur. In hac etenim generatione oppugnanda omnes vires, omnes neruos ſuos Mundus extendit, dicendo, ſcribendo, occi-

Corporũ humanorũ quatuor generationes.

I. *Gen. 2.*

II.

III.

IIII.

dendo. Quanquam ſi humanæ vires intelligentiæ conſiderara velimus, æque impóſsibilis ſit omniũ modus, quartus tamen ſolus in Scripturis ſanctis verbis ſigniſq; & prædictus & promiſſus, & fædę generationis noſtræ decus atq; ornamentum ſit vnicum, ſine quo noſtri nos & pudere & tædere æternũ oportuit.

Vide ergo, lector prudens ac candide, quàm nihil nouum adferant iſti, contra filij Dei carnem: quàm vtrobique æque impugnetur hæc caro: vt verè de ea intelligi debeat, quod Simeon vaticinatus fuit: poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contra-
Luc.2. dicetur. Prorſus contradicitur, CHRISTO enim affirmante, ac dicente: Hoc eſt corpus meum: Contrà Mundus arguit: Non corpus tuum, ſed panis eſt. CHRISTO aſſerente: Hic eſt ſanguis meus: Obgannit Mun-
Matth.11. dus: Non ſanguis tuus, ſed vinum eſt. Sed beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in verbo iſto. Non enim inultam ſinet Iudex iuſtus hanc contradictionem. Nam eodem ſpiritu per Simeonem & contradictio prę nunciata, & pęna Contradictori interminata eſt. In ruinam nempè incredulis poſitus eſt Chriſtus. Sed qui nocet noceat ad huc; &
Apo.22. & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Nihil•

hilo minus tamen ipſe DEVS in operibus manuum ſuarum interea pergit oſtendere ac notafacere mirabilia ſua: Sapientiam ſapientium Mundi huius, quæ inimica Deo eſt, perdens, & prudentiam prudentium reprobans, vt fideles ſuos, gloriam magnificentiæ ſuæ ac potentiam pronũciantes, per ſtulticiam prædicationis ſaluos faciat. *1. Corinth. 1.*

Etenim hoc proprium redemptionis noſtræ diſpenſatio ſemper habuit, vt ab ea & Incredulitas magis magiſque excæcata condemnetur; & fides in ea magis magiſque illuminata coronetur. *Ab exemplis ueritas aſtruitur.* Quid eſt, natum eſſe CHRISTVM non ſimpliciter ex virgine, ſed ea ex virgine, quæ ſit deſponſata viro? *Natus ex uirgine ſed deſponſata.* An non multis hoc ipſum fabri eum filium eſſe ſuſpicandi fuit occaſio? Sed Petrus ex eodem ipſo facto fidei ſuæ præmium reportauit ampliſsimum, palàm aduerſus omnem ſuſpicionem mali profeſsus; tu es, inquiens, Chriſtus filius Dei viui. *Matth 16.* Deinde ipſa etiam aſſumpta natura humana, an non ipſum Satanam ita excæcauit; vt nullo tot tantorumque ac prorſus inauditorum miraculorum reſpectu, ad ipſam tamen vſque mortem eum CHRISTVM oppugnauerit, & quantum in ipſo fuit, etiam occiderit, nec ſua ſuorumque ex ea morte proficiſcentia *Satan. excæcatus.*

damna irreparabilia prȩuidere neque animaduertere potuerit. At verò ex hac ipſa natura aſſumpta adeo illu mimati videntur Credentes, vt in ſumma miſeria extremaque neceſsitate quolibet modo poſiti ac preſsi, ne hodie quidam per vllam aliam rem ſalutis ſuæ ſpem concipiant animo, prȩter vnam Ieſu Chriſti aſſumptam naturam humanam, eiusque paſsionem. An non Apoſtolus teſtatur: verbum crucis, Iudȩis ſcandalum, gentibus eſſe ſtultitiam: ipſi verò Credentibus Dei virtutem atque ſapientiam. Attamen aure audientes, ſed corde non intelligentes ſacramenti huius verbum ſcandalizati ſunt, multi etiam ex diſcipulis, & abierunt retrò. Petrus verò fide myſterium hoc cognoſcẽs, ſuo ſuorumque nomine reſpondet: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Sed neceſſe eſt, vt veniant ſcandala: atque oportet, quod in hac filij Dei carne diffidẽdo, cùm etiam tùm mortalis in terra degeret, commiſſum aliquoties eſt, idem committi etiam modo; ac donec myſticum Capitis ſupremi illius corpus in orbe terrarum oculis conſpiciẽdum prȩponitur, In eadem carne erit, vnde & pereat diffidendo incredulus, & credendo ſaluetur fidelis,

1. Corinth. 1. *Ioan. 6.*

Cõminatio. Quam ob rem, Andrea, minus eo facultatis artisúe relictum tibi putato, quouis colore

colore quęſito,vel nunc tuam ipſius conſcientiam ſaluandi, vel olim iudicij die illa vllam vel propriæ incredulitatis vel alienæ perſuaſionis excuſationem ſperandi. Ipſe Chriſtus,cuius tu modò authoritatem proſcindis,cuius teſtamentum perpetulantiam laceras, cuius ſempiternam voluntatem ſuperbè contemnis atque infringis;Iudex cauſæ ſuæ ſedebit. Stabunt contra te conſcientia propria, veritas *S.* Scripturæ infracta, & totius Eccleſiæ caſtra;videbis carnē in iudicio,quam negaſti in Sacramento;audies vocem maledicentis,quam audire recuſaſti benedicentis;Manus te dijudicabit,quæ in Cæna conſecrauit:Maledictus enim pronunciatur Dei verbo,qui non permanet in ſermonibus his. Væ filij deſertoris, qui os meum non interrogaſtis ait dominus. Quam ob rem omnis populus cum propheta Abacuc dicat:audiui auditum tuum Domine,& timui:conſideraui opera tua,& expaui.

Deut.27.
Iſa.30.
Abac 3.

Sed tempus eſt,vt videamus, quomodo etiam ſecundo (quem diximus) modo verū Chriſti corpus & ſanguis verè ſit in Euchariſtia,hoc eſt,quod ſit etiam nomine. Quāquam Chriſti hoc ipſum, quod aſtruimus. enunciantis verba tam ſint aperta ac clara; vt non debeant à quoquam Chriſtiano in quæſtionem vocari,nec niſi de vera ab ſub-

SECVNDA PARS PRINCIPII.
Eſt corpus Chriſti in Euchariſtia etiā nomine

ſtantiali præſentia corporis ac ſanguinis ipſius intelligi, obuiandum tamen & hoc loco eſt ijs, qui ad excuſandas excuſationes in peccatis, obſcuritatem, quam in omnibus alijs ſacris ſcripturis tanto clamore ſolet eleuare, his ſolis verbis ineſſe audent prætendere. Hoc eſt corpus meum inquit Chriſtus IESVS, quod pro vobis tradetur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Clara ſunt hæc verba cùm ad voluntatem eius in hoc myſterio manifeſtandum; tum etiam ad docendum. quid ſit id, quod ipſe Apoſtolis manducandum bibendumq́; porrexit. Nota eſt omniũ Theologorum maxima; Quod verba Dei in myſterijs inſtituendis: & in legibus ferendis, ita, vti ſonant, accipienda ſint ſimpliciter, nec vllus Tropus in ipſis confingendus, Primum ergo in myſterij huius inſtitutionẽ demõſtratiua voce Chriſtus Iuſtitutor vſus eſt, Hoc eſt, & hic eſt: Quæ vox cùm ſit ſubſtantia demonſtratiua; certè id ipſum, quod tunc Dominus in manibus ſuis habebat, oſtendit eſſe ſubſtãtiã, deinde verò ac naturalibus eandẽ ſubſtãtiã priuans Articulis, (verus enim panis Articulus eſt, nõ hoc; ſed, Hic; Et verus Articulus vini eſt, non hic ſed hoc, quodcunq; ac qualecunque nomen illi ipſi ſubſtantiæ inditurus,

Maxima.

Vox: Eſt.

Articuli. { *Hic panis.* *Hoc corpus* *Hoc uinũ.* *Hic ſanguis.* }

rus, certè priuata, vera ac naturali appellatione panem vel vinum eſſe negat. Tertiò, ita eam ipſam ſubſtantiam nudam ac ſine nomine relinquit poſtquam ſubſtantiam eſſe demonſtrauit; vt non poſsit intelligi, quid ſit illud ſubiectum in manibus eius, niſi accedente prædicato, id eſt, enuntiatione reliquarum vocum. Itaq; hactenus ſine nomine relicta ſubſtantia, ſine prædicato ſubiectum, in manibus filij Dei viuentis; id erit, quod ipſe, qui nouit, eſſe enúciauerit. Interrogauit aliquandò Dominus ſeruum ſuum Moſen, quod eſſet, quid tenebat in manu ſua; virgam eſſe reſpondit; & mandato Domini quam virgam in terram proiecerat, in colubrum verſam videns, fugit. Aliud eſſe dicebat ſeruus; aliud ex eodem faciebat Dominus. Iterrogemus & nos viciſsim non iam serui Dominum (ſeruus enim neſcit quid faciat Dominus ſuus, Ioan 15.) ſed fratres & cohæredes fratrem, imò patrem filioli paruuli; Dicamus illi: domine, quid tenes in manibus tuis? Auſcultate; & audite dominú mecum, vt exaltemus nomen eius in idipſum. Qui enim aperiens manũ ſuã, implet omne animal benedictione, aperiet, imò iam aperuit os ſuũ, & implebit corda noſtra & intelligentias noſtras nõ vanitate, ſed veritate. Semel locutus eſt, duo audiui; Hoc eſt corpus *Pſal 16.*

Exod 4.

meum, hic eſt ſanguis meus. Si dixiſſet: Hic panis eſt corpus meum; & hoc vinum eſt ſanguis meus, ſeruato vtriuſque naturali Articulo; ſicut alibi dixit; Semē eſt verbum Dei: &, ſicut poſt eum Apoſtolus eius dixit: Petra erat Chriſtus: tecum, Andrea, (mihi crede) duo ea eſſe dicerem, & tibi multo firmius crederem, vbi Deus & Dominus & pater meus duo eſſe dixiſſet; nec vnquam ori eius maledicens, alterum negarem. Nunc verò, cùm ad mutatos Articulos mutatur etiam vtriuſque prædicatum; permitte, quæſo te, vt filij audiant patrem, & confidāt de benignitate eius. Sicut enim ignorant alienam vocem; ſic quoque non norunt alienam loquelam: Nec audiant ſolùm, ſed tua pace dicant etiam quod audierunt: Hoc eſt corpus Domini Ieſu. Hic eſt ſanguis Domini Ieſu. Iraſceris? At durum eſt tibi cōtra ſtimulum recalcitrare. Audi potius, ac diſce, quid paſtor ouibus, quid de cæleſti patre ſuo homo & frater noſter factus dicat filius; Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem; nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris; quantò magis pater veſter cæleſtis de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Au-

Luc.8.
1.Cor.10.

Act.9.

Matth.7.
Patris Dei beneficentia in alijs donis, ueritatē hic aſtruit
Marc.11.
Luc.11.

ſe?Audis, Andrea, quia pater dando non fallit. Huius patris Chriſtus dapifer noſter genuinus eſt filius, potentia ac voluntate adeò illi par atque æqualis, vt eiuſdem eoque vero teſtimonio, qui videt filium, videat & patrem. In ipſo etenim pater manens ipſe facit opera. Nota eſt maiorũ noſtrorum in ſemine Iſraël ad communem Deum patrem pro hoc dono toties & ſemper noua deuotione nouiſque repetita ſuſpirijs petitio; quando alij cœlos dirumpi, alij terram eperiri, ac ſaluatorem hunc germinari ardentiſsimè poſtularunt. Datus à patre in crucẽ, ſeipſum offert in menſam; Qui in patibulo, idem eſt etiam in Chriſtianorum conuiuio. Credis voci patris, qua dicit: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite? Cur non filio credis dilecto? dicenti; Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. Scilicet tam clarè profeſſus, ſe corpus ſuum atque ſanguinem ſuum nobis in eſcam ac potum propinare; blaſphemo præuaricatoris ore audiet, verborum ludere pręſtigijs, & ad vocem mendacij pro vero corpore proque vero ſanguine, qua promittit, panis bucellam vinique cohęredibus ſupponere præſtigiator, atque obtrudere guttulam, inanesque dimittere ſuos. O os impudens. Túne homo, ne quid aliud dicam, deum tuum alieni argues mẽdacij? An neſcis

Ioan. 14.

Matth. 17.

Matth. 26.

quia ipſe per eſſentiam veritas eſt. Ioan. 14. Non mentitur Deus, Tit. 1. Imò impoſsibile eſt, Deum mentiri. Heb. 6.

Adæ rebus creatis nomina indidit.

Adam olim in rerum exodio Dei non ſuis Creaturis nomina indidit; & ipſa nomina rebus quibusque propria manent. Gen. 2. Et quæ, malum, inſania; vel potius iniuria eſt hæc tanta in CHRISTVM, Creantis Dei filium, vt quæ ipſe proprijs non alienis Creaturis indit nomina, auſu temerario, eoque nefario, ipſi ijdem quoque Plaſma eius, mutemus? Si ratio id quod ipſe dixit, negat; ſunt alia certè multa quibus idem vniuerſorum dominus noua indidit nomina, rationi prorſus repugnantia. Vbi enim, quæſo te, ratio capit, pauperẽ eſſe diuitem? At Chriſtus pauperes, regni cælorum edixit Dominos. Mat. 5. Luc. 6. Contrà, quis vnquam ratione concipiat, diuitem & locupletem & nullius egẽtem, re vera eſſe miſerum, miſerabilẽ, & pauperẽ, & cæcum, & nudũ? Scriptura hoc tamen affirmat. Apo. 3.

Diues pauper eſt Pauper diues

A potentia Dei.

Deus eſt, de quo ſcriptũ legimus; Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt, Pſal. 148. Ipſe eſt qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt Rom. 4. Hic dicit; Hoc eſt corpus meũ; Hic dixit; Hic eſt ſanguis meus. Huius enunciationi tua ſi conſentanea eſt ſententia, vt æquum eſt atque oportet; cur verba diſſentiunt?

tiunt? vnam ſe cum Chriſto tueri ſententiam etiam ſi angelus dicat, non tamen verbis cum ipſo conſentiat; vt credam religio mihi ſit, Galat. 1.

Sed dicis, vos in explicatione verborum Chriſti, alius, quàm Dominus, verbis vti neceſſariò, ſed excuſationem frigidam vſitata Dialecticorum lex refutat; quæ vult, cuiuſcunque rei difinitionem ſeu deſcriptionem ex ipſa definiti natura peti; ita, vt ſi quis rem, qua de controuertitur, ac definienda aſſumitur, antè cognouerit; definitionem legens, ſtatim intelligat, definitionem vnum idemque cum definito eſſe, non diuerſa. *Definitio rei definitæ conuenit.* Iam verò CHRISTVS hunc verba ſua explicandi, deſcribendique corpus ſuum, quod ipſe dedit, laborem in ſe ipſo aſsumpſit; nec vllum dubitandi locum in ea deſcriptione explicationeq; reliquit, vero nos ſuo ipſius ac reali corpore ſanguineque paſci. *Chriſtus ipſe definiuit quid ſit illud quod dederit.* Abi igitur in malam rem cum tua iſthac explicatione; quę CHRISTO cum ſit contraria, pijs omnibus non poteſt non eſſe inſuauis atque ingrata. Si quid enim alicubi in ſanctis ſcripturis graue videtur atque obſcurum; ſolemus, qui DEO, pluſquam no bis ipſis, credimus, cum præcedentibus conferre ſubſequentia textus Euangelici verba, ne à fidei Analogia erremus. *Præcedentia ac ſequentia Chriſti uerba in Cæna.*

In

In Cæna verò Chriſti enunciationem nihil præcedit, quod diuerſum à noſtra ſententia à verbis Inſtitutionis colligendum ſuadeat: Subſequentia verò prorſus nobiſcum faciunt: Hoc eſt corpus meum dicens, ſtatim addit: quod, corpus ſcilicet, pro vobis tradetur. Relatiuum enim eſt quod: Hic eſt ſanguis meus dicẽs, itidem addidit, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Sic dextrè etiam Ioan. 6. de hac re differens: Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Vbi ſcandalizatis Iudæis de verbo iſto, explicãs ait: Hoc vos ſcandalizat? Quid ergo, ſi filium hominis videritis aſcendentem, vbi erat prius? Ac ſi dicat; magis ſcandalizabimini, quãdo corpus hoc, quod fidelibus in terra veſcendum dabitur, à terra in cœlum aſcendiſſe memineritis. Quæ verba apertam huius temporis errorum prædictionem continent. Sicut tu ipſe etiam errorem tuum ex aſcenſione in cœlos huius corporis ſemel facta viſibili cõfirmare Articulo tuo quarto laboras; ac eos, qui veram veri Chriſti corporis ac ſanguinis in Euchariſtia præſentiam confitentur, viſibilem eiuſdem in cœlos aſcenſionẽ per hanc ipſam cõfeſsionem negare temerè atque futiliter nugaris.

Alia Euchariſtiæ nomina.

Sunt quidem & alia huic myſterio addita nomina,

nomina, ad ſignificādas eas res, quarum cognitio neceſſe eſt in mentem nobis venire. Quia enim corpus hoc ſacrificium Deo gratum oblatum ſemel fuit, in quo pater peccata noſtra expiari, remiſsionem mereri, ſibique nos reconciliari, atq;, in partem ſortis ſanctorum dignos effectos, hęredes ſuos, filij verò ſui cohæredes fieri voluit: ideò ad admirandi illius ipſius beneficij recordationem excitandam, ſacrificium dicitur: paſſio Christi, eſt ſacrificium, quod offertur, inquit ſanctus Martyr Cyprianus. Deinde vt gratos nos pro accepto beneficio hoc Dei exhiberemus. Euchariſtia, hoc eſt, gratiarũ actio, dicitur. Rurſus propter vnionẽ, quam in hoc ipſo myſterio cum capite habent mẽbra, ſynaxis, id eſt, communio vocatur. Sic viaticum dicitur, quod in ipſo alimur atque fouemur ad vitam illam ſupernaturalem cœleſtem. Quin figurā etiam & ſignum, & exemplar, & ſimilitudinem, idque genus alia dicere nihil vetat: vero tamen ſenſu ſuo: nō vt in eo veritas corporis & ſanguinis Chriſti abnegetur; ſed vt id, quod rectè ac neceſſariò in ipſo conſiderandum venit, intelligatur. De qua re Rabanus in libro ſuo de Euchariſtia latè diſputat Cap. 12. Ad quem etiam Lectorem remitto. Citantur alibi & Auguſtini verba: Corpus Chriſti & veritas & figura

Sacrificiũ. *Euchariſtia* *Synaxis.* *Viaticum.* *Figura ſignum.*

gura

gura eſt. Veritas, dùm corpus CHRISTI & ſanguis, virtute Spiritus ſancti, in verbo ipſius, ex panis viniq; ſubſtantia conficitur. Figura verò eſt, quod exteriùs ſentitur. Ipſæ enim ſpecies externæ illæ panis ac vini, ſub quibus CHRISTVS verè continetur, tāquam exemplaria nos admonent cruenti illius corporis ac ſanguinis, quod in Cruce appenſum atque effuſum fuit. Admonent etiam myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, id eſt, congregationis fidelium in vno ſpiritu ac capite, tanquam membrorum vnius animæ ac capitis. Vnde etiam Damaſcenus hæc ipſa myſteria lib. 4. Cap. 14. futurorum vocat myſteria. Quod ſi ob hęc nomina, Euchariſtiæ attributa, veritatem corporis in ea ac ſanguinis negare quis voluerit; idem fecerit, ac ſi neget CHRISTVM conſubſtantialem patri ſuo, vel verum hominē; proptereà, quod ſcriptū de eo ſit. Heb. 1. quod ſit imago inuiſibilis DEI, & figura ſubſtantiæ eius: & quod ſit in ſimilitudinem hominum factus, vt homo. Philip. 2. Quod ſi hoc nemo pius, nemo Chriſtianus dixerit; certè neque illud quiſquam, ſine impietatis nota atque Chriſtiani nominis abiuratione. Philippus alibi narrat de panis vocabulo; ac quia Apoſtolus panem dixit, panem eſſe contendit. Sed ſi hæc conſequentia vera eſſet,

Panis

eadem

eadem ratione verbum DEI panis eſſet,& fides,& nos denique omnes panis eſſemus. Nam & hæc omnia in ſacris literis panis dicuntur. Thren.4. Matthęi.4. 1. Corinth.10. Quamobrem, vt quæ paucis de ſecundo modo præſentiæ CHRISTI corporis ac ſanguinis, hoc eſt, de nomine atque appellatione dicta ſunt, concludamus; CHRISTI verbis ita, vt ſonant, ſimpliciter atque conſtanter, vti fideles decet, inhærentes, mentis noſtræ intelligentiam à panis ac vini ſubſtantia, quæ hîc amplius nulla reſtat, abſtrahimus, vt quę ſimul cum corpore ac ſanguine eodem in loco eſſe, ac ſimul ſumi non poſſunt: palamque profitemur: Hoc CRHISTI corpus eſſe hunc CHRISTI ſanguinem eſſe: quæ duo ſub viſibili, ſed aliena tamen ſpecie, in Cęna propinauit diſcipulis: pane & vino, ad vocem ipſius omnipotentē, vel in nihilum redactis, vel in præiacentem materiam, aut in ipſum corpus & ſanguinem CHRISTI conuerſis, manentibus tantùm ſpeciebus, ſiue accidentibus. De qua re ſuo loco.

TERTIA PARS PRINCIPII.

Quod ſit corpus Chriſti in Euchariſtia effectu.

Iam de tertio modo præſentiæ Chriſti corporis & ſanguinis in Euchariſtia dicendum; quod non ſit ibi tantùm ſubſtantia, ac nomine, verum etiam ſuo proprio effectu. Quis verò proprius effectus ſit carnis Chriſti, quā

ſibi

facta,omnibus propoſita cauſa ſalutis ęternæ. Verùm cum hanc vnitatem cum Deo ac Chriſto,adeoque intimam coniunctionem conſeruandam conſequendamúe quædam promouent,nonnulla verò impediũt ac impediunt: ideò neceſſe eſt, ſi vnum eſſe cum Chriſto velimus, ea quæ promouent nobis conciliare; & quæ impediunt, longè repellere. Promouent autem Dei gratia;impediunt noſtra peccata. Quare ſicut per viſibilē illam Chriſti carnem gratia data eſt, Ioannē teſte:lex per Moſen data eſt,gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum,Ioan.1.ſicut etiam per eandem remiſsio peccatorum indulta fuit, Baptiſta clamante:Ecce agnus Dei, ecce qui tollit, peccata mundi:Ita, ſi in ſancto myſterio hoc eoſdem illos gratiæ & remiſsionis effectus conſequimur;neceſſariò Euchariſtiam verum Chriſti corpus & ſanguinem eſſe conuincitur. At quis ea de re dubitandi locus relictus eſt, cum de vtroq; hoc effectu in Euchariſtia Chriſtus ipſe tam apertè teſtetur? De gratia enim tanquā primo effectu dicit: Qui manducat me,viuet propter me. De ſecundo etiam,hoc eſt,peccatorum remiſsione, ait : Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis tradetur:Hic eſt ſanguis meus, qui effundetur in remiſsionem peccatorum:Hoc manducate: hunc bibite.

Effectus cœnæ Chriſti, gratia & peccatorum remiſsio.

facta,omnibus propoſita cauſa ſalutis ęternæ. Verùm cum hanc vnitatem cum Deo ac Chriſto,adeoque intimam coniunctionem conſeruandam conſequendamúe quædam promouent,nonnulla verò impediūt ac impediunt: ideò neceſſe eſt, ſi vnum eſſe cum Chriſto velimus, ea quæ promouent nobis conciliare; & quæ impediunt, longè repellere. Promouent autem Dei gratia;impediunt noſtra peccata. Quare ſicut per viſibilē illam Chriſti carnem gratia data eſt, Ioanne teſte:lex per Moſen data eſt,gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum,Ioan.1.ſicut etiam per eandem remiſsio peccatorum indulta fuit, Baptiſta clamante:Ecce agnus Dei, ecce qui tollit, peccata mundi:Ita, ſi in ſancto myſterio hoc eoſdem illos gratiæ & remiſsionis effectus conſequimur;neceſſariò Euchariſtiam verum Chriſti corpus & ſanguinem eſſe conuincitur. At quis ea de re dubitandi locus relictus eſt, cum de vtroq; hoc effectu in Euchariſtia Chriſtus ipſe tam apertè teſtetur? De gratia enim tanquā primo effectu dicit: Qui manducat me,viuet propter me. De ſecundo etiam,hoc eſt,peccatorum remiſsione, ait: Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis tradetur:Hic eſt ſanguis meus, qui effundetur in remiſsionem peccatorum: Hoc manducate: hunc bibite.

Effectus carnis Chriſti, gratia & peccatorum remiſsio.

M Itaque

Itaque cùm ſub viſibilibus ſpeciebus verum ac ſubſtantiale Chriſti corpus ac ſanguis inuiſibiliter præſens effectu etiam reſpondeat viſibili carni & ſanguini eiuſdem Chriſti; vnum idemq; vtrobiq; corpus eſſe, dubitare non debemus, quanquam non vno eodemque vtrobique modo.

Cæterùm quia gratiæ ac remiſsionis peccatorum meminimus, tanquam effectuũ in Euchariſtia; vt rudioribus nõnihil etiam cõſulamus, copioſiùs aliquantò de vtroq; dicendum modò eſt. Gratiam etenim, quã in Euchariſtia dari aſſerimus, gratum facientẽ neceſſariò intelligimus. Et hęc ipſa trifariam accipitur. Aut enim noua acquiritur in Euchariſtia; aut, quæ antea habebatur, incremẽta ſumit; aut deniq; acquiſita dudum, & per incrementa augmentata, nouos quoſdã ſpirituales motus cum mentis noſtræ delectatione excitat. Atq; ſingulę harum ſpecies in vno illo corporis Dominici effectu, quẽ diximus, cõſiderantur. Vſitata eſt enumeratio, quatuor hominũ genera adeſſe Cœnæ Chriſti: malorum qui quidem ſacramentum accipiunt, rem verò ipſam Sacramenti non accipiunt; vt qui indignè accedentes, exciderũt à gratia. Boni ſacramentum & rem Sacramẽti accipiunt; ſicut & tertij & quarti ordinis; ſed non eadẽ plenitudinis menſura vt Baptiſmo ini-

Gratia gratum faciẽs.

Quatuor hominum genera circa hoc Sacramentum.

Mali.

Boni.

ſmo initiati primum, ac confirmati; qui liberati quidem ſunt à iugo veteris conuerſationis, expoliati hominem terrenum, non niſi per participationem huius myſterij, in vnam corporis myſtici commenſurationem concorporantur. Aliæ duæ ſpecies ſunt proficientium & perfectorum, ſecundum maius & minus. Hi ordines participantium in Dionyſio libro de Eccleſiaſtica hierarchia toto obſeruantur. Sed cuiuſque ſacramenti effectus ex ſimilitudine materiæ ſuæ conſiderari ſolent. Vt in Baptiſmo, aqua abluens corpus, ſignificat gratiam, animam à peccatis purgantem. Sic cum Euchariſtię materia ſit panis ac vinum: effectus ipſius intelligendus eſt à ſimilitudine effectuum eorundem materiarum: vt ſicut panis & vinum nutriunt debilitatos humores corporum, ac nouo ſuccu reficiunt, augmentum præbent, & ad hilaritatem inducunt, viciatos verò humores corrigunt aut expellunt: Ita Euchariſtia etiam gratię conferendi ac remittendi peccati virtutem habere intelligitur. Quam tamen virtutem non ſolùm aut principaliter ex eo habet, quod CHRISTVS verè ſub materię illius relictis ſpeciebus continetur; qui tollit peccatum mundi (ſicut Chryſoſtomus etiam ſuper Ioannis decimo nono verba : Et continuò exiuit ſanguis &

Proficientes perfecti.

Effectus ex materiæ ſimilitudine conſiderandi.

aqua,ait:cùm acceſſeris ad tremendum calicem,vti ab ipſa Chriſti coſta bibiturus accede:) verùm etiam,quod ipſa Euchariſtię celebratio frequentata,ipſam nobis Domini Ieſu paſsionem repræſentat: Quotieſcũn que manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,mortem Domini annunciabitis,do nec veniat.1 Corinth. 11. Atque ideò, quod ſemel paſſus toti mundo contulit, idẽ illud ſingulis corporis ſui membris frequentatis largitur.Sed impediuntur hi effectus in multis,qui obicem gratiæ ac Sacramentorũ virtuti obijciũt:nec ſeipſos antè probãt, quod tamen Apoſtolus faciendum cum authoritate monet.Cibus enim ac potus in ſumente requirunt vitam:deſtituta etenim vita,virtutem concoquendi non habent:ſic,qui refici,nutriri, fouerique hoc cibo cupit, viuat neceſſe eſt. Prima igitur gratia (ea eſt gratis data)neceſſaria eſt,quæ initum ſpiritualis vitæ eſt. Nec minus neceſsarium eſt,vt ſemel in hanc membrorum compaginem ac communionem admiſſus, poſteà à reliquo per propriam culpam non ſit amputatus, Gratia enim Dei in membra vnius tantùm corporis,vinaque,à Chriſto,tanquã capite,influit.

Effectuum impedimẽta.

Atq; his ita de primo Euchariſtię effectu, gratiæ collatione,cõſideratis,haud difficile erit,quid de ſecundo effectu,id eſt,peccato

rum

tũ remiſsione in eadem Euchariſtia ſit ſenti endum perſpicere. Cùm enim duplex pecca ti genus ſit, alterum mortale, alterum venia- le: Mortale quidem omne delere poteſt Euchariſtia per ſeſe conſiderata, vt quæ, virtutẽ eius faciendi ex ipſa Domini paſsione habet vberrimam: illa enim fons eſt indeficiens, & cauſa remiſsionis peccatorum omnium. ſicut quod Chriſtus in cæna indefinitè dixit. Effundetur hic ſanguis meus, nempè quẽ vos iam nunc in calice ſumitis, in remiſsionem peccatorum: poſteà Ioannes 1. Ioan. 2. latiùs in genere explicat: Ipſe eſt, inquit, propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed pro totius etiã Mundi. Quin etiã reſpectu ſumẽtis, mortale peccatum Euchariſtia tollit, nempè ſi talis peccati ſibi conſcius non ſit. At ſi conſcius ſibi quis talis peccati fuerit nihilominus acceſſerit tamen, ac mãducauerit, biberitq;, adeò nullam eius remiſsionẽ ex Euchariſtia conſequetur, vt magis etiam aucturus ſit peccatũ, iuxta Apoſtoli dictum 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Neq; tamen ideo corpus domini nõ eſt, quia hunc effectum in mortali peccato tollendo non operatur: Nam ne viſibili quidem illud Chriſti corpus etiam in Cruce omnibus ſalutem

Duplex peccati genus.

Quæ peccata in Euchariſtia remittantur.

lutem,dedit;aut omnium peccata tulit. Vtrobiq; non in corpore vel curcifixo,vel ſumpto;ſed in aſpiciente & ſumente culpa ineſt; quod non ſint ita diſpoſiti, vt horum effectuũ poſſint eſſe capaces. Idem enim,de quo Apoſtolus 1.Tim.1. & 2. teſtatur, quòd venerit peccatores ſaluos facere, atque omnium ſalutẽ cupiat; de eodem ipſo idẽ quoque ſcribit,Heb.5. quòd ſit factus cauſa ſalutis ęternæ omnibus, non indifferenter; ſed omnibus(quod diſcretè addidit)obtemperantibus ſibi. Itaque in Baptiſmo & Pænitentia mortalium peccatorum remiſsionem quærere oportet, & non niſi pura mente ad ſanctam menſam puraſque dapes accedendum eſt illi, qui non vult ſeſe ipſum corporis & ſanguinis Domini conſtituere reum.

Mortale peccatũ in Baptiſmo & pænitentia remittitur.

At qui ita accedit, vti oportet, atque æquum eſt, dicente Apoſtolo: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; in eo non eſt, quod in Euchariſtia peccatum mortale remittatur: ratione ordinis, quia iam antè ſeipſum probauit, & iudicauit, Venialia verò obſorbet Euchariſtia, nõ directè, ſed ex conſequenti, nempè cùm res ipſa Sacramenti huius, quæ eſt Charitas, nõ ſolum ad habitum, verùm etiam ad actum in nobis excitatur; cuius feruore, ſecundum deuotionis modum, conſumuntur venialia.

Venialia in Euchariſtia deleri,

Sicut

Sicut Innocentius tertius quoque docet:Sacramentum hoc, inquiens,venialia delet,& cauet mortalia. Et longè ante eum Ambroſius lib de Sacram. Panis iſte quotidianus, inquit, ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.Si enim quoties effunditur ſanguis Chriſti,in remiſsionem peccatorũ effunditur;debeo ſemper accipere,qui debeo ſemper habere medicinam. Et Auguſtinus:Iteratur quotidie hæc oblatio,licet Chriſtus ſemel ſit paſſus:quia quotidie peccamus peccatis,ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt;Et quia quotidiè labimur; quotidiè Chriſtus myſticè pro nobis immolatur Dedit enim nobis hoc ſacramentum ſalutis;vt quia nos quotidiè peccamus, & ille iã mori non poteſt;per hóc ſacramentũ remiſſionẽ conſequamur Quotidiè comeditur ipſe & bibitur in veritate; ſed integer & viuus manet.Ratio ergo,cur Euchariſtia remittat venialia,non mortalia,eſt;quia illa cum Charitate ſiuè cũ vita ſpiritali ſtare poſſunt; hæc non poſſunt. Confert ergo Euchariſtia graciam,&peccata remittit.Et hunc tertiũ quoque effectum cum viſibili carne ac ſanguine Chriſtu Ieſu habet communem. QVARTA PARS PRINCIPII.

Sed quarto modo differt;neq; enim vera corporis & ſanguinis Domini ſpecies apparet.Manẽt panis & vini ſpecies. Idq; nõ ſine *Manent. Species quare.*

euidenti prouidentia diuina, ac noſtra eti-
I. am commoditate fit. Voluit enim pius Medicus infirmitati humanæ condeſcendere, & antidotum hoc mortis ſub ijs propinare ſpeciebus, quibus quotidiè aſſueuimus; ne carnem filij hominis mãducantes, & ſanguinem eius bibentes, nauſea ab inuſitatæ mẽſæ aſpectu moueremur & guſtu. Crudam enim hominis carnem in cibum manducare, & cruorem in potum imbibere, non eſt no-
II. bis in vſu. Et ſufficit rudes Caphernaitas, adeoque ipſos etiam Domini diſcipulos ſuper myſterij huius verba ſcandalizatos, ſemel vociferatos eſſe. Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandũ? Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audi-
III. re? Ioan. 6. Deindè etiam non latebat Dominum, quis in poſterum huius nequam ſeculi filiorum futurus eſſet animus, in hæc præſertim myſteria; quidque auſura ac molitura demum prudentia eſſet carnis. Mira ſanè in hiſtorijs videre licet, quot ac quantæ accuſationes infidelium, iam olim Luce Euangelica oriente, quantiſque calumnijs ſolicitata vexataque patrum fuerit pietas, ſuper hac ipſa animarum corporumque medicina. Accuſabantur enim, vt qui ante lucanis horis conuentus ſecretos agerent, infantes occiderent, eorumque & carnem vorarent, & cruo-

& cruorem compotarent. In multis per quęſtionum tantorum ſcelerum ementita confeſsio vrgebatur, vt in admirandæ conſtantiæ fæmina Bibliade contigit. Quæ tamen ingenti licet tantū non enecta cruciatu dignā Chriſtiano, imò & maſculo pectore cōfeſsionem edidit: Quo verò modo, inquit, homines iſti infantes vorent, qui etiā ab animantium ratione carentium ſanguine abſtinent? Quid, vbi ſic in inſontes ſæuitum eſt futurum fuiſſet, ſi in vera ſua ſpecie corporis & ſanguinis, à Domino cōmendata myſteria, celebraſſent? Denique, quia per ino- IIII.
bedientiam primi parentes noſtri Adam & Eua, non Deo, ſed ſerpenti crediderunt in ijs rebus, quæ corporis huius oculis in arbore illa, de qua comederant, conſpici non poterant, nempè oculorum vim nouam, boni maliq; diſcretionem, & Deorum ſimilitudinem: experiri Seruator iuſtiſsimus voluit, an, mutato tandē, aliquādò hominis anima, poſt diuturnam ex iſta inobediētia cladem, iam nō Sathanæ, ſed ipſi Deo viciſsim credituri eſſent itidem in nō apparētibus: vt fide, oppoſita fidei, & obediētia repugnante obediētiæ; vita, quæ diffidendo Deo per cibum vetitum amiſſa fuerat, credendo Dei filio, & conceſsis mauducando, recuperaretur. Has ob cauſas, quantum dijudicamus, & haud

dubiè ob plures alias, nobis, incognitas Chriſtus Ieſus verum corpus ac ſanguinem fidelibus ſuis propinans, ſpeciem alienam panis viniq́ue manere voluit. Verùm ſi quis ideò dicere velit; non verum ibi corpus Chriſti nec verum eius ſanguinem ſub his ſpeciebus contineri (ſunt enim continentes ſpecies) perindè eſt, ac ſi quis, in ea hortulam, qua Marię, inq́ue ea peregrini forma, qua duobus in villam euntibus locutus eſt, neget verum corpus ac ſanguinem Ieſu, loquentis verè fuiſſe. Nam quòd poſt reſurrectionem non ſtatim fuerit cognitus Apoſtolis; cauſam etſi Lucas oculis ipſorum, qui tenebantur, ne eum agnoſcerent, quibuſq́ue poſtea apertis cognitus fuit, attribuit, Luc. 24. Marcus tamen nonnullam eius cauſam in alienam illam effigiem CHRISTI, quam aſſumpſerat, & in qua tunc apparere volebat, reijcit. Oſtenſus, inquit, eſt ambulantibus in villam alia effigie. Marc. 16. poteſt ipſe de nihilo quamlibet, qua occultetur, nouá creare, materiam; poteſt & aliundè formam tranſumere, pro ſua imperſcrutabili voluntate, & quomodo nobis congruum eſt, ſeſe exhibere præſentem, non DEVS ſolum, ſed & homo. Hoc Iudæis etiam cognitum fuit, apud quos in libro Mechilta, Pater Deus inducitur in hæc verba loquens: Et videbo ſan-

Species manentes veritatem non eleuant.

Chriſtus ſæpe aliena ſpecie apparuit.

bo ſanguinem innocentis, quia à me videbitur, & non ab alijs. abſurdum itaque eſt, nos viſum, ſenſusq́ue alios noſtros, qui ſæpè nos fallunt & falluntur ipſi, diuinæ atque operatrici virtuti velle præponere, ſecundumq́ue eoſdem iudicare in rebus Euangelij. Longè enim intellectum noſtrum ac ſenſus diuina poteſtas ſuperat, tàm operãdo, quàm, quod operatur, occultando. His itaq; de quatuor præſentiæ CHRISTI modis conſideratis, nemo verè Chriſtianus dubitauerit vnũ vtrobique corpus, vnum eũdemq́ue ſanguinem IESV CHRISTI eſſe, quanquam hic alio modo, alio illic, ac propterea panẽ & vinum, quæ in altari proponuntur in myſterij peractione omnipotentia verbi tranſmutari in carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti: Maximè, quãdo intolerabilis illam conſortij illius noui combinationem panis & vini, cum corpore & ſanguine, ipſa etiam ratio vt vanam ac futilem refutat; nunquam duo diuerſa adeò in vno ſubiecto aut loco eſſe poſſe corpora conceſſura: multò minus eadem duo vnum aliquod ſubiectum eſſe admiſſura. *Epilogus præmiſſorum.*

Hactenus ergo ex verbis Domini noſtri IESV CHRISTI fidem Chriſtianam de veritate corporis & ſanguinis eiuſdem ſeruatoris noſtri in Euchariſtia aſſeruimus, *Paraſceue ad ſequentia.*

mus,

mus. At, ſi in verbis illis difficultas aliqua ineſſet, quæ hic nulla eſt credentibus: vndè demum petenda eſt explicatio? Non hanc Iuriſdictionem vos, Andrea, inuidentes, concedere facilè videmini Catholicis, veris cum ſcripturę tum genuinæ eius explicationis poſſeſſoribus: Neq; nos vobis eam largiri vel debemus, vel poſſumus. Non eſt regnum, non Ducatus, & fortaſſe nec ciuitas in Germania vlla, in qua non ſint Catholici, & ſimul his, veluti ſano corpori mali admixti humores, ſectarij; cumque vnica ſit tantũ Chriſtianę fidei veritas vtraſq; partes tam diuerſa imò etiã contra ſentiẽtes, à vero ſimul ſtare impoſsibile eſt, quãdiu nõ vnũ idemq; dixerint vtrobique omnes. Perſonam ergo hic exuamus: faceſſet inuidia & odium: nullum maledictum aut ſtultiloquiũ nominetur in vobis, ſecundum Apoſtoli præceptũ. Inſurgat verò veri inueſtigandi ſancta cupiditas: Interrogemus ante omnia os Domini; quoniam væ filijs deſertoribus per prophetam denunciatur ijs, qui non interrogãt illud: Audiamus reſponſum ſpiritus ſancti: Non eſt, inquit, veritas, nõ eſt miſericordia, non eſt ſcientia in terra. Factus eſt ſicut populus ſacerdos. Vbi ergo quærenda veritas? State ſuper vias, inquit, Dominus, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis quę ſit via bona;

Ius explicãdarum ſcripturarum.

Sectarij admixti Catholicis ſunt ueluti mali humores ſano corpori.

Epheſ 5.

Iſa. 30.

Oſe. 4.

Hierem 6.

Deut 4. & 32.

Maiores conſulendi.

bona,& ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris, Et: Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te; Meméto dierum antiquorum: cagita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Voluntas dej & mandatum hoc eſt, non vt parentes filios, ſed vt filij interrogent parentes in omni controuerſia. Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiam, inquit propheta, & legem requirent ex ore eius. Interrogemus ergo ſacerdotem, non vnum aliquem, nec noſtri temporis, ſed plurimorum longam ſucceſsionem, & antiquitatis ordinem: in quo omnes Sancti patres & doctores, alius poſt aliũ & cum alio, ea, quæ à Chriſto ipſo profecta, quaſique per manus præcedentium accepta, & docuerũt, ipſi, & alijs poſt ſe docenda reliquerunt; Paulum imitantes, & ſubinde etiam facto verboque referentes, alteri ad alteros atteſtantes: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo; ſic & ambuletis, & abundetis magis: State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, Legiſti, opinor, aliquando Melanthonis præceptoris tui libellum, de Authoritate

Malach 2.
1 Cor. 1.
1. Theſ 4.
2. Theſ 2.

ritate

ritate Eccleſiæ inſcriptum. In eo ille etiam etſi ſanctis illis patribus, Maioribus noſtris eam autoritatem non tribuat, vt concedat ſidei noſtræ ſanctæ fundamentum illud fundamentorum in ipſis conſiſtere (quod tamẽ ex noſtris nemo ne per ſomnium quidem dixit) teſtes tamen fide dignos eoſdem admittit, qui de ea fide, quam quiſq; ſuo tempore et loco in Eccleſia ab alijs audiuit, & pro officio porrò promulgauit, teſtimonium dicere poſſunt. Diſplicet etiam illi, nouas doctrinas in Eccleſiã ſine antiquitatis teſtimonio inuehi: pugnantes verò cum Antiquitate, execratur etiam Idem referente Morlino in eo, quem de Nationali mendacio Heidelpergenſium Theologorum inſcripſit libello. Luthero authore, eſſe voluit, vt in doctrina de Euchariſtia priorẽ combinationis nouæ ſententiam ſuam cum ſacramentariorum placitis adoptaret, hoc eſt, ſuam mutando ſemetipſum nefandi mendacij atque erroris argueret. Idque ſanè ob nullam aliam cauſam Luthero perſuadere voluit, quã quòd iudicaret (quanquam & hoc falſiſſimè ac contra ſeipſum pugnans, cum alibi, nempe Epiſtola ad Fredericum Myconium, contrarium ſcribat his verbis: Mitto tibi locos veterum ſcriptorum de Cœna do. vt promiſi, qui teſtantur illos idem ſenſiſſe, quod nos

Patres teſtes ſunt veritatis ſuis temporibus agnitæ.

Morlini teſtimonium de Luthero & Melanth.

Verba Philippi.

ſen-

ſentimus. videlicet corpus & ſanguinem do, vere adeſſe in cœna dominica. Et ibidem. Ego itaque ſequor veteris Eccleſiæ ſenten tiam, quæ affirmat addeſſe corpus Chriſti in cœna ac iudico hanc habere Scripturæ teſtimonium &c.) Sacramentariorum deliria magis quàm Lutheri ſomnia de ea re cum patrum ſententia conuenire. Híc ſanè ſi maſculus ille non deriſit, ſi verum dicere voluit, Tanta patrum atq; Antiquitatis Authoritas apud vos meritò eſſe debebit, vt eius intuitu priores opiniones veſtras cum nouis alijs iterum atque iterum, commutetis: ſique fas vobis eſt propter eandem per ea quæ ex patribus malè intellexiſtis contra nos in inſidijs: quicquam moliri, cur non tanti eadem nobis etiam habenda erit. vt ex ijſdem contraria veſtris in vero ac genuino Eccleſię perpetuo ſenſu accipiamus argumẽta, inque vos veſtroſque cœcos illos errores ijſdem pugnemus? Quod ſi non degener pręceptoris tui factus es diſcipulus, quem propter ante decennium Sneppio, Sarcerio, alijſque eius nomenclaturæ rigidis Lutheranis tete Vormatiæ vrbe Vangionũ ſubduxiſti ſi placitis eius etiamnum inhæres, duo mihi concedas neceſſe eſt: quorum alterum in approbatione conſiſtit eius, quod à Chriſto atq; Apoſtolis ipſis profectum primum

ſem-

ſemper deinceps in Eccleſia, vſque in hæc noſtra tempora ſcripto atque ſermone traditum, patrum longo ordine atque Antiquitatis teſtimonio confirmatur, atq; à nobis hic aſſeritur: Alterum verò in eius, quod per te (quanquã nec primũ, nec valde) tuoſque cõtra expreſſa Chriſti verba, contra Apoſtolorũ ſimul & Apoſtolicorũ virorũ, adeoq; omniũ Eccleſiæ temporũ conſenſum, contra deniq; Antiquitatis irrefutabile teſtimonium inducitur, abnegatione atque deteſtatione. Sed, velis nolis, panis & vini in Cœna domini in corpus & ſanguinẽ domini Ieſu Chriſti tranſmutatio, aliaq;, eius generis, ex catholicæ fidei ſententia, ad hanc ipſam, de qua agimus, materiam, pertinentia, in quinque primarijs Eccleſijs, Romana, Ieroſolymitana, Antiochena Alexandrina, & Conſtantinopolitana, olim, dum ſaluæ manerẽt, atq; inde in omnibus alijs vbiq; terrarum, ita edocta, ita cõfirmata leguntur, vt mirer imprudentiã veſtram ſtultitiæ coniunctam: qua, cùm ne vnũ quidem veterum teſtimonium à veſtra parte producatis, nec poſsitis etiam producere, veteranorum omnibus cum Authoritatis tum teſtimoniorum, veluti armorum, dictorum, factorumq́ue (dico) præſidijs prorſus deſtituti; & nouam fraudulenter tamẽ inducere, & veterem hoſtiliter aggreſsi oppugnare præ-

Eccleſiæ primariæ quinque.

re præſumitis ſententiam. Verùm, vt quod dico, innoteſcat, & manifeſtetur agnita veritas; ſemper, eã corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam quam Chriſtus in Cæna profeſſus eſt, & Euangelium docuit, in Eccleſia poſtea traditam fuiſſe: contrà verò, nunquã Lutheri combinationem, vel Caluini diſsipationem, apud Chriſtianos locum habuiſſe: ordine hic referemus quoſdam ex Maioribus, ſingulos ſingulis annorũ quinquagenis adnumerantes: fidei ſui tẽporis quilibet erit digniſsimus teſtis, quã quiſque & oculis coràm, per ea, quæ videntur, animaduertit; & auribus audiuit; & corde credentes ipſi ore palam apud omnes confeſsi ſunt; & ſcriptam denique poſteris religiosè conſeruandam, mandauerunt.

Quod ergo Chriſtus ipſe de hac fide profeſſus eſt: dicens: Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur: idẽ poſtea Apoſtolus, Paulus quem medium inter Chriſtũ Authorem ſacrorum horum, & ſequentes Apoſtolicos viros peno, primæque quinquagenæ teſtem adduco teſtatus eſt. Quod accepi à Domino hoc & tradidi vobis, inquit. Quid ergo accepiſti Paule? Non dijudicans corpus domini, reus erit corporis & ſanguinis domini; Et reus manducans & bibens iudi-

Chriſtus.

Paulus. Anno 50.

ciũ ſibi manducat & bibit. Et alio præcedente loco: Vt prudentibus, ait, loquor; Vos ipſi
1. Cor. 10. iudicate quod dico: Calix benedictionis, cui benedicimus, nónè cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frãgimus, nóne participatio eſt corporis domini? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Eccè meminit Apoſtolus communicationis corporis & ſanguinis Chriſti, An forte cõmunicatio iſthęc ſpiritualis tantum eſt? Minimè. Iá antè enim facti eramus ſpiritualia mẽbra, Apoſtoli teſtimonio; Multi, inquit, vnũ corpus, vnus panis ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Sumus inquit; non ſimus iam demũ. Sed qui ante vnus panis ſumus, conſequenter communicationẽ corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna celebramus; vt quod prius ſpiritualiter in nobis inchoatum eſt, poſtea etiam corporaliter perficiatur.

Id quod alibi adeò declarat manifeſtè, vt dubium ſit ſobrio nemini; Chriſti & Eccleſiæ, hoc eſt, capitis & membrorum, non ſpiritualem modò, ſed & corporalem intelligendam vnionem. Membra ſumus corporis eius, inquit, de carne eius, & de oſsibus eius: Duo erũt in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt; ego autẽ dico, in Chriſto & in Eccle-

Eccleſia. Primæ hic coniunctionis meminit Apoſtolus, Adæ & Euæ; vt ſicut Eua de vera coſta viri ſumpta eſt; ſic Eccleſia de Chriſti latere formata intelligatur: Nec formata modò, ſed & conſeruata. In carne vna duo erũt, nempè Chriſti carne, Chriſtus & Eccleſia, caput & membra: & non tantùm in ſpiritu. Sic etiam: Nemo carnem ſuam vnquam odio habuit; ſed nutrit eam ac fouet, ſicut CHRISTVS Eccleſiam. Non dicit, quod nemo ſpiritum ſiue animam ſuam odio habeat; (ſunt enim nimis multi tales Pſal. 10.) ſed nemo, inquit, carnem ſuam odio habet. Et alibi etiam; Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt CHRISTI? Non dicit, quoniam animæ ſiue Spiritus veſtri membra ſunt CHRISTI. Nec id quoque, animæ tantum aut Spiritus Chriſti vos membra eſtis; ſed (quod alibi expreſſe dicit) membra ſumus corporis eius; Membra ſumus, nempè corporea corporis Chriſti. Et, quod adhuc manifeſtius eſt dictum, membra ex carne eius & ex oſsibus eius. *Ephe. 5.* Si ſpirituales tantum eſſet noſtri & CHRISTI vnio; Spiritus tantum meminiſſet. Nunc verò de noſtris corporibus, tanquam membris, 1. Corinthiorum. 6. & de CHRISTI corpore non ſpiritu tantum loquitur, Epheſiorum. 5.

Itaque corporalis motus eſt quidã, quo cor pora noſtra in corpus Chriſti, quodam modo transferuntur. De qua re quod Antiquitatis teſtimonium ſit, ex Irenæo, Hilario, & Cyrillo ſuo poſtea loco adducemus. Denique quia nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit eam ac fouet, atque eodẽ modo Chriſtus facit: Quæritur, Vnde Chriſtus nos, mẽbra ſua, nutriat ac foueat? Audi ergo non me, ſed Apoſtolum reſpondentẽ: panis, quem frangimus, nonne participa-
1.Cor.10 tio corporis domini eſt? Et calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Ecce tibi Pellicanum, amore feruentem, pullos ſuos corporaliter ſanguine corporis ſui nutrientem. Corpus enim Chriſti iam immortale eſt, nec poſſunt membra immortalitatis eius effici participes ex pane & vino, terrena creatura,
Effectus. peritura ipſa. Non ſanè hanc virtutem panis & vinum habent: Quam ſi haberent, olim certè Manna quoque immortalitatis alimoniam in deſerto degentibus præſtitiſſet. Sed non præſtitit, neque præſtare potuit. Neque enim iſte cibus erat, neq; iſtud tempus, neq; locus erat: Sed & neque homines iſti erant, qui iſto modo tunc, quo nos modo Chriſtus fouet, & paſcere & paſci potuerunt. Erant omnia illis ſpiritualia: Bibebant omnes, inquit

quit Apoſtolus, de ſpirituali conſequente eos Petra. Nondum enim Petra hæc, ſeu verbum caro factum erat. Nunc verò caro facta Petra, cibus noſter eſt & potus: Sed non ſpiritualis modò, ſed & corporalis: quanquam & Sacramentaliter: non Caphernaiticè ſed Chatholicè. & per hæc eadem facit nos ſecũ vti vnum ſpiritum, ita & vnum corpus. Vndè rurſus hoc ipſum confirmans, ait; vnum corpus, & vnus ſpiritus. Quid audio Paule? An non ratio humana hoc æuo ſpiritualem tantum vnionem mordicus tuetur, reſpuit corporalem? Non ſic inquit ille: Ego ſic accepi à Domino, ſic trado vobis. Duo ſunt, & valdè diuerſa ſunt, corpus & ſpiritus. Vtrunque in Chriſto ſumus: vnũ corpus, & vnus ſpiritus. *Eſa 4.*
Si ſpiritualis tantũ eſſet intelligenda coniũctio: quid opus fuit etiã corporis meminiſſe? *Cibus & potus ſunt corpus & ſanguis Chriſti.*
Olim creatos homines, terrã de terra, carnẽ de carne itidẽ corruptibili, creator Deus cõuenienti alimonia ſeruabat creatos, morituros perituris bonis. Sed iã tandẽ eoſdẽ, quos ita creatos, ita pauerat; credẽtes factos, & fideles, rurſum cõueniẽti naturę nouitati huic nutrimento paſcit, immortales ad immortalitatem: & vndè hoc niſi de immortali cibo? *Geneſ 1.*
Olim creatis dicebat: Eccè dedi vobis omnem herbam, & volatilia, cæli in cibum. Iam verò idem reparatis loquens, ait: Panis, quẽ *Ioan. 6.*
 ego

Matth. 26. ego do, caro mea eſt, pro mundi vita; Accipite, manducate; bibite; corpus meum eſt, ſanguis meus eſt.

Indiderat Deus ſpiritum olim ſuum in hominem. Sed quid ait poſteà? Non permanebit Spiritus meus in homine. Quid ita? Quia caro eſt. Si ſpiritus non manet in carne hominis, quatenus caro eſt; quomodo ſpiritu vnum cum Chriſto eſſe poſsimus, niſi ipſa etiam caro transformetur? Aut ergo tu mihi concede, carnem noſtram ex vera carnis Chriſti communicatione quodãmodò in ſublimius quiddam tranſſumi, vt iam non caro talis ſit, quæ ſpiritus Chriſti capax eſſe non poteſt, ſed tranſſumpta habeat inſe manentem Dei Spiritum: aut ne ſpiritalem quidem fieri communicationem Chriſti & noſtri, confitere; Hoc eſt, aut neutrius, aut vtriuſque fatere transformationẽ; Spiritus inquam & corporis. Non quod eo modo ipſa ſubſtantia ſpiritus ſui noſtras imbuat mentes, ſicut corpora noſtra ſubſtantia corporis ſui paſcit; ſed quod vtrumq; ſuo quodam inenarrabili modo in Chriſtum abſorbetur, ac colliqueſcit, contra naturæ morem & ordinem. Geminam ergo in nobiſipſis conſiderantes neceſsitatem, præſentis temporis & futuri; vtriuſque neceſsitati conuenientẽ cibum appetimus; Et eccè, ſinguli cum

Geneſ 6.

Mortalis carnis in immortalem neceſſaria trāſformatio.

cum propheta dicere poſsumus; paraſti iŋ conſpectu meo menſam. Vtimur aut potius fruimur dapibus appoſitis, non murmurantes, ſed tale id eſſe, quod apponitur, quale, qui appoſuit, eſſe edicit, credentes, confitemur, corpus nempè & ſanguinem CHRISTI. Si plus aliquid appoſuiſſet paterfamiliâs, id ipſum quoque, Andrea, expreſsis verbis ſignificaſset. Huius ergo patrifamilias edicto conueniens confeſsio, Chriſtiana eſt, Apoſtolica eſt. Catholica eſt. Quoniam & Chriſtus, & Apoſtoli, & omnes pij in ea ipſa confeſsionē libenter & gratis animis acquieſcunt, pluris eam de CHRISTI IESV corpore & ſanguine, quàm proprium corpus habituri. Quæ verò huic ipſi edicto, huic fidei atque confeſsioni repugnat? ea non Euangelium, non Dei verbum eſt? præ-qua vt nobis caueamus, Apoſtolica nos præmonet Authoritas; Licet, inquit, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod Euangelizauimus vobis, Anathema ſit. Galat. 1.

Poſt Paulum, fidei, quæ, Anno do. 50. in Eccleſia Catholica prædicata fuit, teſtem, ſequitur Dionyſius Areopagita teſtis fidei Anno 100. Hic per Paulum ad fidem Chriſti conuerſus, poſt multos labores, tandem in vicino Germaniæ regno, Gallia inquam, *Anno. 100.* *Act. 17.*

id renouatis bonis in antiquum ſtatum dignitatemq; REVOCET, PERFECTA QVE NOSTRORVM ASSVMPTIONE EXACTISSIMAM PROPRIORVM MVNERVM PARTICIPATIONEM TRADAT, & tandem nobis Dei diuinorumque communionem largiatur. Et: Eos, qui ad Sacramenta cæleſtia conficienda procedunt, ea oportet eſſe munditia, vt ipſas quoque animę extremas imagines purgatas habeant, ſicq; ad reuerenda myſteria, quantum fas eſt, ſimilitudine puritatis accedant. Addamus huic Ignatium contemporaneum. Is de eodem tempore teſtatur, ſic ad Romanos ſcribens: Nōlim perituro cibo frui, nec mundi huius delicijs capior; Dei panem deſidero, cæleſtem panem, vitæ panem, QVI EST CHRISTI CARO viuificantis Dei filij, qui in extremis temporibus ex ſemine Dauidis & Abrahæ natus eſt: potum illū affecto. QVI SANGVIS IPSIVS EST. Nam Charitas illa immortalis, & æterna vita reputatur. Et Epiſtola ad Epheſios: Frangite panem, qui immortalitatis medicina eſt, efficax antidoton nō mortis, ſed vitę in Deo. Et Epiſtola ad Philadelphos: vna eſt domini Ieſu caro, vnus Chriſti ſanguis, qui pro vobis effuſus eſt, vnuſque panis, pro omnibus fra-

Effectus.

Chriſti caro.

Chriſti ſanguis.

ctus, & calix vnicus vniuerſæ Eccleſiæ, Et Epiſtola aduerſus Simonem Magum de hæreticis loquens, Euchariſtiam, ait, & oblationē, iſti aſpernantur, quum admittere voluit, Euchariſtiam Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti carnem eſſe, quæ quidem caro ob peccatum noſtrum paſſa eſt, quam & pater ex ſua benignitate reſuſcitauit.

Anno. 50. Poſt Dionyſium & Ignatium Irenæus Anno 150. teſtatur. Is lib. 5. aduerſus hęreſes ſic ſcribit: Quando calix ille mixtus, paniſque fractus Dei verbum accipit, *SANGVINIS ET CORPORIS* Chriſti Euchariſtia prouenit, *VNDE CARNIS NOSTRAE SVBSTANTIA AVGESCIT ET FIRMATVR.* Et lib. 4. cap. 34. panem accepit, gratijſque actis, ait: Hoc eſt meum corpus, pariter accepit calicem, qui ex eadem creatura eſt, vt apud nos, aſſeruit, & profeſſus eſt, quòd ſuus ſit ſanguis. Et Quomodo aſſerunt carnem noſtram corrũpi, nec vitam conſequi, quum tamen cibetur & nutriatur de corpore ac ſanguine Chriſti? Et mox; panis, qui ex terra prouenit, cum Dei inuocationem accipit, deinde vulgaris *PANIS ESSE DESINIT*, & Euchariſtia eſt. Rurſus in 5. libro, cuius loci ſupra etiam, cum Pauli locum explicarem, memini,

Subſtantia. Effectus. *Efficiens.*

mini,ait; Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſ. docet: Nos enim membra ſumus corporis eius, de carne & oſsibus. Non ait, de vno ſpiritu, aut incorporeo homine, quandoquidem ſpiritus nec oſſa nec carnem habet; ſed iuxta diſpoſitionem, quæ eſt, ſecundum hominem: ex carne, venis & oſsibus. Idq́ue de calice, *QVI SANGVIS ILLIVS EST SVSTENTATVR; ET DE PANE QVI CORPVS ILLIVS EST AVGESCIT*. Sanguis enim non eſt, niſi à venis & neruis & carnibus, & à reliqua quæ eſt ſecundum hominem ſubſtantia, qua verè factum verbum Dei, ſanguine ſuo redemit nos, quemadmodum & Apoſtolus eius ait; In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, & remiſsionem peccatorum. *Nomen. Subſtantia.*

IRenęum ſequitur Tertullianus anno domini 200. teſtimonium dans. Is libro. 4. contra Marcionem. Profeſſus inquit, Chriſtus ſe concupiſcentia concupiſſe, edere paſcha, vt ſuum; indignum enim, vt quid alienum concupiſceret Deus; Acceptum panẽ, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illũ fecit. Iudęos alludens ad locum illum Ieremiæ cap. 11. Mittamus lignum in panem eius ait; CHRISTVS reuelauit panem, *CORPVS SVVM APPELLANS* *Anno. 200.* *Nomen.*

cuius retrò corpus in panem prophetes nun ciauit. Et lib.2. ad vxorem: Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnẽ cibum guſtes? Et ſi ſciuerit, panem, non illum credit eſſe, qui dicitur,

Anno. 250. Cyprianus circa hæc tempora in Africa claruit, in Sermone de Cæna domini, Panis iſte communis, inquit, in carnem & ſanguinem MVTATVS procurat vitam & incrementum corporibus. Et mox: panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura MVTATVS, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramento viſibili ineffabiliter DIVINA SE INFVDIT ESSENTIA. Et paulò antè. Inconſumptibilem cibũ magiſter apponit diſcipulis. nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur ſed immortalitatis alimonia datur à COMMVNIBVS CIBIS DIFFERENS. CORPORALIS SVBSTANTIAE RETINENS SPECIEM, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia PROBANS ADESSE PRAESENTIAM. Et mox iterum; Manducauerant & biberant de eodem pane ſecundum formam viſibilẽ, ſed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, &

Tranſmutatio.

vitæ

vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem: hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunque his verbis & hac fide actũ eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix BENEDICTIONE SOLENNI SACRATVS, AD TOTIVS HOMINIS VITAM SALVTEMQVE PROFICIT ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgãdas iniquitates exiſtens.

Efficiens.

Cõſecratio.

Effectus.

HOc tempore fides multorum teſtimonio celebratur. Celebratum eſt enim circa hæc tempora Nicenum Concilium primũ. In quo ſic legimus à Sanctis patribus decretum fuiſſe. Iterum etiam hîc in Diuina menſa, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum; ſed attollentes mentem, fide intelligamus SITVM IN SACRA ILLA MENSA AGNVM ILLVM DEI, tollentem peccata mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & precioſum ipſius CORPVS ET SANGVINEM NOS VERE SVMENTES, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola.

Anno. 300. In Bithynia orientali Eccleſia.

Subſtantia & Effectus.

Anno. 350. Mediolani. Occidentali Eccleſia.

CIrca hoc tempus Sanctus vir Ambroſius vixit, & Paulò pòſt fidem Chriſtianã audiuit,

diuit, didicit atque ipſe etiam poſtea docuit, quod audiuit & didicit. Is libro de Sacramentis quarto. capite quarto & quinto præclarum de hac re ſuo tempori prębet teſtimonium. Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio,

Tranſmutatio.

DE PANE FIT CARO CHRISTI. Hoc igitur adſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? *CONSECRATIONE.* Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cęteris; vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. *ERGO SERMO CHRISTI HOC CONFICIT SACRAMENTVM.* Quis ſermo Chriſti? Nempè is, quo facta ſunt omnia. Iuſsit Dominus, & factum eſt cælum; Iuſsit Dominus, & facta eſt terra; iuſsit Dominus, & facta ſunt maria, iuſsit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo, quā operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tāta vis eſt ſermone Domini Ieſu. Vt inciperent eſſe, quæ non erát; quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & *IN ALIVD COMMVTENTVR.* Cælum non erat, mare non erat, terra non erat.

Efficiens

Commutatio.

erat Sed audi dicentem; Ipſe dixit,& facta ſunt. Ergo vt tibi reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante *CONSECRATIONEM*; ſed poſt conſecrationem dico tibi, *QVOD IAM CORPVS EST CHRISTI.* Ipſe dixit,& factum eſt; ipſe mādauit,& creatum eſt. Et libro ſiue ſermone ad Neophitos cap.9. Fortè dicas; Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris, quòd Chriſti corpus accipiam?& hoc nobis adhuc ſupereſt, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non hoc eſſe, quod *NATVRA* formauit, ſed *QVOD* benedictio conſecrauit; maioremque vim eſſe benedictionis quā naturę; quia *BENEDICTIONE* etiam *NATVRA MVTATVR.* Virgam tenebat Moſes, proiecit eā,& facta eſt ſerpēs. Rurſus apprehendit caudam ſerpētis,& in virgę naturā reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatā eſſe naturā, & ſerpentis & virgę. Ac poſt multa alia exēpla eius generis ex veteri teſtamēto producta, ſubiungit; Quod ſi tantū valuit humana benedictio vt naturā cōuerteret; quid dicimus de ipſa cōſecratione diuina, vbi verba ipſa domini ſaluatoris operātur? Nā ſacramētū iſtud quod accipis, Chriſti ſermone cōficitur. Quod ſi tm̄ valuit ſermo Heliæ, vt ignē de cęlo deponeret; non valebit ſermo Chriſti, vt ſpecies mutet ele-

Nomen & Subſtantia.
Pſal. 46.
Nomen.
Mutatio.
4. Reg. 1.

men-

mentorũ?De totius mundi operibus legiſti: Quia ipſe dixit,& facta ſunt:ipſe mãdauit,& creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex ni hilo facere quod nõ erat;non poteſt ea
Mutatio. quæ ſunt,in id MVTARE, quod non erant? Non enim minus eſt,nouas rebus dare, quã mutare naturas. Sed quid argumentis vtimur?Suis vtamur exemplis, incarnationiſq́; exemplo aſtruamus myſterij veritatẽ. Nunquid naturæ vſus pręceſsit,cùm Ieſus Domi nus ex Maria naſceretur?Si ordinem quęrimus,viro mixta fæmina generare cõſueuit. Liquet igitur,quod præter naturæ ordinem virgo generauit,& hoc,quod CONFICIMVS CORPVS, EX VIRGINE EST.
Conſecratio & ſubſtantia. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore,cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex virgine?

Anno 400. In Orientali Eccleſia. IOhannes Chriſoſtomus quatuor Eccleſiæ Doctoribus non inferior, Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Is circa hoc tempus in 1. Corinth. cap. 10. homil. 24. ſic ſcriptum reliquit: Calix,inquit,benedictionis cui be nedicimus,nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Maximè his ſibi verbis & fidem facit & horrorem. Eorum autem huiuſmodi eſt ſententia: QVOD EST IN CA-
Subſtantia. LICE, ID EST, QVOD A LATERE FLV-

FLVXIT, ET ILLIVS ſumus partici-
pes: Et panis, quem frangimus, nónne cõmu
nicatio corporis Chriſti eſt? HOC COR
PVS IN præſepi reueriti ſunt Magi, & vi- *Nomen.*
ri impij & barbari, longo itinere confecto,
cum timore & tremore plurimo adoraue-
runt. Imitemur ſaltem barbaros, nos, qui cœ
lorum ciues ſumus. Illi enim cùm id præſe-
pe & tugurium tantum, neq́ue eorum quic-
quam, quæ tu nunc intueris, viderent, ſum-
ma acceſſerũt reuerẽtia & horrore: Tu verò
non in præſepe id, ſed in altari; non mulie-
rem, quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem prę
ſentem, & ſpiritum perabundè ſuper propo
ſito diffuſum ſacrificio vides. Huic adda-
mus Hilarium, Pictauienſem Epiſcopum,
de hoc eodem tempore, apud Italos & Gal-
los teſtantem, quoniam ſupra id pollicitus
ſum, & ad explicationem verborum Chriſti
in Ioan. Cap. 6. Caro mea verè eſt cibus, &
ſanguis meus verè eſt potus: Et: qui edit car-
nem meam, & bibit ſanguinẽ meum, in me
manet, & ego in illo: plurimũ facit. Hic lib.
8. de Trinitate ſic ſcribit. Si enim verè ver-
bum caro factum eſt: ET NOS VERE
VERBVM CARNEM CIBO DO *Verum.*
MINICO SVMIMVS quomodo non
naturaliter manere in nobis exiſtimandus
eſt, qui & naturam carnis noſtræ, iam inſepa

rabilem, ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Ita enim omnes vnum ſumus, quia & in Chriſto pater eſt, & Chriſtus in nobis eſt. Quiſquis ergo naturaliter patrē in Chriſto negabit, neget prius, non naturaliter vel ſe in Chriſto, vel Chriſtum ſibi ineſſe: quia in Chriſto pater, & Chriſtus in nobis, vnum in ijs eſſe nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus
Veritas. eſt, *NOSQVE VERE SVB MYSTERIO CARNEM CORPORIS SVI SVMIMVS, ET PER HOC VNVM ERIMVS*, quia pater in eo eſt, & ille in nobis quomodo voluntatis vnitas aſſeritur, cum naturalis per ſacramētum proprietatis perfectæ ſacramentum ſit vnitatis? *NON EST HVMANO AVT SECVLI SENSV IN DEI REBVS LOQVENDVM*; neque per violentiam atq; impudentem prędicationem, cæleſtium dictorum ſanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruerſitas eſt. Quę ſcripta ſunt, legamus; & quæ legerimus, intelligamus; & tunc perfectè fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ dicimus: niſi ab eo diſcamus; ſtultè atque impiè dicimus:

mus: Ipſe enim ait: caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. *DE VERITATE CARNIS ET SANGVINIS NON RELICTVS EST AMBIGENDI LOCVS.* *Veritas.* Nunc enim & ipſius Domini profeſsione & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt: Et hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & CHRISTVS in nobis ſit. *Effectus.* An ne hoc veritas non eſt? Contingat planè ijs verum non eſſe, qui CHRISTVM IESVM verum Deum eſſe negant. Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, & nos ſumus in eo; dum ſecum hoc, quod nos ſumus in Deo eſt. Quod autem in eo per Sacramentũ communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis, quoniam ego viuo, & vos viuetis quoniam ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. *Ioan.14.*

HOc tempore Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus claruit & fidẽ Chriſtianã in Orientali Eccleſia docuit; qui & ipſe, quod plurimũ ad explicationẽ verborũ Chriſti in Ioan. ca. 6. facit, à nobis hic, ita, vt pollicitus ſum, adducitur, de vnitate noſtri cum Chriſto *Anno 450. In Orientali*

non ſpirituali tantùm ſed & corporali, per participationem carnis & ſaguinis eius, ſuper Chriſti verba: Ego ſum vitis vera, & vos
Ioan.15. palmites. lib. 10. cap. 13. in Iohan. ſcribens, ſic ait: Verùm quoniam nulla nos ratione humanitati Chriſti poſſe iſta attribuere arbitratur (Neſtorius) quoniam fide atq; dilectione, non carne illi coniungimur: age, pauca de hoc dicamus, ac peruersè ab eo ſacrarum literarum ſenſum exponi oſtendamus. Non tamen negamus, recta nos fide charitateque ſyncera Chriſto ſpiritualiter coniungi: Sed nullam nobis coniunctionis rationẽ ſecundum carnem cum illo eſſe: id profectò pernegamus, atq; à diuinis Scripturis omnino alienũ dicimus. Quis enim dubitauit, Chriſtum etiam ſic vitem eſſe, nos vere palmites, qui vitam indè nobis acquirimus? Audi Paulũ dicentẽ: Quia omnes vnũ corpus ſumus
1. Cor. 10. in Chriſto. Quia etſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus: Omnes enim de vno pane participamus. An fortaſse putat ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutẽ eſse? Quę
Effectus & ſubſtantia. dum in nobis fiat, *NONNE CORPORALITER QVOQVE FACIT, COMMVNICATIONEM CARNIS CHRISTI, CHRISTVM IN NOBIS HABITARE?* Cur enim mẽ-
1. Corint. 6. bra fidelium membra Chriſti ſunt? Neſcitis,

inquit,

inquit, quia membra veſtra, membra ſunt Chriſti? membra igitur Chriſti, meretricis faciam membra? Abſit. Saluator etiam; Qui manducat carnem meam, ait, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, Vnde conſiderandum eſt, *NON HABITVDINE SOLVM QVAE PER CHARITATEM INTELLIGITVR CHRISTVM IN NOBIS ESSE? VERVM ETIAM ET PARTICIPATIONE NATVRALI.* Nam quemadmodum, ſi quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur: ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo. Nõ poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci *NISI NATVRALIS VITAE CORPVS EI CONIVNGERETVR.* Non credis mihi hæc dicenti? Chriſto (te obſecro) fidem præbe. Amen amen, inquit, dico vobis: niſi manducaueritis *CARNEM FILII HOMINIS*, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem; habet vitam ęternam, & ego ſuſcitabo eũ in nouiſsimo die. Audis apertè clamantem, non habituros vitam

Ioan. 6.

Chriſtus participatione naturali in nobis.

Nomen & Subſtantia, Ioan 6.

tam æternam, niſi ſanguinem eius biberimus,&carnem manducauerimus. In vobis autem ipſis dicit, id eſt, in corpore veſtro. Vita autem iure, ipſa vitæ caro intelligi poteſt; hæc enim nos in nouiſsimo die ſuſcitat. Et quomodo dicere non grauabor? caro vitæ facta *VNIGENITI CARO*, ad virtutem vitę traducta eſt: non poteſt igitur morte ſuperari: *PROPTEREA IN NOBIS FACTA, INTERITVM A NOBIS EXPELLIT.* Non enim abeſt ab ea vnigenitus Dei filius. Vndè quia vnus eſt cũ carne ſua, ego inquit, ſuſcitabo eum. Cur igitur ſecundũ carnem palmites nos dici pernegat? An non conuenienter dici poteſt, vitem, humanitatem eius eſſe, & nos palmites propter identitatem naturæ? eiuſdem enim naturæ vitis & palmites ſunt. Ita & *SPIRITVALITER ET CORPORALITER* nos palmites, & Chriſtus vitis eſt. Idem Cyrillus ad Caloſiri um Epiſcopum ſcribens, Nec dubites, inquit, an hoc verum ſit, eo manifeſtè dicente: Hoc eſt corpus meũ: ſed potius ſuſcipe verba ſaluatoris in fide: Cùm enim ſit veritas, non mentitur, Vide eundem lib.4.cap.13.14 15.17.in Ioannem.

Effectus. (margin, beside "perari")

Matt.26 (margin, beside "ba ſaluatoris")

Anno. 68. Circa hoc idem fere tempus, vel aliquot annis poſt, in Concilio Epheſino vniuerſali

ſali patres ſic loqunti ſunt: Annuntiantes enim ſicut ſecundũ carnem, mortem vnigeniti filij dei, id eſt, Ieſu Chriſti & reſurrectionem eius & in cælos aſcenſionem pariter confitentes incruentam celebramus in Eccleſijs ſacrificij ſeruitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur, participes ſancti corporis ac pretioſi ſaniguinis Chriſti omniũ redemptoris noſtri effecti, *NON VT COMMVNEM CARNEM PERCIPIENTES* (quod abſit) *NEC VT VIRI SANCTIFICATI, ET VERBO CONIVNCTI SECVNDVM DIGNITATIS VNIONEM, AVT SIC VT DIVINAM POSSIDENTIS HABITATIONEM: SED VERE VIVIFICATRICEM ET IPSIVS VERBI PROPRIAM FACTAM.* &c.

FVlgentius Ruſpenſis Epiſcopus huic temporipro veritate teſtimonium dabit. Is ad Quæſtiones Monimi reſpondens, ait; In ſacramento panis & calicis ipſum Chriſti corpus & ſanguis offertur. Calix enim, quem bibimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt: & panis, quem frangimus, participatio corporis domini eſt. Circa hoc idem tempus Hylarius Pót. Max. vir ſanctus, de conſ. diſt. 2. ſic ſcribit: Corpus Chriſti, quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum *Anno.* 500. *Lib* 2. *Subſtantia*

mus,quę fides atq; Religio in vniuerſo Chriſtiano orbe iam tum de hoc myſterio ſancta obſeruataque, atque per eum in hac noſtra Germania primum audita fuerit. In dialogorum enim quarto libro cap.58. ſic ſcribit: Debemus præſens ſeculum,vel quia iam cõfluxiſſe conſpicimus,tota mente contemnere;quotidiana Deo lachrymarum ſacrificia, quotidianas carnis eius,& ſanguinis hoſtias immolare. Hæc nanque ſingulariter victima ab ęterno interitu animam ſaluat,quę illam nobis mortem vnigeniti per myſteriũ reparat; Qui licet reſurgens à mortuis,iam non moritur,& mors illi vltra non dominabitur;tamẽ in ſeipſo immortaliter atq; incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Eius quippè corpus ſumitur; eius caro in populi ſalutẽ partitur;eius ſanguis non iã in manus infidelium ſed ora fideliũ funditur. Hinc ergo pẽſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſsionẽ vnigeniti filij ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſsit,in ipſa immolationis hora,ad ſacerdotis vocem,cęlos aperiri?in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorũ choros adeſſe?ſumma imis ſociari,terrena cæleſtibus iungi?vnum quoque ex viſibilibus atq; inuiſibilibus fieri?Vide eũdem hom.22.

Victima

Nomen: Subſtantia

ne,trãsfertur:Sicque corpus & ſanguis eius non infidelium manibus ad perniciem illorum funditur & occiditur,ſed fidelium ore ſuam ſumitur in ſalutem. Huius rectè figuram agnus in Lege paſchalis oſtendit,qui ſemel populum de AEgyptia ſeruitute liberans, in memoriam eiuſdẽ liberationis, per omnes annos immolatione ſua populum eundem ſanctificare ſolebat; donec veniret ipſe,cui talis hoſtia teſtimonium dabat,oblatuſq; patri pro nobis in hoſtiam,odoremque ſuauitatis,myſterium ſuę paſsionis,oblato agno,in creaturam panis vinique tranſferret, ſacerdos factus in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Et in Lucam cap.22.Finitis,inquit, paſchæ veteris ſolennijs,quæ in commemoratione antiquæ AEgypto liberationis agebantur,tranſijt ad nouum;quod in ſuę redemptionis memoriam Eccleſia frequentare deſiderat;vt videlicet, pro carne & ſanguine agni,ſuę carnis & ſanguinis ſacramentum in panis ac vini *FIGVRA* ſubſtituens,ipſum ſe eſſe monſtraret, cui iurauit Dominus,& non pænitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Vide eundem libro.4. Eccle.hiſt.gentis Anglorum cap.22.Miraculum.Et in Luc.cap.22.

Exod.12.

Figura panis.

Pſal 109.

temporaneum eius Alcuinum, in ipſa Imperatoria aula omnibus conſpicuum, & ipſius imperatoris Caroli Magni præceptorem, audiamus. Is in 6. cap. Ioannis ſcribit in hęc verba: Quod imminente paſcha Dominus turbas reficit: ſignificat, quia quiſque pane diuini verbi & corpore & ſanguine domini deſiderat refici, debet ſpirituale paſcha facere, id eſt, de vitijs ad virtutes trãſire. Et eodem capitulo, non multò pòſt: Quando autẽ per manum ſacerdotis corpus Chriſti accipis; non ſacerdotem, quem vides, ſed illum, quẽ non vides; attendi. Sacerdos eſt diſpenſator huius cibi, non auctor. *Subſtantia.*

SEd priuſquam in occidẽtem reuertamur, clariſsimi ac ſancti viri Iohannis Damaſceni apud Conſtantinopolum (quanquam paulo hanc ætatem præceſsit) teſtimonium audiamus. Is libro 4. cap. 14. Orthodoxæ fidei, ſic de Euchariſtia ſcribit: Quomodo fiet mihi iſtud (dicit ſancta virgo) quoniam virum non cognoſco? Reſpondit Gabriel Archangelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Itaque ſi nunc interrogas quomodo panis fit corpus Chriſti, reſpondeo & ego tibi; Spiritus ſanctus obumbrat, & hęc ſupra ſermonem & intelligentiam operatur. Panis autem & vinũ tranſ- *Anno. 800.* *Efficiens Tranſmutatio.*

tranſmutantur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem; & quia mos eſt hominibus panem manducare, & vinum aquamq; bibere, coniunxit his ipſis ſuam diuinitatem, & fecit hæc corpus ſuum & ſanguinem; vt per aſſueta, & quæ ſunt ſecundum naturam, in his, quæ ſunt ſupra naturam, collocemur. Corpus enim ſecundum veritatem coniunctum eſt diuinitati, quod ex ſancta virgine corpus eſt: Non, quod ipſum corups aſſumptum in cælo, deſcenderit, ſed quod ipſe panis & vinum tranſmutatur in corpus & ſanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto fit; ſat ſit tibi audire, quoniam per Spiritum ſanctum quemadmodum ex ſancta deipara ſeipſo & in ſeipſo dominus carnẽ ſuſtẽtauit. Et nihil amplius cognoſcimus, quam quod verbũ Dei verũ eſt, & efficax, & omnipotens: Modus autem inſcrutabilis. Neq; & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comeſtionem panis & vinum & aqua per potionem in corpus & ſanguinem comedẽtis & bibentis tranſmutatur & nõ ſit aliud corpus, præter id, quod prius erat ipſius. Sic propoſitionis panis vinumq́ue, & aqua, per inuocationem & aduentum Spiritus ſancti, ſupernaturaliter tranſmutatur, in corpus & ſanguinẽ Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem. Fit igitur ijs qui fide dignè

nè aſsumunt, in remiſsionem peccatorum, & in vitam æternam,& in cuſtodiam animæ *Effectus* & corporis: illis autē qui in infidelitate indignè participant,in punitionem & ſupplicium. Quemadmodum & Chriſti mors,credentibus facta eſt vita, & incorruptibilitas in fruitionem ſempiternæ beatitudinis: infidelibus autem & domini interfectoribus in ſuplicium & pænam ſempiternam. Addamus poſt hūc Niceni Concilij ſecundi,quod ſeptimum eſt vniuerſale,circa hæc ipſa tempora congregati, teſtimonium. In eiuſdem enim ſextę act. Tom.3. in hęc verba legitur. Nemo vnquā ſanctorū Apoſtolorū,qui tubę ſunt Spiritus ſancti,aut glorioſorū patrū noſtrorum,incruentū noſtrū ſacrificium,in memoriā paſsionis Chriſti domini Dei noſtri, & totius ſuę diſpenſationis factum,imaginē corporis eius dixerit. Leges,quouſq; voles; NOTA HAEC. nuuquā inuenies,neq; dominum neq; Apoſtolos,neq; patres, incruentū illud ſacrificium,quod à ſacerdote offertur,imaginē dixiſſe;verùm ipſum corpus & ipſum ſanguinem. Idemq; quod inſani homines patientur,iam hoc iam illud imaginantes:& nunc quidem ſanctū & notabile noſtrum ſacrificium,imaginem ſacri corporis Chriſti, nunc autem ſacrum & diuinum aſserunt. Sed & Amalatius quoniam in Germania Treuirorum

Archie-

Quin & Haimonem Halberſtatenſis Epiſcopū, Rabani ſyrichronon, de eadem re in Germania teſtātem, audiamus. Scribit enim in commentario ſuo ſuper 1. Corint. cap. 12. in hæc verba. Sicut caro Chriſti, quā aſſumpſi in vtero virginali, verū corpus eius eſt, pro noſtra ſalute occiſum; ita panis, quem Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis omnibusq́; prædeſtinatis ad vitam æternam, & quem quotidiè conſecrant ſacerdotes in Eccleſia, cum virtute diuinitatis, quæ illum replet panem, verum corpus Chriſti eſt: nec ſunt duo corpora illa caro, quam aſſumpſit, & iſte panis; ſed vnum verum corpus faciunt Chriſti, in tantum, vt dum ille frangitur, & comeditur, Chriſtus immoletur, & comedatur & tamē integer naneat & viuus: Et ſicut illud corpus, quod in cruce depoſuit, pro noſtra ſalute & redemptione eſt immolatum; ita quotidiè ad noſtram ſalutem & redemptionem iſte panis deo offertur: Qui licet panis videatur, corpus eſt Chriſti, Dominus enim & redemptor noſter, conſulens noſtræ fragilitati (quia cognouit nos fragiles eſſe ad peccādum) tradidit nobis hoc ſacramentū vt quia ipſe iam nō poteſt mori, & nos quotidiè peccamus: habeamus verum ſacrificiū, quo poſſimus expiari: Ideoq́ue quia vnum corpus faciunt, & pro noſtra redēptione offerūtur, dixit: Hoc

Subſtantia.

Vnum corpus Chriſti in cœlo & in ara.

Effectus.

xit. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Anno 900. REmigius Antiſiodorenſis ſuper Canonis verba: Quam oblationem tu Deus &c. ſic ſcribit; Si in veritate corpus Chriſti eſt, quarè appellatur myſterium; propterea vtique, quia poſt conſecrationem aliud eſt, & aliud videtur. Videtur ſiquidem panis & vinum; ſed in veritate corpus Chriſti eſt & ſanguis. *Veritas.* Conſulens ergo omnipotens Deus infirmitati noſtræ, qui vſum non habemus cõedere carnem crudam, & bibere ſanguinẽ: facit, vt in priſtina remaneant forma illa duo munera; ſed eſt in veritate corpus Chriſti & ſanguis, ſicut ipſe dixit, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Vide etiam Paſchaſium Corbecẽſem, libro de corpore & ſanguine do. in Sacramento.

Anno. 950. DE hac ętate Stephanus Eduenſis Epiſcopus in opuſculo ſuo de Sacramento altaris cap. 15. teſtis audiatur. Itaque fides noſtra eſt, & verè credendum eſt, inquit, quòd Sacerdote proferente hæc verba. Hoc eſt corpus meum, iam non eſt panis terrenus; ſed ille panis, qui de cælo deſcẽdit, mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus: Et virtute verborum iſtorum; *Efficitur.* Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.

&c. Vinum conuertitur in ſanguinem Chriſti. Sub vtraqueſpecie, & ſub vtriuſque ſpeciei particula ſingula, totus eſt Chriſtus Ieſus, & ſumitur, reſidens in cælo, ſedens ad dexteram patris, ipſe verè eſt in iſto ſacramẽto. Dentibus teritur, & integer manet: Manducatur, & non corrumpitur; immolatur, & non moritur. Qualem ſe præbuit diſcipulis colendum, talem ſe præbet nobis communicandum; & qui poſt reſurrectionem incorruptibilis & impalpabilis, præbuit ſe diſcipulis palpabilẽ; mortalis eiſdem potuit ſe dare immortalem. *Anno*

FVlbertus Carnatenſis Epiſcopus præclarus in Epiſtola ad Adeodatũ hoc tempore ſic ſcriptum reliquit: Quia corpus ſuum, quod ſemel pro nobis offerebat in precium, paulò poſt à noſtris viſibus ſublaturus fuerat in cælum; ne ſublati corporis fraudaremur pręſenti munimine, corporis & verè ſanguinis ſui nobis inmortale alimentum reliquit; non inane myſterij ſymbolum, ſed cõpaginante Spiritu ſancto, corpus Chriſti verum; quod quotidiana veneratione ſub viſibilis creaturæ forma, inuiſibiliter virtus ſecreta in ſacris ſolennijs operatur. 1000. *Subſtantia.*

CIrca hoc tempus contra Berẽgarium qui primus illo tẽpore ſacramẽtarius erat celebrata ſunt Cõcilia generalia & prouincialia, *Anno.* 1050.

Romanũ ſub Leone nono in quo Berengarius cum ſua hęreſi damnatus: deinde Vercellenſe ſub eodem Leone, in quo duo Berengarij legati erroris conuicti ſtatim ſunt; tertiò Turonenſe, ſub Victore ſecundo, in quo Berengarius hęreſin ſuam abiurauit: Quartò Romanum ſub Nicolao ſecundo, in quo rurſus idem Berengarius errorẽ abiurauit conceptis quæ etiamnum extant verbis: Quintò Romanum aliud biennio poſt, ſub Gregorio Septimo, in quo tertio Berengarius heræſin ſuam abiurauit, veritatemq; corporis & ſanguinis Chriſti confeſſus eſt.

Anno. 1100. ALgerus Cluniacenſis Mon. libro primo de Sacramento corporis & ſanguinis CHRISTI cap. 6. ſic ſcribit: Re vera enim verbum fit caro, & panis fit eadem caro, ſed longè diuerſo modo. Verbum fit caro, & naſcitur caro de carne, aſſumendo carnem, non mutatum in carnem: ſic factum quod non fuerat, vt non deſiſteret eſſe quod erat. panis autem fit caro eadem: non naſcitur caro, nec aſſumit carnem, ſed *MVTATVR* in carnẽ: ſic factus quod non erat, vt deſiſtat eſſe quod fuerat, pulchra ſpe noſtra, pulchroq; myſterio, vt in corpus Chriſti traijci non deſperet rationalis natura, in quod traijcitur & bruta: ſi deſiſtat eſſe quod ex ſe malè fue-

Mutatio.

lè fuerat, & ſit in Chriſto quod benè non erat. Quod autem panis nõ naſcatur, teſtatur Auguſtinus contra Fauſtum: Panis & calix non qualibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod ita non fit, quamuis ſit panis & calix, alimentũ eſt refectionis, non ſacramẽtum religionis, niſi quod benedicimus gratiaſq; agimus Domino in omni eius munere, nõ ſolũ ſpirituali, verùm etiam corporali. Cùm ergo panis myſticus non naſcatur, nec aliqua naturæ terrenæ origine vel conditione in hoc diuinæ gratiæ Sacramento creetur, ſed ita corpus Chriſti fiat, vt panis eſſe *DESINAT*: Quomodo res, quæ iam nõ eſt, vel ipſa alicui, vel aliquid ei imperſonari poteſt? Sed quomodo Chriſtus in pane, qui iam non eſt, impanari dicitur? cùm Chriſtus in panem nec cõuertatur, nec aliquatenus panis fiat; ſed eſt conuerſo panis in corpus Chriſti conuertatur, & corpus Chriſti fiat, ita vt panis non remaneat? Non enim ita ſumere dicendus eſt in altari ſpeciem vel formam panis, ſicut in vtero virginali ſpeciem vel formam carnis: cùm in vtero ſumpſerit ſpeciem vel formam cum ſubſtãtia, in altari verò ſpeciem vel formam panis, mutata, & non permanente ſubſtantia Cùm enim dicitur, ſpecies vel forma panis & vini; *HAEC ILLARVM RERVM*

Cõſecratio.

Non panis.

Nomen. *SVNT VOCABVLA, QVAE ANTE FVERVNT, SCILICET PANIS ET VINI.* Panis enim & vinũ in Sacramento *IAM NON SVNT*, ſed antè fuerunt. Quam igitur in Sacramẽto Chriſti nouam poſſunt creare perſonã, *QVAE NEC ANTIQVAM*

Subſtantia. *SVAM RETINENT SVBSTANTIAM*; Vndè notandum eſt, cùm diuina pagina corpus Domini panem vocat; non ſubſtãtialiter, ſed myſticè, & figuratè dici; vel quia ex eo conficitur, eiuſque nonnullas retinet qualitates; vel quoniam animam paſcit, eiq;

Pſal. 77. Nota. vitæ æternæ miniſtrat ſubſtantiam; vel quoniã panis eſt angelorũ. Solẽt enim Scripturę quaſlibet res vocare nominibus illarum,

Eccleſ. 10. ex quibus fiunt; vt cum dicitur homini, quid ſuperbit terra & cinis, cùm homo non ſit ci-

Geneſ. 18. nis, ſed ex cinere factus; ſeu quæ putantur eſſe, & non ſunt, cum legitur Abraham vidiſſe tres viros, cum eſſent Angeli; ſeu quibus ſimiles aliquo modo exiſtunt, vt cum Deus dicitur Leo propter fortitudinem. Sic igi-

Apoca. 5. tur corpus nomine panis vocatur; vel quia, vt dictum eſt, ex pane conficitur; vel quia intuentium oculis, cùm ſit caro, panis videtur; vel ea ſimilitudine, vt quemadmodum panis materialis carnem, ſic ipſe ſpiritualis alit mentem.

Ber-

BErnardus Abbas Clareuallenſis, pietate, continentia, & doctrina præclarus ac ſanctus, ſermone primo in ſolénitate omnium Sanctorum ſic ſcribit, ac de ſui temporis fide teſtatur; Ego enim, quantum in me eſt, nihil aliud ſum, quàm conſeruus veſter, qui vobiſcum pariter & mihi & vobis (ſicut ipſe Dominus nouit) mendico panem de cælo & alimoniam vitæ. Prattereà non ego vobis, ſed pater veſter ipſe eſt, qui dat vobis panẽ de cęlo viuum, ipſe vos paſcit, & operibus & ſermonibus, etiam & carne filij ſui; qui eſt verè cibus. Nam & de operibus lego; meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei; & de verbis, quoniam non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Ergo nunc quidem cibari habemus factis eius & verbis; poſt hæc etiam illibatũ Dominici corporis ſacramentum in altaris menſa, ipſo propitio, percepturi. Idem ſermone. 2. de Cæna Domini: Apparatus menſæ iſtius nõ hominis eſt ſed fidei; nõ facinoris, ſed myſterij; non temporalis alimenti, ſed æterni. Qui ſum author muneris, ipſe ſum teſtis veritatis. Altare, cui aſsiſtis, quam pro te ſuſtinui repręſentat Crucem; & calix ſepulchrum, in quo mortuus quieui, patena, lapidem ſuper poſitum; corporale, ſudarium; ſubſtratoria corporalis, linteamina,

Anno. 1150.

Subſtantia.

Ioan. 4.

quibus inuolutus fui: Hoſtia, quam vides, iam non eſt panis, ſed caro mea, quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio
Mutatio.
Benedictio.
iſta benedictionis opus eſt non originis: virtus hoc facit, non vſus: Effectus eſt potentiæ, nõ vſus naturæ: dignatio eſt, non oratio: miſericordia eſt, non miſeria: non commune, ſed ſolum; diuinum eſt, non humanum: pietatis ſacramentum, non deitatis detrimẽtum. Hic pereat Philoſophicale nutrimentum. Cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis: non eſt datus ad ruinam huius vitæ (quæ vapor eſt ad modicum apparens) ſed ad æternam vitam animæ conferendam. Iſte eſt pa-
Effectus.
nis Angelorum, qui neſcit putreſcere; non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum: Illud reducit hominem, vndè traxit imaginẽ:
Ioan 6
Caro enim mea verè eſt cibus. Similiter liquor iſte, quem vides, iam non eſt vinum, ſed ſanguis meus, quem pro te fudi in pretium; tibi reſeruans in altari poculum, in peregrinatione tua præſidium, in exitu de AEgypto conductum, in cælo viaticum. Ego botrus carnis, pro ſalute tua portatus ſum ad torcular crucis; indè eliquatum eſt muſtum tuæ redemptionis: Sanguis autem meus ve-
Fides.
rè eſt potus. Mira ſunt, fratres, quę de iſto ſacramento dicuntur. Fides eſt neceſſaria, ſcientia rationis ſuperuacua. Scientia ratione & in-

& intellectu colligitur; fides ſola authoritate inducitur. Auguſtinus cõtra Felicianum: Hoc fides credat, intelligentia nõ requirat: ne aut non inuentum, putet incredibile: aut repertum, non credat ſingulare. Hæc ſunt, fratres, quæ fidem neceſſariò exiguñt; rationem omnino non admittunt. Expetũt ſimplicem creditorem; arguunt impium diſcuſſorẽ. Et ideò credi oportet ſimpliciter, quod inueſtigari non poteſt vtiliter. Hic ille torrens, quẽ tranſuadare non potuit Ieſus. Nolite itaq;, nolite quærere quomodo fiat; nolite dubitare, vtrum fiat: nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Deus enim eſt, & quanquam panis miniſteria habeat; mutatur tamen in carnem: Deus eſt, homo eſt, qui teſtatur panem veraciter fieri carnem. Vas electionis eſt, qui minatur iudicium, nõ dijudicanti tã ſanctã carnẽ. Idipſum ô Chriſtiane, de vino ſentias: id honores in vino: creator vini eſt, qui vinum prouehit in ſanguinem Chriſti. Doctor gentium eſt, cuius aſſertio eſt, mortem bibit bibens indignè ſanguinẽ Chriſti. Vide eundẽ ſermone de Natiuitatis domini Vigilia, primo. & ſermone de S. Martino, in quo ſic ſcribit: Adeſt nobis etiam nũc carnis ipſius vera ſubſtantia, haud dubium ſanè quin Sacramẽto. *Mutatio.*

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis

Bernardi contemporaneus quoque in Epiſtolam.1.ad Corinth.cap.11.ſic eodem tempore ſcripſit. Itaq;, inquit, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de hoc mundo ad inuiſibilia æternę maieſtatis tranſiturus, celebrato ſacramento veteris paſchæ, poſt typicum agnũ, in vltimo, corpus ſuum & ſanguinem in ſpecie panis & vini tradidit diſcipulis. Vbi diligenter animaduertẽdum eſt, quare poſt typici agni ſacramentũ, ſui corporis & ſanguinis ſacramentũ dedit Apoſtolis, & quarè ſub alia ſpecie; & cum ſub alia, quare potius ſub iſta; & cũ ſub iſta, quare ſub duplici; deinde, quare aqua admiſceatur, poſt, quid à nobis & quid à malis ſumatur; Deindè, quę ibi videtur eſſe vel fieri. vtrum verè ſint vel nõ. Sciendum igitur, ideò poſt celebratum vetus paſcha Dominum corpus & ſanguinem ſuum dediſſe diſcipulis, vt oſtenderet veteris Legis Sacramenta ceſsatura, inter quæ præcipuum erat agni paſchalis Sacramentũ; & nouæ legis Sacramenta inſtituenda, in quæ excellit Dominici corporis ſacramentum. Ideoq; etiam poſt alia dedit, vt memoriæ diſcipulorum tenaciùs infigeretur, & ab Eccleſia deinceps frequentaretur. Sub alia ſpecie verò ideò tradidit, & à fidelibus deinceps ſumendũ inſtituit, vt fides haberet meritum, quę non eſt de his quæ videntur.

Et ne

Et ne abhorreret oculus, quod teneret manus:& ne ab incredulis nobis inſultaretur. In hac enim ſpecie tradidit, quia res huius ſpeciei expreſſam habet ſimilitudinem, vt vtraque re huius Sacramenti contenta ſcilicet & ſignificata,& ſignificata & non contenta. Res contenta,& ſignificata,eſt caro CHRISTI,quam de virgine traxit,& ſanguis,quem pro nobis fudit. Res autem ſignificata,& non contenta,eſt vnitas Eccleſiæ in prædeſtinatis,vocatis,iuſtificatis, & glorificatis. Hæc eſt duplex caro Chriſti. Vndè Hierony. ait: Dupliciter intelligitur caro Chriſti,vel illa,quæ crucifixa eſt, & ſepulta: vel illa ſpiritualis atque diuina,de qua ipſe dixit: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et idem: Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet,& ego in eo. Sunt itaque tria in hoc Sacramento conſideranda. Vnum, quod tantum eſt Sacramentum. Alterum, quod eſt Sacramentum & res: tertium,quod eſt res & non Sacramentum. Sacramentum & non res, caro CHRISTI propria & ſanguis. Res & non Sacramentum,eſt myſtica Chriſti,caro. porrò ſpecies illa viſibilis, ſacramentum eſt geminæ rei, contentæ ſcilicet & ſignificatæ. Sacramentum verò eſt ſacræ rei ſignum, & ſpecies

Cur ſpecies manent.

Tria in hoc ſacramento.

illa

illa vtranque rem ſignificat,& vtriuſque rei gerit expreſſam ſimilitudinẽ. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, vt vinum lætificat atque inebriat: ſic caro Chriſti interiorem hominem magis cæteris gratijs ſpiritualiter reficit & ſaginat: quem & ſanguis ſpiritualiter lætificat, & ſic inebriat, vt ſobrium reddat. Vndè, calix tuus inebrians, quàm præclarum eſt. Hábet etiam ſimilitudinem cum re ſignificata tantũ, quæ eſt vnitas fidelium; quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis,& ex multis acinis vinum vnum confluit: Sic ex multis fidelium perſonis vnitas Eccleſiæ conſtat, cuius etiam Sacramentum & corpus Chriſti proprium, quod de virgine ſumpſit. Quia ſicut corpus Chriſti ex multis membris purus & ab omni macula peccati immunibus cõſtat; ita & vnitas Eccleſiaſtica ex multis perſonis mundis & immaculatis conſiſtit. In cuius rei typo facta eſt arca domini de lignis ſethim, quæ ſunt imputribilia, & albæ ſpinæ ſimilia. Ecce, quare in hac ſpecie dedit. Cùm autem totus Chriſtus ſub ſpecie panis, totus ſub ſpecie vini ſumatur; cur non in vna, ſed in duabus dedit? Ideò, vt oſtenderetur Chriſtus totam humanam naturam id eſt, Animã & corpus aſſumpſiſſe: vt vtrunque redimeret, (panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam,

Cur in pane.

mam, quia vinum operatur ſanguinem, in quoſedes animę à phyſicis eſſe dicitur, ideò ergo in duabus ſpeciebus celebratur hoc Sacramentum, vt animæ & carnis ſuſceptio in Chriſto, & vtriuſq; liberatio in nobis ſignificetur. Ideò verò apponitur aqua, vt oſtendetur noſtra redẽptio facta per Chriſti paſſionem, & eius procurata pro noſtra dilectione. Aqua enim genus humanum ſignificat. Vnde in Apocalypſi; Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & gentes; quorum ſalus non poſſet eſſe ſine paſſione domini, nec domini paſsio ſine populi dilectione. Niſi enim nos diligeret, pro nobis ſe morti non traderet. Poſt hæc videndum, vtrum à bonis & malis corpus Chriſti ſumatur. Verumtamen ante oſtendi oportet, verum corpus Chriſti eſſe in altari: quod à quibuſdam incredulis eſſe negatur; quos ipſa veritas confutat, dicens: Accipite: Hoc eſt corpus meum, & ſanctorum authoritates in medium deductæ. Ait enim Ambroſius: Antequam conſecretur, panis eſt & vinum; vbi autem verba Chriſti operata fuerint, corpus & ſanguis Chriſti efficitur. Item, ſermo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, nõ poteſt ea, quæ ſunt, mutare in id, quod non erant? Item Euſebius; Inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, ver-

Cõſecratio.

Effectus.

verbi ſui ſecreta poteſtate, commutat. Item: Eſt quidem etiam in peccatoribus & indignè ſumentibus vera Chriſti caro, & verus ſanguis: ſed eſſentia, non ſalubris efficientia. Item: multi accipiunt corpus domini indigni, de quibus Apoſtolus: Qui manducat corpus domini & ſanguinem bibit indignè; iudicium ſibi manducat & bibit. Per quod docemur, quàm ſit cauendum, malè accipere bonum, Ecce enim factum eſt malum, dum malè accipitur bonum. Sicut contrà, Apoſtolo factum eſt bonũ, cum benè accipitur malum; id eſt, dum ſtimulus Satanæ ei datur, & patienter portatur. Eccè, ex his ſanctorũ teſtimonijs liquet, verum Chriſti corpus eſſe in altari, & nõ modò à bonis, verumetiam à malis ſumi.

Anno. 1200. Innocentius III. Põt. Max. vir ſanctus & doctus, de officio Miſſæ lib. 3. cap. 19: Agnus paſchalis ſine dubio figurabat dominicum corpus; ſed panis azimus, ſincerũ opus. Sicut autem Ioannes Baptiſta, qui dixerat: Ecce agnus Dei; per adiunctũ determinauit, eccè qui tollit peccata mundi; Sic & Chriſtus, qui dixerat: Hoc eſt corpus meũ, per adiũctum determinauit, quod pro vobis tradetur. Sicut ergo corpus Chriſti veraciter tradebatur, ſic verè demonſtrabatur nõ in figura, quę iã ceſsauerat, ſed in veritate, quę iã aduenerat.

Sequentia uerba declaratoria. Ioan 6.

Sane

Sanè cum litigarent Iudæi ad inuicem dicẽtes; quomodo poteſt hic carnem ſuã nobis, dare manducandum? dixit illis Ieſus. Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ; non habebitis vitam in vobis; Qui mãducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Ideò dixit, Amen amen dico vobis, id eſt, in veritate, non figuratiuè; ſed verè intelligitur, quod dixit; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui ad maiorem veritatis expreſsionem adiunxit; Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, Ego verò, qui vitam æternam deſidero habere, carnem CHRSTI veraciter comedo; & ſanguinem eius veraciter bibo: Illam vtique carnẽ, quam traxit de virgine; & illũ ſanguinẽ, quẽ fudit in Cruce. Ergo corde credo, & ore confiteor, quòd ipſum Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum in hoc Sacramento comedo, fretus authoritate, quę dicit; Qui manducat me, viuit propter me. Non autẽ, cum manducatur, per partes diuiditur, nec laceratur ſub Sacramento, ſicut caro, quæ venditur in macello; ſed illæſus ſumitur, & integer manducatur. Viuit manducatus, quia ſurrexit occiſus.

Veritas. *Effectus.* *Ioan 6.*

Mandu

Manducatus nõ moritur, quia ſurrexit non moriturus. Et mox: Sicut enim vidua Sare-
3. Reg. 17. ptana quotidiè comedebat farinam de Hydria, & oleum de Lechito; ſic vniuerſalis Ecclesia quotidie ſumit, & nunquam conſumit carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti, ſub diuerſa ſpecie Sacramenti. Idem, vt habetur cap. Cum Mathæ, de celeb. Miſsę. Quæſiuiſti, inquit, quæ ſit forma verborum, quã ipſe Chriſtus expreſsit, cùm in corpus & ſanguinem ſuum, panẽ tranſubſtantiauit & vinum, &c. Sub hoc ipſo Pon. celebratum eſt vniuerſale Concilium Lateranẽſe. In quo Spiritus ſanctus (ſicut habetur de ſum. Tri. & fid. cathol. cap. firmiter) ita definiuit; vna eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur. In qua idẽ ipſe ſacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus & ſanguinis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini realiter continetur; *TRANSSVBSTANTIATIS PANE IN CORPVS, ET VINO IN SANGVINEM;*
Tranſub-ſtantiatio. *POTESTATE DIVINA.*

Anno. 1250. SAnctus Bonauentura, qui & Euſtachius, Epiſcopus Albanenſis, parte. 6. breuiloquij cap. 9. ſic ſcriptum reliquit; De Sacramento Euchariſtiæ hoc tenẽdum eſt, quod in hoc ſacramento verum Chriſti corpus & verus

verus ſanguis non tantùm ſignificatur, verũ etiam veraciter continetur ſub duplici ſpecie, panis ſcilicet & vini, tanquam ſub vno, & non ſub duplici Sacramento. Hoc autem eſt poſt conſecrationem ſacerdotalem, quæ fit in prolatione vocalis formæ, à Domino inſtitutæ, ſuper panem, ſcilicet: Hoc eſt corpus meum: Super vinum verò: Hic eſt calix ſanguinis mei. Quibus verbis cum intentione conficiendi à Sacerdote prolatis, tranſſubſtantiatur vtrumque elementum ſecundum ſubſtantiam in corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, remanentibus ſpeciebus ſenſibilibus: in quarum vtraque continetur totaliter, non circumſcriptibiliter nec localiter, ſed Sacramentaliter totus Chriſtus. Adde his quæ Albert. M. de hac eadem re teſtatus eſt. lib. de myſterijs Miſsæ: & in Euangelium Marci. *Intentio. Tranſubſtantiatio.*

Guido Archidiacanus Bononienſis ſuper decret. de conſe. diſt. 2. capite. Reuera: Subſtantia, inquit, panis & vini, quæ non fuerat corpus Chriſti vel ſanguis, ad verba Chriſti prolata, fit corpus Chriſti & ſanguis, Et ideò ſacerdotes dicuntur conficere corpus & ſanguinem Chriſti, quia eorum miniſterio ſubſtantia Panis tranſubſtantiatur in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem. *Anno 1300. Cōſecratio. Tranſubſtantiatio.*

Q

nem. Et ſi dicatur, quod de ſpecie panis fit corpus, ſiue Sacramentum efficitur; ſic intelligendum eſt quod ſubſtantia panis Sacramentum efficitur. Eodem tempore Iacobus Epiſcopus Genuenſis in hiſtoria Lombardica, cap. Vltimo; Accepit, inquit, Chriſtus perſonam Epiſcopi, quando panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum tranſmutauit, & Apoſtolis poteſtatem conficiendi dedit. Et iſta eſt maior poteſtas, quę vnquã homini data fuit. Eſt enim poteſtas magna Dei, facere aliquid de aliquo, ſicut quãdo fecit hominẽ de terra, & Euam de coſta Adæ. Eſt alia poteſtas Dei maior, de nihilo aliquid facere, ſicut fecit cœlum & terram. Eſt tertia maxima, de creatura creatorem, Iſtam poteſtatem non dedit Angelis, ſed ſolis ſacerdotibus; quia, diuina virtute, in corpus & ſanguinem ſpeciem panis & vini conuertunt. Inuiſibilis enim ſacerdos Chriſtus, per miniſtros ſuos viſibiles creaturas in corpus & ſanguinẽ ſuum (inquit Euſebius Emiſenus) ſecreta poteſtate, conuertit verbo ſuo: Hoc eſt corpus meum. Vndè non debet aliquis attendere ad viſum ſuum; quia viſus putaret ſe videre colorem panis: nec ad guſtum, quia putaret ſe ſentire guſtum panis; nec ad olfactum, quia putaret ſe ſentire odorem panis & vini: ſed attendere de-

Poteſtas dei triplex.

Efficiens.

Conuerſio.

Senſus fallunt & falluntur.

re debet ad auditū; quia cum audit cōſecrationis verba, ita eſt per omnia ſicut audit: Hoc eſt enim corpus meū. Quod ſignificatū eſt Gen. 27. in Iſaac, qui cū benedixit Iacob, fuit deceptus eius viſus, quia oculi ſui caligauerunt, & ipſum non cognouit. Fuit & deceptus olfactus, quia credidit ſe ſentire ordorem veſtimentorum Eſau. Fuit etiā deceptus guſtus, quia credidit ſe comedere de venatione Eſau, & comedit de ferculo Iacob. Fuit & deceptus in tactu, quia putabat ſe tangere manus Eſau, & tangebat manus Iacob. Sed ecce auditus, qui vocem Iacob audiuit, non fuit deceptus: Imo dixit: Vox quidem vox Iacob eſt. Sic in iſto Sacramento omnes ſenſus decipiuntur, præter auditum.

Simon de Caſsia Monachus, ſed doctus & pius, lib. 2. de Religione Chriſtiana cap. 17 *Anno* 1350. Qui manducat hunc panem, viuet in æternū: Quia ipſe vita eſt ęterna ex patre, quamuis temporalis ſit ex matre. In omnibus his verbis nec modum manducationis aperuit, de quo maximè fuerat litigatio ad inuicem Iudęorum; ne fidei robur decreſceret, & meritum eius tam altè appenderetur in lance. In fide factum, in fide modus exiſtit. Plus enim eſt, quod voluit hoc

facere,fecitque, quam modus in facto: At qui ſi factum in fide modus non erit in declaratione,Non enim prꝗponitur huiuſmodi cæleſti facto modus eius. Si quis igitur in omnibus actionibus ſaluatoris ſibi præſtiterit ex captiuato intellectu facto fidem; non quærat vlterius modum & rationem. Ideò autem fortè de modo recitabat:quoniá adhuc non parauerat aut dederat cibum exſua carne, quem in vltima cæna fecit:quum in carnem ſuam panem, & in ſanguinem ſuum vinum,inuiſibili & diuina poteſtate, conuertit.

Fides.

Conuerſio.

Anno. 1400. Circa hoc tempus inuecti ſunt in Bohemiam errores non pauci, quibus comprimendis generale Concilium Conſtantienſe indictum fuit,in quo inter cætera, ſic defi nitum legimus: Firmiſsimè credendum, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis quàm ſub ſpecie vini veraciter cótineri.&c. Vide ſeſsion.8..&13.Et poſtea etiam in Florentino ſic legitur:Ipſorum verborum virtu te ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur.&c.

Species.

Conuerſio.

Anno. 1450. S.Antonius Florentin⁹ Archiepiſcopus tertiæ partis ſummꝗ tit. 14.ca. 14. Ex vi enim

Sacra-

Sacraméti, inquit, eſt ibi corpus Chriſti: ſed ex naturali cócomitantia & ſanguis, & anima, & diuinitas: Quia ita cóſecratur & ſumitur, ſicut nunc eſt, ſicut totus eſt ſimul cũ carne, anima, & diuinitate. Et poſt hunc Beſsarion Patriarcha Cõſtantinopolitanus in opuſculo de Sacraméto Altaris, parte prima: Quod igitur, inquit, impoſsibile ſit alijs, quá Dominicis verbis, Euchariſtiæ Sacramentum confici; euidentiſsimè, & luce clarius apparet. Enimuerò nemo eſt, quem lateat, quemadmodum panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti in inſtanti facta tranſubſtantialitas humanam facultaté excedit, ingenſq; opus eſt, & certè diuinum; ita etiam huius Sacramenti efficientia verba, inſtar ipſius Sacramenti, eximiæ cuiuſdam virtutis eſſe debere. Chriſti vero diuinis verbis nihil eſſe potentius, nihil efficacius eſſe poſſe manifeſtum eſt. Quam obrem fateri neceſſe eſt, dominicis illis verbis & nullis alijs, diuinum hoc ſacramentũ confici poſſe. Et mox: Atqui panis & vini in corpus & ſanguinem tranſmutatio, non potentium meritis, ſed eius potétia, qui ex nihilo cuncta produxit, per ſacerdotem, tanquam per inſtrumẽtum quoddam, efficitur.

Efficiens. *Confectio.* *Tranſubſtantiatio.*

GAabriel Byel, Germanus, inſignis Theologus in expoſitione Canon. Miſsæ, lect. 52. ſic

Anno. 1500.

ſic ſcribit: Chriſtus poſtquam ineffabili amore ſuos diſcipulos refecit cibo angelorũ, propria ſcilicet carne, ſub ſpecie panis, vſui humano conuenientiſsima: vt amplius charitatis ſuæ immenſitatem exprimeret, inſtituit & eoſdẽ reficere potu ſacratiſsimo, ſanguine ſuo digniſsimo, ſub ſpecie vini, potui congruentiſsima; vt ſic nobiliſsima ſpiritualis nutritio animæ, perfecta corporis refectione ſignificaretur, Ad nutritionẽ enim corporis perfectam non pertinet ſolus cibus, pertinet etiam potus. Idcircò poſtquam accepit panem, ſub cuius ſpecie tradidit in cibum *PROPRIAM CARNEM:* accepit & calicem vini, ſub cuius ſpecie in potum tradidit & ſanguinem. His ſi placet adde, quæ S. Ioã. Roffenſis Epiſcopus pręfatione lib. 3. in Ioan. Oecolamp. de verbis cęnę dominicæ lib. per quatuordecim corroborationes de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſcribit, Et quę Eraſ. Rot. ad Cõradum Pellicanum Epiſtola ſcripſit: Ad id, inquit, non eſſe verũ corpus Chriſti in Euchariſtia, ſemper negaui me poſſe animũ inducere, præſertim cũ Euangelicę, ac Apoſtolicæ literę tam euidenter nominant, corpus, quod datur: & ſanguinẽ qui effunditur. Idẽ ibidem: Hactenus cum omnibus Chriſtianis adoraui Chriſtũ pro me paſſum in Euchariſtia, &c.

Subſtantia.

Hoc

HOc tépore Conciliú Tridenti celebratú *Anno.* 3.ſeſsione ca.4. ſic teſtatur: Quoniã autẽ 1500. Chriſtus, redẽptor noſter, corpus ſuum,id, quod ſub ſpecie panis offerebat,verè eſſe dixit;ideò ſemper perſuaſum in Eccleſia Dei fuit,idq́; nũc denuò ſancta hęc Synodus declarat per cõſecrationẽ panis & vini,conuerſionẽ fieri totius ſubſtantię panis in ſubſtantiã corporis Chriſti domini noſtri; & totius ſubſtantię vini,in ſubſtantiã ſanguinis eius: Quę cõuerſio cõueniẽter & propriè à ſancta cathol. Eccleſia trãſubſtãtiatio eſt appellata. *Subſtantia.*

Vides, Andrea, quantò conſenſu, quantaq́; concordia, de hac traſmutatione, omnis Antiquitas, in omnibus Chriſtiani orbis partibus, ab ipſo Authore Chriſto vſq; in hęc noſtra tẽpora, lõga deducta linea, vno quaſi ore locuta ſit; In qua ſerie (etſi multo plures alij recitari potuiſſent) ſæpè, non ſinguli ſolùm ſed plena etiam Cõcilia de veritate corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini apertè teſtificãtur. Horum omniũ & pietas, & eruditio & ſanctitas Deo hominibuſq́; nota atq; grata eſt. De quibus etiã nũc rectè dixerimus, quod olim Irenęus lib. 4.ca.45 aduerſus hęreſes Valentini ſcripſit: Vbi, inquit, chariſmata domini ſunt poſita, ibi diſcere oportet veritatẽ: apud quos ea, quę ab Apoſtolis Eccleſię, ſucceſsio, & id ꝙ *Concluſio prædictorũ.* *Vbi diſcenda ſit ueritas.*

ſanum & irreprehenſibile ſermonis eſt, con ſtat. Sint itaq; vel ipſo Philippo Iudice, quẽadmodum ſupra dictum eſt, teſtes fide digni, de ea fide, quam Eccleſia vniuerſalis in oriente pariter & occidente ab ipſo Chriſto ſeruatore in hãc vſq; diem corde veluti vno credidit & vno velut ore ſemper cõfeſſa eſt. Quod cum ita ſit, tu ipſe iudica, quã reprehẽſionem veſtra illa Leuitas apud prudentes mereatur omnes; qui propria libidine atq; inſolẽtia ab ea fidei perpetuitate defeciſtis, quę cũ initium ab ipſo Authore Chriſto habeat, ſalua vſq; ad Antichriſti nouiſsima tẽpora perduratura prorſus apud pios prędicatur. Si parùm tibi videtur, à vero verique tot tantisque Aſſertoribus per defectionẽ deſciuiſſe: ſempiternum tamẽ cum ipſa impietate coniunctum dedecus erit, ad manifeſti atque damnati olim erroris Berengarij atque Almarici aliorumque caſtra confugiſſe: quorum ille ante quingentos annos, hic poſtea etiam domui Dei ſeſe opponens, ſuo vterque merito proſcriptus, Hęreticorum eſt aſſcriptus Catalago. Cùm ergo ipſa Chriſti enunciato; hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: clara atque aperta ſit: cum omnium pręſtantiſsimorum ſanctiſsimorumq; patrum teſtimonia palam hoc ipſum edicãt; cùm totius Eccleſiæ pulchrè ſibi conſentiẽs

Collectio cũ repetitione præcipuorũ membrorũ. V. de Eraſ. Roter. in præfatiõe in Algeri lib. de ueritate corp. & ſã. Chriſti in Sacr. Eucharistia.

fides

fides atque confeſsio idipſum confirment: non eſt ſane, non eſt, quod dubitet quiſquã, verum corpus & verum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, poſt conſecrationis verba, non cum pane & vino, id quod vos confingere audetis, ſed ſub earundem creaturarum ſpeciebus, in altari nobis exhiberi.

Non licet in rebus ipſam naturam ſuperantibus modum formamque diuinorum operum inquirere, quomodo fiant. Satis cũ ſit credenti, ſcire quod ſit: etiam nullo ſalutis diſpendio, quo modo ſit, id, quod eſt ignoret. Cur enim non magis quæritur, quo modo, quem nec cœlum nec terra comprehẽdere poteſt, is de cœlo deſcendens, inuiolato pudore, & cõceptus homo in virgine, & exactis naturæ menſibus, ex eadẽ in hunc Mundum natus ſit? Quomodo idem in eodẽ corpore maris calcauerit fluctus, ipſumque cum Moſe atque Helia in aëre ſuſpendit: deinde in cruce mortuum, ex ſepulchro excitauerit viuum; clauſis ianuis intrò in ædes introduxerit: Vbi, quando, quoque modo, ac quibus voluit, conſpicuum reddidit: tandẽ in cælum eleuatum ad omnipotentiæ paternę dextrã conſtituit; Quo modo, quẽ Stephanus poſtea ſtantem à dextris virtutis Dei vidit, Act.7: Saulus in aëre fulminantẽ & loquentem audiuit, Act.9. Virgo mater

Modus quo fit imperſcrutabilis.

ipſa quoque ſed differenti ſtudio, conceptionis modum, quæ virum non cognoſceret, inquirens, audiuit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: Nullum verbum impoſsibile eſt apud Deum. In hoc Angeli reſponſo nos quoque acquieſcere ęquum erat: & non quærere cum Capharnaitis carnalibus: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Ioan. 6 Verum tamen non eſſe formalem mutationem panis viniq́ue, ipſi nobis ſenſus noſtri renũciãt: Subſtantialẽ eſſe, tot ſignificantia nomina in patribus oſtẽdunt: vt ſunt mutatio, trãſmutatio, tranſelementatio, tranſſubſtãtiatio: idq́; genus alia multa.

Sed ais, Andrea: Corpus Chriſti ex virgine fit. Quis hoc vnquã negauerit? Imo omnes etiam amplius confitemur, quod in virgine factus, ex eadem homo natus eſt: vbi quod factum eſt, naſcitur; hîc non naſcitur, ſed conuertitur. Neque enim corpus Chriſti in panem conuertitur, vt vos de impanato Deo ioculatores ſoletis garrire; ſed panis in corpus diuinum. Neque tu mihi vſpiã ſcriptũm oſtendes, ex ſola virgine corpus Chriſti fieri: Cõſtat autem quòd ex omnibus etiam verè credentibus corpus Chriſti fiat: nec hoc ſolũ, verũ ętiam quod omnes verè credẽtes ex ipſo etiam, corpus vnũ fiant, ex
carne

carne nimirum eius atq; oſsibus eius Eph.5.

DE ORDINE ECCLESIASTICO SACERDOTALI.

PAri dexteritate, in hoc ſecundo Articulo, in ſacerdotalem ordinem & conſecrationē inuehitur Andreas, vt ſine qua nulla à quouis, niſi ritè ordinato ſacerdote in propoſitis in altari pane & vino tentatam fieri mutationē, à noſtris aſſeritur. Et ſanè conſtanter aſſeueramus, nullā in propoſitis creaturis Chriſti verba à Laico pronuntiata mutationem efficere. Cùm enim conſecrationis verba in perſona Chriſti proferantur; (id quod ipſa verborū forma demonſtrat, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus) neceſſe eſt eum, qui profert verba eadē, Chriſti perſonam gerere ac repræſentare. Quomodo autem quis alterius nomine quicquā faciat, cùm facultas atq; mandatum eius cuius cauſa agere ac perſonam referre debet, requiritur? Sed Laico nuſquā datam eſſe eā à Chriſto facultatē, conſtat. Irritum ergo eſt, quicquid cuiuſuis laici in propoſitis creaturis tentat audacia. Tū verò, quia officio huic annexus eſt honor ſacerdotalis: nemo verò Apoſtolo dicente aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo. tanquam Aaron. Heb.5. certe neq; officiū, quod honore præſtantius

Intentio neceſſaria eſt, ut ſine qua non.

Maior.

Laicus poteſtatem conſecrandi non habet.

eſt,

eſt,ſibi quiſquam rectè vſurpare poteſt, niſi à Deo antè, ſicut Aaron, approbetur vocatus. Et de Aaron quidem expreſsum eſt dei mandatum ad Moſen: Applica ad te Aaron. Exod.28.cuius electionem & vocationem poſtea etiam Dominus ipſe miraculo confirmat per virgam eius, quæ ſola inter duodecim floruit. Num.17. Diſplicet etenim Deo vox illa vltrò ſeſe ingerentium, Amos. 6.deſcripta: In fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua. In Oſeę enim cap.8.quaſi reſpondens illorum iactantiæ,ait;ipſi regnauerunt,ſed non ex me. Et extant exempla iræ diuinæ in eos,qui ſibi,propria authoritate,ſacerdotalia munera Legis Moſaicæ vindicare præſumpſerunt. Nota enim eſt hiſtoria Chore, Dathã,& Abyron,cum ducentis quinquaginta complicibus,quos viuos dehiſcens terra deglutiuit; Et Ozæ,qui repentina morte interijt.2.Reg.6.& Oziæ,qui lepra percuſſus eſt.2.Paralip.29. Quantò magis igitur,ſi præter mandatum Dei quis vſurpet ſibi ſacerdotale officium in nouo Teſtamẽto,maledicet benedictionibus eius? Malach.2. Sicut hunc locũ Auguſtinus in ſerm. de corpore Chriſti explicans, Nunquid, inquit,ſi hoc myſterium hære ticus auſus fuerit vſurpare,angelũ de cælis mittit Deus oblationem eius conſecrare? maximè cum eiſdem

Exempla iræ Dei in uſurpatores miniſterij Ecclesiaſtici.

dem

dem per Prophetam comminatus ſit, dicẽs; Maledicam benedictonibus veſtris. Quod ſi benedictionibus eorum ſe aſſerit maledicturum veritas, quid erit de hoſtia? Ergo dicemus illam poſse benedici ab illo, quẽ ſcimus à Deo fore maledictum cum ſua benedictione? Si enim Deus maledixerit benedictionibus hæreticorũ, & Symoniacus benedixerit; quis eorum prævalebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilũ poterit redigere verba veriſsima comminantis Dei? Hæc Aug. Similia his in hunc eundem locũ & Hieronymus & Gregorius ſcribũt. Et inter recentiores Beſſarion Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus lib. de Sacr. Euchariſtiæ; eſt autem, inquit, ad hæc neceſsarius & idoneus & ſufficiẽs miniſter. Sufficiens autem eſt, qui poteſtatem per conſecrationem habet, & Sacerdos factus eſt. Nec enim à quocunque prolata verba eiuſmodi efficere poſſunt, quod quęritur, imo vero nihil omnino poſſunt, niſi a Sacerdote proferantur. Eius rei ratio eſt, quod ita Deo placitũ eſt, ita ordinauit, hãc legem tulit. Tranſgreſſori igitur legis & voluntatis eius, dignum paratum eſt meritum ne quid facere poſsit. Hæc ille. Chriſtus Apoſtolos ſuos alloquens, ait; Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, Ioan. 20. Miſit filium pater, non vt tantum die-

bus

bus carnis ſuæ mortalis ſit Sacerdos: verùm etiam vt legationis ſuæ munus alijs quoque demandet poſt ſe: Quare ait: A me ipſo non facio quicquam: ſed quæ placita ſunt patri, hæc facio ſemper. Ioan. 8. Ergo quod in Cœna ipſe faciebat, mox idem Apoſtolis faciendum demandauit: Hoc facite in meam cōmemorationem, Luc. 22. Apoſtoli porrò poteſtatem, quam acceperāt, alijs poſt ſe quoque communicarunt. Hac ipſa enim poteſtate vſi fuerunt quandò Matthiam in numerum duodecim Apoſtolorum elegerunt, Act. 1. Et Saulum atque Barnabam ſpiritu ſancto dictante ſegregauerunt in opus Euāgelij, eiſdemq́ue poſt ieiunium & orationem impoſuerunt manus. Act. 14. Et Paulus Epheſi Epiſcopos ad paſtoralem curam & ſolicitudinem excitat, eoſdemq́; ab Apoſtolis ordinatos, à Spiritu ſancto in Eccleſiam poſsitos eſſe affirmat, Act. 20. Idem Timotheo ſcripſit, oſtendens, manuum impoſitione gratiam diuinam quæ ad ſacerdotij munus neceſsaria, iudicatur conferri: Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij. 1. Timoth. 4. Et rurſus ad eundem ſcribens: Admoneo te, inquit, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum. 2. Timoth.

Chriſti præcepto fit conſecratio.

Succeſsio Apoſtolicorum virorū in miniſterio

Impoſitione manuum in ſacerdotū ordinatione cōfertur gratia.

moth.1. Et alteri cuidam diſcipulo, Huius rei gratia, ſcribit, reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, Tit.1. Quin eorum qui ab Apoſtolis præfecti ſunt, Epiſcoporum, maximarum præcipuè Eccleſiarum, tam in Oriente quàm Occidente, longa ſerie, atque ordine incorrupto, catalogus recenſeri poteſt. Cũ ergo prædicandi munus conſecrandi facultate ſemper ſit habitum minus: & Apoſtolus tamen Rom. 10. cum admiratione quadam quærit: Quomodo prædicabunt, niſi mittantur; qua ratione liceat in conſecrando, quod non licet in prædicando? hoc eſt, quomodo conſecrare poſſunt ſine ordinis collatione, qui ſine eodẽ ne prædicare quidem poſſunt? Nec fruſtra factum eſt, quod ſicut de Baptiſta alter ille Ioannes teſtatur, quod fuerit miſſus à Deo homo, cui nomen Ioannes, Ioan.1. ita Paulus etiam de ſeſe profitetur, ſe non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum vocatum eſſe, Galat.1. Et alibi diuinam in ordinando mittendoque authoritatem prædicaturus de ſe alijſque officij collegis, ſcribit: poſuit DEVS in *NOBIS* verbum reconciliationis pro Chriſto, ergo legatione fungimur, tanquam DEO per *NOS* exhortante: obſecramus pro Chriſto, recõciliamini deo. *Minus eſt prædicare quam conſecrare.*

Atqui

Atqui ipſi etiam deſertores palam confiten tur, Euangelici miniſterij facultatem aliundè petendam eſſe, ſicut in ſcriptis Caluini & Vveſtphali in ſecũda citatione & reſponſione videre eſt. Nec vllum extat exemplũ, quo doceri poſsit, politicos Magiſtratus Chriſtianos ſibi tantum hanc ordinandorum ſacerdotum, multoq; minus conſecrandi facultatem vnquam vindicauiſse; Extant verò cõtraria exempla, quibus docetur, nulli ius eiuſmodi conceſſum Laico. Et nota eſt ſeuera illa D. Ambroſij in Valẽtinianum Imp. & matrem Iuſtinam increpatio, Niceph. lib. 9. cap. 19. & Theod. lib. 5. cap. 13. Quin etiam in hæreticis olim hæc doctrina remanſit, charactere in Eccleſiæ miniſtro in officijs requiri; ſicut Arriani per vim aliquoties Catholicos Epiſcopos ad conferẽdos ipſis ordines compulerunt, vt ſine quibus officio altaris fungi non poſſent. Acephali etiam (ſic dicti, quod ſine ſuperiore diſperſi vagarentur) cũ ipſi ordinandi facultatem non haberent, & iam penuria Epiſcoporum atque ſacerdotũ laborarent; particulas (vt vocant) ſacræ Euchariſtiæ per Catholicos, id eſt, veros atque legitimos ſacrificos, antea conſecratos diligentiſsimè aſſeruabant, ac, cõmunionis tem pore in minutiſsimas partes diuiſas, ſuis porrigebant. Id quod minimè feciſſent, ſi illo tem-

Magiſtratus pij conſecrandi facultatem ſibi nõ ſumunt.

Ambroſius Epiſcopus in Valent. Imp. poteſtas.

Arriani.

Acephali.

tempore cuiquã perſuaſum fuiſſet, laicum, ſiue non ritè ordinatum conſecrare poſſe. Niceph. lib. 18. cap. 45. Et Athanaſius, cuius magna laus eſt in Eccleſia, aliquando Iſchyram quendam non legitimum ſacrificum, Mareotæ ſacris operantem inuentum, Zelo quodam adorſus; & menſam ſacram quæq; in ea erant inuertit; & calicem in terrã proiectum confregit; Quod factum poſtea accuſationis contra ipſum quaſi caput videbatur Aduerſarijs; Niceph. lib. 8. cap. 49. Minimè hoc facto laudatus à pijs eſſet, ſi Laicum conſecrare poſſe ea etiã ętate in Eccleſia creditum fuiſſet. Et hoc eſt, quod Tertullianus lib. de præſcriptione hæret. ſcribit; aſſerens, ordinationes temerarias, leues, atque incõſtantes apud hæreticos eſſe: Nunc, inquit, Neophitos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros: vt gloria eos obligent quia veritate non poſſunt: Nuſquã faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebelliũ; vbi ipſum eſſe illis, promereri eſt. Itaque hodiè alius Epiſcopus, cras alius. Hodiè Diaconus, qui cras Lector: Hodie presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis ſacerdotalia munera iniungunt. Cui penè reſpondet Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. planè Epiſcopi non de voluntate Dei fiunt, qui extra Eccelſiã Dei ſunt; ſed contra diſpoſitionem & traditionẽ

Athanaſij in Iſchyram Zelus.

Tertull.

Cyprian.

Euangelij fiunt;ſicut ipſe Dominus in duodecim Prophetis ponit,& dicit:ſibimetipſis regem conſtituerunt,& non per me.Et ante
Dionyſius. hos Dionyſius,Pauli diſcipulus,Eccleſiaſtica Hierarchia,Capite de ijs; quę in illuſtratione fiunt,ſcribit in hæc verba. Si enim diuinus ſtatus diuino ortu,&,vt ita dicam,generatione efficitur;profectò qui ſtatum diuinum non accepit,is nihil vnquam eorum, quę à Deo tradita ſunt,ſciet,nec operabitur. Et mox: vt enim ijs, quibus valentes oculi non ſunt,aduerſos radios ſolis intueri periculoſum eſt:ſic pernicioſum eſt, ea,quæ ſupra nos ſunt,aggredi. Siquidem vera legis eſt Hierarchia, quæ & Oziam, quod ſacra contigit, deteſtantur: & Core, quod ſacra, quæ ad eius ordinem non attinebant, & Nadan atque Abiud,quòd ſacris ſuis indignè abuſi ſint. Idem quoque in Contemplatione Capitis de Sacramento Collectionis, ſiue communionis,circa finem:Non debet, inquit, temerè ducem ſe alijs diuini luminis præſtare,is,qui non omni *STATV* ſuo, & habitu ſimilimus Deo euaſerit,diuinoq; inſtinctu. ac Iudicio declaratus ſit rector atque moderator.Et mox:Quo circa ij, qui diuinorum expertes ſunt;eaq; ignorant;nunquam ad agendas gratias ſe conferent,etiamſi gratiarum actione natura ſua diuina beneficia

neficētia digna ſint. Et quod Ambroſius lib. de pænitentia capite. 2. de abſoluendi poteſtate ſcribit: Ius, inquiens, ligandi atque ſoluendi ſolis ſacerdotibus permiſſum eſt: hoc ipſum de conſecrandi poteſtate poſtea in Laternenſi Concilio Innocentio III. Pót. Max. confirmatur his verbis: Hoc Sacramentum, ſcilicet corporis & ſanguinis Chriſti, nullus conficere poteſt, niſi ſacerdos ritè ordinatus, ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe CHRISTVS conceſsit Apoſtolus, & eorum ſucceſſoribus. Et in Remenſi Concilio, capite .1. legitur: Interdicta eſt Laicis & mulieribus nedum corporis conſecratio, ſed nec contactus admittitur. Quam ob rem, Andrea, ne mireris, nos, in eo, qui ſacris operatur, Ordinem ſacerdotalem requirere, quoniam, vti ex his ipſe vides, nec primi hoc noſtro tempore, nec ſine magnis cauſis facimus.

Solis Sacerdotibus Eccleſiæ miniſteria debentur.

Lateran. Concil.

Remenſ. Concil.

Sed obijcis Petri fortè locum 1. Petri. 2. & Apocalyp. 1. & 5. vbi omnes ſine exceptione Credentes Sacerdotis nomine honoramur. Verũ ne nos quidem, omnes ſacerdotes eſſe, & verè quidẽ eſſe, diffitemur: Quin palam etiã cum Beda, in eundem Petri locũ commentaria ſcribente, profitemur: omnes mẽbra Chriſti Ieſu tanquã corporis myſtici

Omnes Sacerdotes quomodo intelligendum.

membra factos, ſacerdotes eſſe; non tamen, qui Eccleſiæ miniſterio publicè præſint, quoniam hoc externum eſt Sacerdotiũ; ſed qui ſpirituales hoſtias atque victimas etiam Deo in odorem ſuauitatis offerre poſsint. Pſal.50. cor contritum. Rom.12. corpus proprium, & alia. Verùm non hoc ſpirituale ſacerdotum alterius illud atque exterioris generis in Eccleſia tollit munus; ſed neq; omnibus, qui Chriſto nomẽ dederunt, hoc externum ex æquo commune fit per illud ſpirituale atque internum. Nam & Circumciſionis genti dicitur; Vos eritis mihi in regnũ
Exod.19. ſacerdotale, & gens ſancta, & in peculium de cunctis populis; mea eſt enim omnis terra; Cùm tamen de omnibus hoc diceretur, in eos, qui aliquandò externum Sacerdotij Eccleſiaſtici munus ſibi vſurparunt, grauiſsimè aninaduerſum fuit, de quo etiã paulò antè diximus.

Habes, Andrea, cui authoritati innitamur; Scripturæ, ſcilicet Conciliorum, & Patrum Maiorumque noſtrorũ: cùm dicimus, Laicum circa panem & vinum propoſitum, nullam operari mutationẽ; ſiuè benedicat, ſeu maledicat. Neque tamen ita hæc à nobis dicta accipi velim, quaſi Angelicis humeris vix ferendum munus, cum ipſo duplici etiam honore, 1.Timoth.5. cuiquam veſtrũ inuide-

uideamus: ſed bona & recta conſcientia fre ti, cum Moſe dicimus: Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum? verùm noſtrum non eſt, vt in alieno liberales ſimus: Atque vti monemus, ne falcem veſtram, tanquam alieni in Domini meſſem mittatis; ita ſanè vel vobiſcum, vel ſine vobis, Dominum meſsis precamur, vt ipſe mittat operarios in meſſem ſuã, Matth.9. Cuius mandatum expectandum eſt atque vocatio, ne (de quo Iſaias conqueritur cap.24.) ſacerdos factus ſicut populus; vobis ipſis certo exitio, & populo veſtro cũ nullo cõmodo præeminere velitis. Vel ipſi ſaltem cõſideratis, opinor, quia legitimam ſucceſsionem, ordinis caracterem, & ſacerdotalem conſecrationem, vnctionemque non habetis; eo tandem deperire, vt veſtro ipſorum teſtimonio, verum ferè nullum Sacramentum reliquum inter vos habeatis: quod ſanè de Euchariſtia quidem, vel tuo ipſius teſtimonio, verum ac certum eſt, cùm nullam per veſtras in pane atque vino conuerſionem fieri aſſeritis. *Num.11.*

DE INTENTIONE.

IAm, quod eius, quoque qui actu Sacerdos eſt, mentis intentionẽ in ſacrificando requirere nos dicis; planè affirmamus, in-

tentionem Sacrificantis in mutatione panis & vini neceſſariò requiri; vt ſine qua etiam nulla fiat in propoſitis Creaturis ſacramentalis alteratio ſeu commutatio. Gentibus, ſine Chriſto hominibus ſapientibus ; mos fuit, vt non ſolùm aras cuiq; Idolo ſuas proprias nominatim inſciberent aſsignarentque, ſicut Paulus Epheſi quandam aram ignoto Deo inſcriptam inuenit, Actorum.17. verùm etiam cuiuſque phani in limine ſeu

HOC AGE fronte literis depingerent: *HOC AGE.* Commonefacientes per hoc introeuntes, vt ſenſus cogitationesque ab omnibus alijs occupationibus abſtractos, & liberos, diuinis ſolummodò rebus intenderent. Et no-

Hier 48 *2.Para.24* bis Propheta denunciat Hieremias, quod maledictus ſit, qui facit opus domini vel fraudulenter vel negligenter. Tum Leuitarum etiam in diuini cultus peractione negligentia ſeuerè arguitur. Denique Ezechias rex cum deſolationem terrę, tū populi Iſra-

1 *Timot.*4. *Philip.*2 ëlitici captiuitatem, Sacerdotum aſſcribit ſomnolentiæ, ad curam ſolicitudinemque eoſdē porrò cohortatos .2.paral.29. Paulus Timotheum hortatur, exuſcitet gratiam, quam habet. Et Philippenſes idem commonefacit, vt ſalutem ſuam cum timore & tremore operentur. Denique Eccleſiæ, Sardinia atque Laodicea reprehenduntur,

quòd

quòd nomen quidem ſibi vſurpent Zeli & vitæ, cùm verè ſint & tepidæ & mortuæ. Sed & in primitiua Eccleſia inuenti ſunt, qui ſe Baptiſmo noſtro initiari peterent; non, vt Chriſtiani fierent, ſed vt corporis infirmitates excuterent. Alij hoc idem initiationis ſacramentum atque Euchariſtiam conferre alijs ſtudebant, tam rerum linguæq́ue ignari, vt ne eſſentialia quidem vtriuſq́ue Sacramenti conferendi conſecrandiue verba ſatis intelligerent. His rebus poſtea eruditiores, & quidem cui Eccleſiæ res curæ erant moti, in Quæſtionem vocarunt, an Baptiſmum petens, non tamen animę ſed corporis ſalutem conſequendam intendẽs, verè baptizaretur: Tum etiam: an conſecrationis verba intelligens, tamen facere, quod alij Eccleſiæ nomine ſacerdotes faciunt in altari, intendens, verè conſecraret. *Quæſtio de Intentione unde nata.*
Eadem ratione quæſitum aliquando fuit de ſacrificantibus in altari, ſubita morte ſeu infirmitate correptis; de Paſtoribus ruri; de compotoribus; de Iudæis, de mente alienatis; de pueris qui factis parentes libenter ſequuntur; de Scholarum rectoribus, qui prælegunt, ac denique de Concionatoribus.
Sed & de ijs qui per iocum, aut luſum, vel cõtumeliã, vel docendi occaſionẽ, vel quãlibet

aliam cauſam, verbis eſſentialibus, ſeu formalibus horum Sacramentorum vti abutiuè comperti ſunt: an conferant conſecrētúe hæc Sacramenta; cùm id facere vel prorſus non intendant, vel non rectè intendant, vel etiam Deum hoc ipſo tentent: ſicut Iudæos ſæpenumerò factitaſſe conſtat. Auget verò hanc dubitationem Gloſa interlimearis ſuper illo Matth. 12. de arbore bona: quòd efficacia operis ab intētione eſt. Tantum enim quis facit, quantum intendit. Et Aug. ſuper 30. Pſal. dicit: Bonū opus intentio facit. Nota eſt apud Nicephorum hiſtoria de Athanaſio, magno illo Athleta Chriſti, qui nondum Ephebus, à pueris coëtaneis per luſum electus Epiſcopus, pueros baptizauit ad oram maris. Niceph. lib. 8. cap. 44. Vidit hoc Alexander Alexandrinæ vrbis Epiſcopus, atque adeò facti nouitate fuit commotus, vt conuocatis Coēpiſcopis, facto in medium propoſito, quid de eo ſentiendum eſſet Baptiſmo, valdè dubitauerit. Et (ne quid, Andrea, à tuis Calumnijs ſit liberum) piaculum erit tamen, ſi Eccleſia, per miniſtros, attentè ac religioſè in re maxima id fieri procurat, quod Chriſtus faciendum tanta maieſtate præcepit. Nouimus, quæ ſit facultas inſtitutionis Chriſti & verbi omnipotentiæ eius & vel hac ſolū cauſa, quia id nouimus, ſummam

Athanaſius nondum ephebus tamen Epiſcopus.

mam animi intentionem in miniſtro requirimus: vt miniſtri animus cũ Authoris mente conſentiat; omnem in diuinis mandatis leuitatem execrãtes, quoniam ſcriptum eſt, quod Spiritus ſanctus diſciplinæ refugit dolũ. *Sap. 1.* Et conuenit diuinę prouidentię, vt quod faciendũ ipſe præcepit, cum Religione quadam & attentione faciendum intelligamus; Maiorũ noſtrorũ inſiſtentes veſtigijs qui in miniſterio hoc intentionẽ dixerunt neceſſariam. Quoniã enim (vt Hugo de V. victore *Hugo.* dicit) Sacramenta eſſe ſuum à natura non habent, ſed ab Inſtitutione, & elementum Sacramentum non fit, niſi accedente verbo; oportet, vt in eo, qui profert verbum, ſit intentio id faciendi quod Chriſtus fecit, & faciendum Eccleſiæ facto demonſtrauit, præcipiens: Hoc facite. Aliud enim eſt panis, aliud vinum: & aliud eſt corpus CHRISTI, aliud ſanguis eius, donec id addatur illis, Vndè fiant Sacramentum; Sicut Aug. dicit: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramẽtum. Non dicit, quòd ſolum verbum accedat: Imò ne verbũ quidem eſt, niſi adſit intentio ad ſignificationẽ verbi. Mentis enim indicium eſt verbum. Quare quæ à dormientibus, ſine mentis intentione, audiuntur, verbi vim habere non putãtur. Abeſt enim à vocis ſtrepitu, quantumuis articulatæ, ra-

tio. Vt ergo omnes, qui prudenter agit, propter finem aliquem agit; ita in conſecratione cum mentis intentione agi neceſsum eſt; atque cum finis duplex ſit cuiuſque operis, perfectio ſcilicet operis, atque vtilitas iam perfecti, vel propria, vel aliena: primi finis, id eſt, tranſſubſtantiationis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, tanquam perfectionis operis intentionem, in conſecratione requirimus neceſsariam; non ita verò ſecundi finis, quam tamen & ipſam adeſſe congruum eſt. Denique cùm intentio, id eſt Voluntas humana, per rationem directa, ſit triplex; actualis, habitualis & virtualis (vtimur verbis non ſplendidis, ſed exactis) & in hominis poteſtate omninò poſitum nō ſit, vt ſemper in ipſam verborum eſsentialium ſignificationem præſentem intentionem habeat ac promptam; ſufficere tamen, ad conſecrationis perfectionem, habitualem cum virtuali dicimus; vt ſacrificaturus, ſi hoc propoſito, & hac mentis intentione ad altare acceſserit, vt id ipſum faciat, quod facit Eccleſia circa panem & vinum in altari; poſtea humanum quid paſſus (tamen iam in altari poſitus) alio rapiatur mente, cùm verba eſſentialia profert, ex primæ intentionis, quam habuit accedens ad altare, virtute & ſufficientia, actionis ſuæ finem primum

Voluntas triplex.

mum conſequitur, hoc eſt, ſi facit quod Eccleſia facit, conſecrat. Quam ob rem nihil agis cum libelli tui folio 6. pagina. 2. vis oportere, vt æternum Chriſtiani dubitent, habeant nec ne Sacramentum, ſcilicet, cum ipſis de Sacrificuli cogitationibus nihil conſtet. Non certè bonus eſt, mi Andrea, qui de bono malè præſumit, & vt 2. Metaphyſicorum dicitur, eſt indiſciplinati animi, maiorem certitudinem quærere in his, quę in pluribus fiunt, & impedimentum euidens non apparet.

Non eſt bonus, qui de bono malè præſumit.

Sed Maiorum noſtrorum de hac Intentionis neceſsitate teſtimonium audiamus. Hugo de Sancto Victore ait: Sacramenta DEI non ſic inſtituta ſunt, vt operandi nullam rationem admittant; aut tumultuoſa quadam, & violenta, atque irrationabili pertinacia, ſine omni intentione, aut voluntate, operantium procedant. Et longè ante eum Cyprianus Sanctus Martyr Sermone de Cæna Domini. Quotięſcunque, inquit, his verbis & hac fide actum eſt; panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit; ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandum infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.

Et in

Et in generali Florentina Synodo, vbi de vnione Iacobinorum & Armeniorum agitur, de ſeptem Sacramẽtis, ſic legimus. Hęc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia; verbis, tanquã forma; & perſona miniſtri conferentis hoc ſacramentũ, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Quorũ ſi quid deſit, non perficitur Sacramẽtum. Et in Trident. Concil. Seſſ. 5. titul. de Sacram. ca. 11. Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; Anathema ſit. Nec aberrat Thomas, qui vult, etiam nó rectè ſentientem de illo myſterio, poſſe intendere: non quidem illud conficere, (quod iã eſſet rectè credere:) ſed id agere, quod agitur ab alijs, dum illud conficitur; & ſic adhibetur, inquit, intentio. Et ſi dicatur, deeſſe intentionem conficiendi illud myſterium; tamẽ ex quo intendit ea dicere & agere, quę ab alijs aguntur, impletur myſterium. lib. 4. Sent. diſt. 13. Vide Algerum lib. 3. de veritate Euchariſtiæ. cap. 13. & Iacob. Lat. capite de Miſſa, circa finem. At, quid opus eſt veterũ teſtimonia proferre? Ipſe Dominus & Author huius myſterij palam, hanc ipſam, de qua loquimur, intentionem requirit: Hoc facite, inquit, in meam commemorationẽ.

Sacramenta omnia tribus perficiũtur.

Quod

Quod exponens Apoſtolus 1. Corinth. 11. Quotieſcunque, inquit, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis. An tu igitur, qui mortem do. non attentè apud ſe commemorat, eum in cæna quicquam rectè facere arbitraris, etiam ſi comedat & bibat? Non opiner. Et nos, quod mandato Domini Dei noſtri faciendum eſt in mortis commemorationẽ; etiam id, in quo iſta commemoratio facienda eſt, dignè, hoc eſt, ſanctè, religioſe atque intentè fieri volumus.

DE VERBIS ESSENTIALIBVS.

QVarto loco, etſi Inſtitutionis verba plurimum in Cæna valere, videatur concedere, magno tamen molimine Catholicos accuſat, triplicis quaſi perfidiæ in his verbis commiſſæ. Sciendũ enim eſt, inquit, fol. 3. pag. 2. Liturgum non vti verbis ijs, eo modo, quo Chriſtus. Aufert enim ab ijs, quod Chriſtus locutus eſt; & addit, quod ipſe locutus non eſt; quędam etiam verba peruertit, quod Euangeliſtæ nõ faciunt. Vt vbi Chriſtus dixit: hoc eſt corpus meum, illi addunt (enim) nempe ſic: Hoc eſt corpus meũ. Et quod ſequitur deinde: quod pro vobis tradetur, omittunt. Similiter, vbi Chriſtus dicit ad calicem in ſpecie: Accipite, & bibite *Verba Iacobi latine verſa.*

ex eo omnes : hoc etiam pani addunt: manducate ex eo omnes. Eodem modo alia multa antè & pòſt addunt, quę nec Chriſtus loquutus eſt, nec Euangeliſtæ aut Paulus deſcripſit. Hæc ille: Mox dira ex quarto libro Moſis minitatus, duabus obiectionibus occurrit, atque anteuertit: quarum altera eſt, quod nec Euangeliſtæ negotium hoc pariformiter conſcripſerint: altera, quod & ipſi Accuſatores in expoſitione eorundem verborum addant quędam, hoc eſt, contraria, quæ Chriſtus non ſit locutus &c.

In his omnibus quanta, Iacobe, & quàm manifeſta rixandi cauillandique tua apparet induſtria? Verum vt reſpondeamus tibi: Certiſsimũ eſt, ſicut in nihilo nihil ineſt, vt ſuapte natura fiat aliquid, id eſt panis & vinum: ita neq; in pane & vino aliquid ineſſe, vt per ſe ac naturaliter fiant aliud, id eſt, corpus & ſanguis CHRISTI: Itaque ſicut alio operante, ex nihilo factum eſt aliquid: ita neceſſe eſt, vt à mouente alio, ex eo, quod iam eſt aliud fiat, quod non eſt. Quam ob rẽ hic quæritur, quid ſit illud mouens, quo operante illud hoc fiat, id eſt, panis eſt vinum fiant corpus & ſanguis CHRISTI. Plana eſt reſponſio: Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus corũ.

Quæ efficiens cauſa ſit in tranſubſtãtiatione: Chriſti uerbum & uirtus.

Quoniam

Quoniam enim dixit,factaſunt;& quoniam mandauit,,creata ſunt.Pſal.32.Ita & hîc omni modo. Verbum enim increatum,Chriſtus Ieſus, verbo creato ſuo virtutem indidit,panem & vinum, quæ iam ſunt, & in altari propoſita ſunt, in corpus & ſanguinem conuertendi. Sicut enim in omnibus operibus naturalibus intimè operantem dicimus increatam virtutem,& nihilominus virtuti tamen atque actioni naturæ productio rerum ineſſe tribuitur:ita etiam hic in his ſupernaturalibus, licet virtus Creaturæ data ſit operatiua ad illorum productionem in eſſe; tamen productio huiuſmodi prius ac principalius increatæ virtuti operanti fertur accepta: hoc eſt,licet verbo Chriſti tranſſubſtantiandi virtutem inditam eſſe dicamus, quæ propterea in conſecratione adhibentur, & per liturgum in perſona Chriſti non recitatiuè ſed ſignificatiuè proferuntur: CHRISTVM tamen ipſum inuiſibiliter operantem atque myſteria efficientem dicimus: vt verbis à verbo, non verbo à verbis, id quod fit, tribuatur,& ſit ipſe CHRISTVS & victima quæ offertur; & tamen Sacerdos maneat in æternum.Et hæc eſt ſententia patrum veriſsima.

Naturaliū cauſa efficiens.

Vnde cùm de efficiente huius myſterij loquuntur, plerunque verbis eſsentialibus:

hoc

hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus: addunt operatricem vim diuinitatis in Chriſto, in ſpiritu ſancto. Sic ſanctus Iacobus Apoſtolus in Liturgia ſua (cuius ſexta Synodus generalis Canon. 32. meminit) loquutus eſt, orans: Rogamus te, Domine, vt Spiritus tuus ſanctus adueniens, ſancta bona atq; glorioſa eius præſentia ſanctificet, & faciat quidem panem hunc, corpus ſanctum Chriſti tui, & calicem hunc, pretioſum ſanguinem Chriſti tui: Et Clemēs in ſua liturgia (cuius Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus & Nicolaus Methonenſis Epiſcopus cū Marco Epheſino Epiſcopo meminerunt) Rogamus te, vt clementer inſpicias hęc propoſita coram te munera, tu nullius indigens Deus; & in eis benè complaceas ad honorē Chriſti tui, & mittas Spiritum ſanctum tuū, teſtem paſsionis Do. noſtri Ieſu Chriſti ſuper hoc ſacrificio, qui hunc panem corpus Chriſti, & hunc calicem, ſanguinem Chriſti tui faciat. Et Baſilius. Attende, Domine Ieſu Chriſte, Deus noſter, de ſancto tabernaculo tuo, & de throno glorię regni tui; & veni ad nos ſanctificandos, qui ſupra cum patre ſedes, & hîc inuiſibiliter verſaris; & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & precioſum ſanguinem, & per nos populo: Fac panem quidem iſtum

Liturgia Iacobi Apoſtoli.

Liturgia Clementis.

Liturgia Baſilij.

iſtum, ipſum honorificum corpus Domini Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti: quod autem in calice eſt iſto, ipſum ſanguinem Domini Dei Ieſu Chriſti, qui effuſus eſt pro mundi vita. Et D. Cyprianus (quem locum etiam paulò antè citaui) Quotieſcunq;, inquit, his verbis & hac fide actum eſt; panis iſte ſubſtãtialis & calix benedictione ſolen ni ſacratus, &c. Et Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 5. Vis ſcire, inquit, quia verbis cæleſtibus conſecratur? Accipe, quæ ſunt verba. Dicit ſacerdos. Fac nobis, inquit, hanc oblationem, aſſcriptam, rationabilem, acceptabilem: Quia pridie, quàm pateretur, in ſanctis manibus ſuis accepit panem, reſpexit ad cęlum ad te, Sancte pater omnipotens ęterne Deus: gratias agens, benedixit, fregit, fractumq́ue Apoſtolis ſuis tradidit, dicens; Accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc enim eſt corpus meum, quod pro multis cõ fringetur. Similiter & calicem. &c. D. Chryſoſtomus de proditione Iudæ: Et nunc ille præſto eſt, Chriſtus, qui illam ornauit menſam; ipſe iſtam quoq; conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſę domini; corpus Chriſti facit & ſangui nè, ſed ille, qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuutur, & Dei virtute conſecrantur, & gratia. Et mox;

Cyprianus. *Ambroſius.* *Chryſoſtomus.*

Nihil habet iſta, quam illa, minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines: ſed CHRISTVS, qui illam ante ſacrauerat Quemadmodum enim verba, quæ locutus eſt CHRISTVS, eadem ſunt, quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant: ita & oblatio eadem eſt. Et hoc igitur CHRISTI corpus & illud eſt: qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Chriſtum eſſe, qui nunc etiam adeſt atque operatur. Et Euſebius Emiſenus Epiſcopus, in decret. de Conſ. diſt. 2: Nam, inquit, inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbi ſui ſecreta poteſtate, conuertit; ita dicens: Accipite, & edite, hoc eſt enim corpus meum. Accipite, inquit, & bibite, hic eſt, ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis, vbi præcipit virtus, ſeruit effectus.

Euſebius Emiſe.

Vides, quomodo coniungant & verba & CHRISTVM & ſpiritum ſanctum? neq; ſane tu ipſe virtutem hanc verbis CHRISTI denegabis. Qua enim alia poteſtate tui aliquando, in veſtra Cœna CHRISTVM Dei filium, quem oportet cœlum ſuſcipere vſq; in tempora reſtitutionis omnium,

nium, Heb..12.à. dextris Dei, vbi ſedet Act. 3. etiam ſecundum carnis aſſumptæ ſubſtantiam deductis, atque, in omnes haſce inferiores partes ſuperinducentes diuiditis; vt ſit vbique?

Verum non omnibus verbis hanc virtutem ſecretiorem ineſſe dicimus. Sunt enim Cænæ verba: alia pręparatoria, vt cum Euangeliſtæ recitant: Cænantibus eis IESVM accepiſſe panem, gratias egiſſe, fregiſſe, dediſſe: & de calice ſimiliter multa: alia eſſentialia, quibus virtutem tribuimus, vt, quod dixit: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus: Alia declaratoria præcedentium; vt, quod pro vobis tradetur, qui pro multis effundetur; alia denique mandati vim de vſu Cænæ habentia, vt; Manducate, bibite, hoc facite. In his ergo verbis quęreris, ſacerdotem afferre, quę CHRISTVS ſit locutus. Et quæ ſunt illa? Quod pro vobis tradetur, inquis. Magnum ſanè piaculum, & vix fortè ipſa morte, qua de loquimur, expiandum. Sed bene res habet, quia Mathęum, Marcum, & Iohannem Eccleſia delicti huius tam grandis habet conſortes. An verò tu ignoras, ita peragendam eſſe mortis CHRISTI commemorationem, vt tamen Apoſtolicæ doctrinę non præiudicetur Authoritati? Dicétne Sa-

Verba ſubſtantialia quæ.

Quod pro vobis tradetur ablatum.

cerdos,quod dicendum vetuit Apoſtolus? Chriſtus, inquit Paulus, reſurgens ex mortuis,iã non moritur, mors illi vltrà nõ dominabitur. Qua fronte ergo Sacerdos de Chriſti glorificato ac immortali corpore dicet, quod pro vobis tradetur; cùm ille iam non moritur,qui nunquam traditur,niſi vt moriatur;atque vt moreretur, traditus eſt ſemel? Abſit enim,ideo vt in ara corpus Chriſti eſſe dicamus, vt iterum atque iterum moriatur; quod ideo adeſt conſecratum,vt manducetur ſemel oblatum. Atque ideo quod tu ſecundo loco quereris, cùm liturgus non dicit; quod pro vobis tradetur; dicit tamen, manducate ex eo omnes. Nam cùm Chriſtus cænam inſtitueret primùm, illo tempore vtrunque in hoc corpore futurum erat;vt & traderetur manducatum, & mãducaretur traditum;Iam verò ſemel traditum, nunquã amplius tradendum, quotidie proponitur manducandũ. Si peccatum in hoc eſt,quod hæc verba Sacerdos non dicit;Quod pro vobis tradetur;qua ratione peccato eximes? qui ex circumciſione Credentes,ſecundum Matthęi Euangelium,ſacrificauerunt:atque ideo,quæ in Matthæo non legerunt, nec ipſi quidem in ſacrificio adhibere potuerunt, niſi fortè ab Apoſtolis edocti verbo, ſine ſcripto verbo Dei ſacrificaſſe eos,mihi conceſſe-

ceſſeris. De quo poſtea. Itaque quod omiſſa iſthæc verba attinet; aut noſtros Sacrificos excuſatos habe Cenſor; aut vnà cum illis etiam ex circumciſione fideles condemna. Secundo loco vociferaris querulus, nos addere in eſſentialibus dictionem *ENIM*; hoc eſt enim corpus meum, quam vocem Chriſtus nõ addiderit, ſeu non locutus ſit. Papæ, Tamne præſens venenum atque peſtiferum in tam parua dictione, vt non niſi cum magno periculo mortis in Cæna vitæ proferri poſsit atque audiri? Sed tolle metum; Ipſa vita ipſam locutus eſt; non erit cuiquã ad mortem. Caro *ENIM* mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Ioan. 6. Et quid refert, vbi dixerit, cùm certò conſtet, quod tamen dixerit, idque de hoc ipſo cibo ac potu loquens. Sed ais; Etiam alia verba additis. Manducate ex hoc omnes. Audio. Sed tu viciſsim audi, quęſo. Matthæus teſtatur, quod Dominus ipſemet dixerit; mãducate. Quid ergo reprehendis; Sed non dixit; ex eo omnes. Tamen Lucas teſtatur dixiſſe dominũ; Diuidite inter vos. Quę hîc differentia, maximè in ſenſu, eſt? Diuidere inter omnes, & manducare ex eo omnes? Sed inſanis, opinor, furijs agitatus. Reprehendis in noſtris, quod ipſe facis atque dicis. Reuoca enim in mentem, quid libelli tui fol. 43. pag 1. ſcri-

Enim, additum.

Ex eo omnes, additũ:

 pſeris;

pſeris: Eſſe nimirum inuerſionem ſacrę cœnæ Chriſti quòd ſacerdos tantum ſolus manducat, cum CHRISTVS tamen præceperit, vt *OMNES* manducent ex eo: cum qua peruerſitate Chriſtus eſſe non poſsit. Hęc tu ipſe: ac miror ſanè te, vel tam obliuioſum, vel tam certè malicioſum eſſe. Verum dabis veniam, ſi dicamus nos, quod etiam Ambroſij temporibus in Sacrificio dictum fuiſſe conſtat ſicut paulo ante ex lib. 4. de Sacram ca. 5. recitatum eſt. Neque ideo tamen corpus CHRISRI verum in altari non eſt, quod hæc non adduntur; cum addita nihil efficiant; vt impertinentia verò ſuppreſſa ſilentio, nihil à veritate imminuant. Non enim in hac additione virtus illa conuerſionis, quam diximus, conſiſtit; ſicut nec in alijs mnltis; ſed in quatuor illis: Hoc eſt corpus meum quibus ſolis ad conuerſionem; vtuntur in ſuis ſacrificijs Græci.

Hæc tibi pro iuſta reſponſione & calumniarum tuarum huius articuli refutatione ſufficere debebant. Verum quod ad has poſtremas tuas nugas de Conſecrationis verbis attinet, alia via tecum agere poſsem. Notum eſt, Apoſtolos mox ab Aſcenſione Domini ſacrificaſſe; ſicut non ſolum ex lyturgijs ipſorum, verum, etiam ex Actorum lib. cap. 13. palam eſt. Cum ergo iſto tempore nec-

re necdum vllus Euangeliſtarum Cęnam domini conſcripſerat (Mattheus enim anno ab Aſcenſione decimo quinto, Iohannes poſtremus poſtea an. 36. atq; interhos ambos interiecti, Marcus & Lucas, ſcripſerunt teſte Niceph. lib. 2. ca. 45.) quęritur, cuiuſmodi in ſua Liturgia verbis vſi ſint Apoſtoli, ſimul atque alij ex circumciſione fideles: Ex ſcripturis ne Apoſtolicis atque propheticis deſumptis, an verò ſine ſcripto, ſaltem ex prædicatione diuini verbi? Si ex ſcripturis; oſtende quibus, & quo authore in Eccleſia receptis: neque enim Apoſtolorum tunc extiterunt Scripta. Si ſine ſcripto verbo; ergo aliquis in Eccleſia Dei cultus fuit ſine verbo Dei. Quęritur deinde etiam, cum conſtet Liturgiæ primæ Apoſtolicæ verba non ex ſcripto Euangelio, quod nondũ extabat, eſſe deſumpta; an forte Euãgelij verba de hac ipſa Cęna ex Apoſtolica Liturgia mutuata ſint. Sanè in his omnibus neceſſe erit, vt mihi concedas, hæc noſtræ, hoc eſt, Chriſtianę, præſentis temporis, Lyturgiæ verba, quibus ad panis viniq; cõuerſionẽ vtimur, aut ea ipſa eſſe, quibus, Apoſtoli initio Chriſtianę religionis ſunt vſi; aut vnde, ac per quẽ, eadem in noſtram Lyturgiam quocunq; modo trãſlata ſint atq; recepta edoceas. Quorum poſtremum cum præſtate nequas, te quantum-

Mattheus quo tempore Euangeliũ ſcripſerit.

uis relatrante, noſtra ita vt ab Apoſtolis tradita acceptaque creduntur; in Chriſtiani orbis officio immutata atque illibata conſeruabimus; nec minorem quàm ipſis Euangeliſtarum ſcriptis authoritatem deferri debere exiſtimamus, quandoquidẽ Eccleſię Authoritas, qua ſola Apoſtolica ſcripta authoritatem ſuam ſortiuntur, vt vera fideque digna factorum dictorumq; Chriſti teſtimonia, etiam hæc Liturgię verba approbat, atq; approbatis vſa fuit hactenus.

Ac ſi concertandum, maledictaque falſis vera liberet opponere; poſſemus ſanè; haud magno periculo ſeu labore, veſtra vobis ita patefacere vulnera, atque dilacerata Mundo exponere, vt ſanandis ijs omnes deſperare cogeremini. Quis enim peruertit Dei verbum, quis auffert ab eo, & quis ſupponit, vt dignus maledictione tua proclametur? Scribit Paulus Rom 13. de Magiſtatu; Dei miniſter eſt, tibi in bonum; Totum hoc veſtri ſuſtulerunt, & ruſticorum hoc ipſo phalanges anno. 25. in omnem ſuperiorem poteſtatem armarunt. Scribit idem Apoſtolus eadẽ Epiſtola. cap. 3. Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, ſine operibus Legis; veſtri, (in quem iam vita defunctũ inſaniem) de ſuo, nõ de Ieſu ſpiritu, appoſuerunt, ſolam, ſcilicet, vt per ſolam fidem iuſtificari homines perſu-

Scripturas ſacras deprauant Schiſmatici.

perſuaſi,in omne flagitijgenus ruant.Atque ſimilium,quæ veſtris ſtudijs peruerſa atque inuerſa in ſcripturis ſunt, infinitus prope numerus eſt. Vis ſuper his audire maledicti onem ex alia Scriptura? Si quis, inquit Ioannes Apocal. vltimo appoſuerit ad hæc; apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro hoc, Si quis diminuerit de verbis libri Prohpetiæ huius:auferet Deus partem eius de libro vitæ,& de ciuitate ſancta,& de ijs quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

Sufficiant hęc,ad demonſtrandum in hoc Articulo,panem & vinum,Chriſti verbis,in altari,ſacerdotis miniſterio,in corpus & ſanguinem Chriſti Domini Dei noſtri conuerti, ſpiritu ſancto Chriſti, & verbo eius ſanctificante: Nec ſolidi quicquam ab Accuſatore contra hanc totius Chriſtiani orbis fidem confeſsionemq́ue adferri.Iam tempus eſt, vt ad tertium quoque Articulum tranſeamus.

DE ADORATIONE EVCHARISTIAE ARTICVlus tertius.

IAm hoc tertio Articulo tertiã Faber quęrit anſam, qua à Myſterij SS. peractione errantes amplius ac longius abſtrahat, à luce in

denſiores tenebras ſeducat, à vita ſubreptos mortis æternæ obnoxios teddat. Nimirum cùm panis & vinum in altari adorantur, ait, & latria (quę ipſi idololatria eſt) honorātur: nemo illic niſi cum inpietate pręſens adeſſe, eaque, dum ſic fiunt, aſpicere poteſt. Cū autem altero præcedente Articulo demonſtratum ſit, panem & vinum nō manere poſt conſecrationem in ſua priori ſubſtantia, ſed in ipſum corpus ac ſanguinem Chriſti tranſumi, tranſmutarique, ita, vt quæ fuerant panis & vinum, ſint corpus & ſanguis Chriſti, quod ſemel in cruce traditum, quique ſemel in eadem effuſus eſt, (id quod Chriſti ſermo enunciatiuus: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: deinde eorū, qui Chriſti Apoſtolorumue mandatu, Eccleſiæ adminiſtrationi vſque ad hæc noſtra tempora legitimè præfuêre teſtimonium ſcriptum: denique etiam omnium Chriſtianorū fides atque confeſſio vnanimiter vnoque quaſi ore conſtanter ac manifeſtè approbant) paucis ſanè hîc reſpondere ad obiecta poſſē: quod ſcilicet nunquam apud Chriſtianos Catholicos panis vel vini creaturarum adoratio in vſu fuerit, nec poſſe accuſatorem, quam fingit calumniam, vnquam legitimis probare teſtimonijs: Quam obrem fundamentum tertij ſui Articuli nullum eſſe, quo nefanda audacia

Fundamentum huius tertij Articuli.

audacia ipſam pietatem idolatriæ accuſare, ac à myſterio deterrens, ex pijs impios reddere impotenter connititur.

Verum inſipientium pariter ac prudentium debitor, pietatis vtilitatisque communis ſtudio, quæ Faber proponit, aliquanto altius repetenda, atq; diligentius examinanda ſunt. Neq; enim parũ eſt, omnes omnium temporũ atq; locorũ pios Chriſtianos idololatrię calumnia tàm iniurioſè grauari: idque à Chriſtiano. Summa vero quęſtionis eſt: vult ille nos panem & vinum adorare, atque hoc ipſo in idololatriæ crimen impingere. Quanquam vero ordinario atque iuridico proceſsu Accuſatoris fuerat, accuſationem ſuam teſtimonijs probatam reddere: Reſpõdemus tamen ad caput accuſationis. Idolatræ ſunt omnes, quicunque panem & vinum creaturas adorant: Sed nullus Chriſtianus eadẽ adorat. Iniq; ergo Idololatriæ ſuſpicione grauantur. Adorant vero Chriſtiani ea que Chriſtus in Cæna porrexit duodecim: Non panem aut vinum communem cibum mortalium porrexit. (ſi enim panem & vinum dediſſet, eius certè facti teſtimonium haberemus: ſed tale teſtimonium nullum extat: Imô neque quod cum pane vel cum vino corpus ſuum ac ſanguinem pariter dederit; quanquam panem & calicem prius in manus

Magnitudo calumniæ.

Reſponſio. I.

II.

manus acceperit) Nullum ergo panem aut
IIII. vinum Chriſtiani adorant. Sed quæ Chriſtus in cæna porrexit Apoſtolis, eadem ipſa in miſſa adorantur: Porrexit corpus & ſanguinem ſuum (hoc manifeſtum eſt ex verbis Chriſti dicentis: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum: Et ſi pręter corpus & ſanguinem ſuum aliud quidpiam dediſſet, fallerent nos verba dantis, quæ teſtantur de datis, quod ſint corpus Chriſti & ſanguis) corpus igitur & ſanguis Chriſti in
V. Miſſa adorantur. Quæ ſacrarum literarum exemplis piè ac religioſe aliquando nouæ legis tempore facta eſſe edoceri poſſunt, eadem nos quoque piè ac religioſe imitari poſſumus: Adoratio corporis & ſanguinis Chriſti exempla habet in ſacris literis (Adorarunt enim Magi in præſepi & gremio matris vagientem. Mat.2. ſicut pſalmus, 71. longe ante futurum prædixerat: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabũt eum omnes reges terræ adorauerunt qui in naui erant miracula facientem, Mat.14. Adorauerunt Apoſtoli aſcendentem, Mat.28. Luc. 24. Nec poteſt ſecundum ſolam diuinam naturam adorari verbum caro factum, Ioan.1.)
corpus

corpus igitur ac ſanguiné Chriſti piè ac religioſe adorare etiamnum poſſumus. Quæ VI.
expreſſo Dei mandato facienda prçcipiuntur, ſine peccato prætermitti non poſſunt.
Expreſsum eſt mandatũ Dei de adorando Chriſti corpore & ſanguine, Heb.1. Pſal.98. VII.
Itaque non adorando peccamus. Quæ denique mandato Dei piè ac religioſe fiunt, impiè atque iniquè reprehenduntur. Adoratio ex mandato Dei cum pietate ac religione fit; Impiè ergo reprehenditur. Quod pietas mandato Dei confirmata religioſe exequitur, ab eo mens Chriſtiana Calumniatorum falſiloquẽtia deterreri non debet. Adoratione m pietas religioſe exequitur: Valeat ergo Fabri calumniatoris falſiloquentia. De his omnibus aliquanto fuſiùs atque dilucidiùs dicendum nunc porrò eſt. Multi paſsim multa hac noſtra ætate de adoratione ſcribunt ac etiam vociferantur, ſi tamen quæras, quid ſit adorare, plerique tam ignari rei ſimul atque facti ſunt, ac ſi nunquã ipſam adorationis vocem audiuiſſent. Quare cum Faber tam multa ea de re ingeminat, eius primum mihi facienda eſt mentio, vt quid ſit adorare intelligentes, adorando cõſcientias ſuas noſtri communire, & dolos fabricantium technaſque facilius minoreque periculo perſpicere queant, & euitare.

Quem-

Iuſticiæ officium. Quemadmodum enim ſuum cuique dare iuſticiæ eſt officium proprium, ita adorare (quod ex fide proficiſcitur ac de quo hic loquimur) eſt Deo quod ſuum eſt reddere. *Adorare quid.* Nam vt Iuſticia dictat inter homines, quis, cui, quid, quare, & quantum debeatur, ita & fides docet qui nos ſimus, quis DEVS, & huic quid quantumque debeamus. *Quid homo.* *Quis Deus.* Qui ergo nos ſimus teſtatur Iſaias capite.31. AEgyptus homo & non DEVS, quod ipſum de omnibus nobis accipiendum eſt. Quis vero ſit DEVS, nullus homo mente poteſt perſpicere, intellectuue comprehendere, multoq; minus verbis efferre. Imô quanto magis ſublime illud Maieſtatis arcanum inueſtigare conatus fueris, tanto amplius etiam repelleris, ſicut ſcriptum eſt Pſalmo 63. Aſcendit homo ad cor altum & exaltabitur DEVS. Et Prouerbiorum.25. Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Niſi forte ab effectibus illi nomina velimus tribuere, vt quod ſit omnipotens, æternus, bonus, iuſtus, ſapiens. &c. Facilius vero eſt, quid nõ ſit agnoſcere: vt ſi quis interrogat an deus ſit terra, an cælum, an aer an aqua, an ignis, aut aliquid ex his compactum: rectè à vobis reſpondetur: quod horum nihil ſit DEVS. Docet autem fides Chriſtiana, quod ſit Deus ſummum bonum, ſummaq; bonitas,

bonitas, cui ſeſe homo comparans quantus quantus, eſt, ſtatim tantum Dei præ omnibus alijs rebus præſtantiam ſupereminentiamq; eſſe intelligit, vt omnium etiam ipſius hominis origo atq; cauſa merito cenſeri debeat, ac quod ſine Deo ipſe homo nihil ſit. Cum enim de Dei honoratione cuius ſpecies eſt adoratio ſermo habetur non hoc ſolum quęritur quis ſit Deus verumetiam quā ob cauſam adorandus ſit. De qua re dicemus poſtea copioſius. Itaq; cū ipſa Natura doceat ſummū bonum, ſeu ſummam bonitatē honorandam eſſe, amplius ſeſe humana Mens cōſideratione extendit, atq; exercet, vt hoc etiam intelligat, quibus rebus ſummū illud bonum quod iam agnouit honorari poſsit, ſeu quis ſit ille honor ac cultus quem DEO debeat. Et ecce mirabilia Dei ſuper nos magnificata ſunt nimis. Inuenit enim homo in ſe accepta ab ipſo Deo data quędam fidem dico ſpem Charitatem quæ DEI munificētiſsimi dona ſunt eximia & ab ipſo hnmanæ menti tanquam rationali creaturæ & horum munerum capaci infunduntur, & his ijſdē honorandum à nobis eſſe DEVM Sacræ Scripturæ docent. De fide enim Apoſtolus loquens ſine fide inquit, impoſsibile eſt placere Deo. Et: accedentem ad Deū oportet credere. Heb. 11. Et de ſpe quoq; alius Apoſto-

Adoratiō Species honorationis.

Cultus ſummi boni naturalis.

Quibus rebus colendus ſit Deus.

Fides.

Spes.

Charitate Dei Tribulatio an anguſtia, an periculum, & cęt. 2. Timoth. 3. &. 2. Theſſ. 3. Exempla huius 2. Corinth. 12. Paulus, Tob. 2 Omnes Prophetæ atque ſancti ab Abel iuſto vſque ad hanc diem. Matth. 23. Hæc ita Deo ſunt propria, vt nulli pręterea Creaturę poſſunt attribui. loquimur autē hic de adoratione Dei, quę eſt proprie debitur deo cultus, in quo homo corde humili, verbis, ac habitu ad cōmunem rē apto agnoſcit cōfitetur que Deum eſſe ſummum bonum, omniaq; alia ab ipſo habere originem vitam & omnia: Ideoque colendum eſſe ante omnia, & maximè. Etſi enim vox illa adorationis communis eſt multis, tamē in Deo peculiari modo conſideratur, vt in quo ſuprema ratio maieſtatis atque dominij conſiſtit. Cum enim honor ſit quaſi merces ſupereminentis dignitatis, ſecundum modum dignitatis erit etiam menſura honoris. Atque ideo cùm inter Creaturas ſint gradus quidam dignitatis, veteres etiam honoris gradus poſuerūt, vt Deo quidem tanquam fonti ac largitori omnis boni &c. ſupremus honoris gradus; præſtantibus deinde creaturis ſecundus; atque in genere demū omnibus inferior gradus tribuatur, Apoſtolo Rom. 12. dicente: Honore inuicem pręuenientes. Ac ſupremū quidem latriam, ſecundum hyperduliam:

Deo proprius cultus.

Honor merces dignitatis.

Honoris gradus.

Latria.

tertium duliam dixerunt. Latriam Deo, hyperduliam carni Christi cogitatione (ſi poteſt) à verbo ſeparatæ ac virgini matri, duliàm hominibus virtute aliqua præſtantibus attribuerunt. Itaque ſicut magnopere cauendum eſt, ne honos atque ſeruitus quam Deo debemus, alicui Creaturæ puræ attribuamus, dicente Domino: Exodi 20.

Hyperdulia. *Dulia.*

Non habebis Deos alienos coram me: ita ſanè nulla prætendenda excuſatio, ſi hunc ipſum honorem atque ſeruitutem Deo negauerimus. Etſi enim ad pręſtãdam in re aliqua mandata Dei obedientiam, nonnunquam impediamur, tamen huius honoris, hoc eſt, adorationis intermiſſæ nulla ſupereſt excuſatio; cum vbiq; locorum atq; in omni tempore adorandus ſit: Id quod non ſolum ſcripta, ſed naturalis Lex à nobis efflagitat. Itaque ex his planum eſt quid ſit adorare, quis adorandus, quibus, & per quem.

Cur Deus colendus,

Quam obrem vero ac cur deo ab homine hic cultus debeatur, nõ eſt certè apud omnes eadem opinio. Vulgus enim hominum Deo cultum arbitratur metiendum eſſe ſecundum modum benefactorum dei, vt qualis erga nos ſit Deus largiendo benefaciendoq;, in miniſtrandis cibo ac potu, reliquiſque huius vitæ neceſsarijs, tales & nos erga ipſum colendo honorandoque ſimus. Sicut

Iacob votũ.

Iacob

Iacob votum vouit Deo ſuo, dicẽs. Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſpere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. Exod. 28. In quã ſententiam & Iobij vxor loquitur Iob. 2. Verum proprie ac maximè Deo debetur adorationis cultus ab homine, quia ipſe Deus, ac ſummũ bonum eſt: etiamſi nulli mortalium vnquam benefeciſſet, nullum cœlum nullã terrã creaſset, nullo gratię dono hominẽ prępueniſſet ſubſecutuſque fuiſſet. Quemadmodũ pręſtans virtute quiſpiã vel ad ſolũ Cęſaris aut Regis nomen honoris ergo vel caput nudat, vel aſſurgit, vel genua flectit, aut aliud tale quidpiam facit, non quod donis ac muneribus Imperialibus aliquando dotatus, aut earum expectatione teneatur ſed ſolum quia Cęſar aut Rex ille ſit. ſicut etiam in Lege naturę homines Deum adorarunt, illique ſacrificauerunt, etiamſi nullo eius faciendi mandato aſtringerentur, nec aliqua Scriptura edocti eſſent à Deo hunc mundum creatum aut gubernari, aut ab ipſo hominum neceſsitatibus prouideri: Sed ſolo naturæ inſtinctu incitabantur ad colendum adorandumque Deũ, ideo tantum, quod Deus eſſet.

Exemplum.

Lex naturæ docet adorandum Deum eo quod ſit ſumi Bo.

ARTICVLVS III. DE ADORATIONE CHRISTI.

Chriſtus quomodo adorandus.

EX his duæ oriuntur Quæſtionis. Cùm enim apud Chriſtianos non ſit dubium eſſe adorandum Chriſtum ſeruatorem noſtrú vt verbum increatum Dei ac filium; non ſine cauſa quæritur, an idem vt ſeruator quoque adorãdus ſit, aut an hic adorationis cultus maior illi exhibendus ſit reſpectu reparationis noſtrę, quam aliâs Deo creatori & non reparatori: Altera quęſtio eſt, qua cùm in humana natura ſua (quæ ex Creaturis aſſumpta eſt) reparator noſter ſit, an ſecundú hanc reparantem naturam quoque, an vero reſpectu ſolius diuinitatis adorandus ſit.

Chriſtus ſecundum quã naturam adorandus.

Sed conſiderandum eſt, quia Chriſtus vti filius cum patre & ſpiritu ſancto adoratur (vtique trinus vnuſque Deus) ſitque adorare idem quod ſupremum cultum Deo impendere; non poſſe Chriſto maiorem hoc ipſo exhiberi honorem, tanquam Reparatori. Si enim ob reparationem maior illi cultus deberetur, qui propriè diuinitatis cauſa illi antea non fuiſſet redditus, ſequeretur Deum ſiue ipſam diuinitatem à vobis minorem iu dicari quam cui ſupremus cultus debeatur: nec vnquam illi antea ſupremum cultum fuiſſe exhibitum; cum Chriſto Reparatori maior tandem poſſet exhiberi. Et quanquam

repa-

raparationis noſtræ munus ingens diuinæ benignitatis opus ſit,& fortaſſe ipſi Creationi pręſtet reparatio,tamen vtraque tam reparatio quam Creatio opera ſunt totius Sacro ſanctæ Triadis.Neq; enim ſolus reparauit filius,verũ etiam & pater,& Spiritus ſanctus;vbi pater mittit,filius mittitur ad reparandum,& Spiritus S. mittitur proceditque ad illuminandũ reparatos.Et reparauit ſancta Trinitas non excellẽtioris honoris ergo (neque enim bonorum noſtorum indiget Pſal.15.)ſed propter ſe ipſum ac propter nomen ſuum.Sicut in Iſaia cap.43. teſtatur, dicens: Ego ſum ego ſum ipſe,qui deleo iniquitates tuas propter me,& peccatorum tuorum non recordabor. Eiuſdẽ generis ſunt & alia diuinæ maieſtatis bonitatisque opera,certis quibuſdam nationibus regionibus regniſq; populis atq; perſonis peculiari modo exhibita, ceu teſtimonia quædam,quod Deus ſit Dominus vniuerſorũ,hoc eſt ſummum bonum.Vos teſtes mei,inquit eodem Iſaiæ loco,& ſeruus meus quem elegi:vt ſciatis & credatis mihi & intelligatis quia ego ipſe ſum,ante me non eſt formatus Deus,& poſt me non erit.Ego ego ſum Dominus,& abſque me non eſt ſaluator: Ego annunciaui,ego ſaluaui,auditum feci.

Trinitatis opera inſepa rabilia,

Simili ratione ad alteram quęſtionem re-

 ſpon-

ſponderi poteſt. Etſi enim caro hominis CHRISTI per ſeſe magno honore digna ſit, mereaturque hyperduliæ honoré, quod ex virgine ſumpta, ab reliquorum hominum maſſa ſeparata, atque ex voluntate eius cuius propria eſt caro, non neceſsitate, aut merito ſuo, pœnam mortis ſuſtinuit: tamen quia verbum caro factum eſt, indiſsolubili atque inenarrabili modo ſibi vnitam habens, ita, vt ſicut, ſupra dictum eſt, humana caro & verbum vnam perſonam conſtituant, ſintq; coniuncta vnus Chriſtus ſicut anima rationalis & caro vnus eſt Chriſtus: non poteſt caro à verbo verbique honore ſeparari, ſed totus vnus Chriſtus adoratur coliturque, vt Deus: non quod carnem hoc honore diuino dignam cenſeamus ſed quod verbi propria facta ſit caro Dei hominiſque filij, Domini noſtri IESV CHRISTI.

Caro Chriſti uti uerbi inſeparabiliter unita adoratur latria.

Sicut pietate virtutibuſque præſtantem aliquem virum honoramus, non animam ſolã reſpicientes in qua ſunt hæ dotes, ſed totum hominem. Timeo carbonem ignitum manu attingere tractareue nõ quia carbo, ſed quia ignitus eſt, Sic & Chriſti carnem admirantes honoramus adoramuſque, nõ quia caro, ſed quia filij Dei caro eſt, atque ideo deificata. Et quãquam beatos dicimus, quorum oculi dominum in carne hic prẹſentem viderunt

Simile.

Luc.10.

Luc.10.(ſicut de Apoſtolis ſcriptũ legimus, quod gauiſi ſint viſo domino.Ioã.20. Et de Magis ex aſpectu ſtellæ eius gauiſis,Matt.2) ipſique adeo nobis optamus in eandem ſpeculationem admitti, vbi is videtur mundo corde Mat.5.in quem ipſi etiam angeli proſpicere deſiderant,1.Pet.1. tamen terminum cultus noſtri adorationiſque non carnem CHRISTI propriè,ſed per carnem ipſum Dei verbum conſtituimus.Sicut etiam Apoſtolus huius cultus normam præſcribere videtur:2.Corint.5.cum ait:Etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum : ſed nunc iam non cognouimus.Et Iohan.1. de verbo vitæ loquens: Annunciamus,inquit, vobis vitam æternam,quę erat apud patrem, & apparuit nobis,quod (verbum ſcilicet vitæ) vidimus oculis noſtris,quod perſpeximus & audiuinus,& manus hæ contrectauerunt,annunciamus vobis.Vbi ita de carne Chriſti loquuntur,vt deificata intelligatur;ita contrà etiam de diuinitate eius ſcribunt,vt propria carne amicta videatur. In quam ſententiam veteres etiam ſcripſerunt& docuerũt,inter quos Damaſcenus lib.4.de fide Orthodoxa,cap, 13.Caro Chriſti inquit ſecundũ ſuam naturã (ſi ſubtilibus cogitationibus quę videntur ab ijs quod non videtur ſed intelliguntur, cogitationeque humanitatem à diuinitate

Verbũ in carne adoratur.

Damaſcenus.

diſtinguas) inadorabilis eſt, vt creatura: vnita vero Deo verbo propter ipſum & in ipſo adoratur, Eo nanquã modo quo rex nudus adoratur, & indutus purpura, & nuda purpura & proijcitur & conculcatur; facta autem regis amictus honoratur & glorificatur; quã ſi quis proterere pręſumpſerit, præſepe morte mulctatur; & quemadmodum lignum nudum non eſt tactu inacceſsibile, igni verò cõiunctum & carbo factum non propter ſe ipſum, ſed propter cõiunctum ignem inacceſſibile fit. Ex his manifeſtũ fieri arbitror, nõ ſolùm quod caro ac ſanguis Chriſti à nobis adoranda ſint cultu Deo proprio ſeu latria, verum etiam qua mentis intentione id fieri debeat, & quis adorationis terminus noſtræ conſtituendus ſit.

Simile.

DE ADORATIONE QVAE IN MISSA FIT.

PRęmiſſa ergo ſi nobis conceſſerit Smidelinus ſicut æquum eſt atque oportet, modò non totam Chriſtiani nominis fidem abnegat; nòſque deinde demonſtrauerimus, in altari verum corpus Chriſti, verùmq; ſanguinem eius eſſe atque exhiberi nobis: non poterit ſane quiſquam Idololatrię nos ſugillare, in eo quod carnem & ſanguinem filij Dei hominiſq; adoramus. Sed vnde huius demon-

demonſtratio petenda eſt,cuius aſſertio faciet,vt fundamentum ſimul & ſtructura Fabrilis corruat ac peſſundata iaceat? Verùm aduertat prudés lector;In omni fidei negotio aſſerendo tria conſideranda eſſe. Primò quid ſit credendum, ſecundò ex quibus cauſis vel cur hoc ſit credendum, tertiò quomodo quod credendum proponitur poſsit cõfieri, ſiue qua ratione poſsibile ſit, fiatque probabile,In his tribus omnis quęſtio fidei decernitur. Quare hic etiam de ſingulis inquirendum eſt. Et quidem quod ad primũ attinet,non eſt neceſſe vt multis verbis agamus. Simpliciter enim aſſerimus, tenendum credendumque eſſe,quod Chriſtus Apoſtolis ſuis non panem aut vinum, ſed corpus & ſanguinem ſuum dederit, eademque in altari propoſita eſſe, atque tractari. Deinde ac ſecundo loco non poſtulamus neque aſſcribimus nobis eam honoris authoritatiſque prærogatiuam, vt propter nos noſtriq; cauſa quiſquam ſic tenere ſentire aut credere velit debeatque,ſed fidei ſententiæ noſtrę cauſam aliam proponimus,ac triplicato teſtimonie corroboramus. Primus enim huius noſtrę fidei aſſertor ipſe Chriſtus Ieſus eſt,ęterna veritas palam de hac rè teſtatus: Hoc eſt corpus meum:Hic eſt ſanguis meus:Illud nimirum pro vobis tradetur.Hoc pro vobis ac

Tria in omni fidei negotio conſiderãda.

Quid ſit credendũ.

Chriſtus Apoſtolis non panẽ aut vinum ſed ſuum corpus ac ſanguinẽ dedit.

Cur id credendum eſt Vide id probetur.

multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quid in hac enuntiatione aut teſtimonij huius depoſitione obſcurum, quid non apertum ac clarum ſenſu Catholico? Aut quam hic deſideramus Authoritatem? Alter teſtis eſt, Conſentiens Chriſti enunciationi ſcripta doctrina omnium eorum ferè, qui aliquando Eccleſiam Dei, Chriſti, Apoſtolorumue, ſeu Apoſtolicorum virorum ordinatione adminiſtrarunt; in omnibus Chriſtiani orbis terris. Quorum teſtimonia ſupra ſecundo Articulo nonnulla per quinquagenas in medium produximus todidemque producenda reſtant.

Quomodo uerum ſit quod creditur. Cōuenientius ex pane & uino corpus Chriſti & ſanguinē tranſmutare quam ex nihilo creare. Quoniā, ipſo Smidelino teſte, datur omnino corpus & ſanguis in Cœna,

Quis hunc teſtem audeat reijcere, aut contra eum excipere? Tertius teſtis eſt fides ac manifeſta confeſsio oris atq; operum totius corporis myſtici Eccleſiæ. Quis huic audeat ſeſe opponere? veniamus ad tertiū quo quęritur, quomodo ac qua ratione fieri queat, vt panis ac vinū ſecundum ſubſtantiā tranſmutentur in corpus & ſanguinē Chriſti? Reſpondeo. Apud Deum non eſt impoſsibile omne verbum, Luc. 1. Non autem minus eſt nouas res creare ex nihilo, quàm ea quę iam aliquid ſunt, in aliud mutare, quod antè nō fuerunt. poteſt Chriſtus res nouas creare. Si enim in cæna cum immutatis natura ſua, ac in priore ſubſtantia manentibus pane ac vino, cor-

no,corpus ac ſanguinem ſuum dat, vt Smidlinus in Schola Lutheri didicit,& non ex pane atq; vino tranſmutat, nouum certè ex nihilo corpus ſanguinemque creat,quia naturale corpus ſuum,vt idem ex Caluini diatribus ſonat.in cælo à dextris ſeruat.Multò igitur rectius ex alijs alia mutare,hoc eſt,ex pane ac vino corpus ſuũ per cõſecrationem efficere poterit. Naturę cõformius eſt,panem & vinum in corpus Chriſti & ſanguinẽ mutare, quam corpus & ſanguinem creare ex nihilo. Non ergo impoſsibile eſt, idem corpus facere ex aliquo.Idque ſupernaturali quodam modo. Naturaliter panis & vinũ tranſumũtur in corpus & ſanguinẽ hominis viui,ſine eiuſdẽ corporis motu, maximè locali.Quare multo conuenientius eſt,panem & vinum tranſmutari in carnem & ſanguinem filij Dei, ſedentis ad dextrã patris.Sed quid hęc exemplis conor probabilia facere. Fidei res quę credenda ſunt. argumentis naturæ aſtruenda non ſunt.Non enim quia poſſit fieri,ita factum credimus,ſed quia Chriſtus veritas ita eſſe, verbo ſuo edixit.Ratio locum non habet in Schola fidei. Quod enim videt,quis quid ſperat?Romanorum.8. Illius ergo potentię panis vinique conuerſionem adſcribemus, ex cuius ore atq; verbo hanc ipſam ea de re fidem hauſimus.

II.

III.

Ratio locum non habet in Schola pietatis.

Ille

Ille enim ipſe dixit. Hoc eſſe corpus ſuum; Et hunc eſſe ſauguinem ſuum. Vox hæc Paſtoris eſt, quam oues agnoſcimus; alienum non nouimus, auerſamur, fugimus; etiamſi Angeli pulchritudinem pręſe ferat.

Obiectio ex Ioan 6. cap. uerba quæ loquor ſpiritus & uita ſunt,

Sed Chriſtus idem ipſe, quiſpiam dicet, in Iohanne aliter de hac ipſa re loquitur: verba qui ego loquor, inquit, ſpiritus & vita ſunt. Ioan. 6. & alibi apud eundem: Ego ſum vitis vera, vos palmites, pater agricola eſt. Ioan. 15. Et Chriſtus Apoſtolus. 1. Corinth. 10. loquens ait: Petra autem erat Chriſtus. Conſtat autem, quod Spiritus non ſit corpus, & quod Chriſtus non ſit vel vitis vel petra.

Refutatio.

Reſpondeo. Veritatē Chriſtus corporis & ſanguinis ſui non negat. Sed Caphernaitas nimis craſsè atque carnaliter de tanto myſterio opinari ac loqui oſtēdit: quaſi enim corpus illud quod coram oculis videbant, occiſuri ac in partes ſciſsuri, frixaturi, elixaturique, ac ita demum commeſturi abſumpturique eſſent, ſine ſpiritu ac fide loquuntur:

Auguſtinus

Nō ſic inquit: Hoc quidem corpus quod videtis, & quod pro vobis tradendū eſt, mādu caturi eſtis, ſed ſuo modo, inuiſibiliter, ſub aliena ſpecie. Et hunc ipſum ſanguinē quem effuſuræ ſunt manus crucifigentium me. bibituri eſtis, ſed inuiſibiliter ſub effigie aliena. Qua de re qui vult Auguſtinum in hunc

locum

locum Ioannis Commentantem legat. Hāc enim Auguſtini interpretationem atque Ec cleſiæ ſenſum ipſe Dominus aſtruere videtur, cum conſequenter de hoc ipſo ſuo corpore, eodem Iohannis loco loquitur. Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? An non hoc eſt idem ac ſi dicat: Si impoſsibile videtur, hanc carnem meam, quam vobiſcū præſentem modò videtis, manducare: Quomodo ergo credibile vobis fiet, poſſe hanc carnem in terris manducari, poſteaquàm eandem ipſam in cælos aſcendiſſe oculis ipſi veſtris vidiſſe vos memineritis? verùm quod vitem quoque ſe Chriſtus profitetur, quis non videt eiuſdem perſonam ac Apoſtolorum corporis in vitis prorſus nō tranſire naturam? Quis tam ſtupidus atq; à re literaria tam alienus, qui non intelligat ſimilitudinē eſſe arcanæ illius vnionis, quæ eſt inter patrem, Chriſtum, atque diſcipulos? Maximè cùm applicatio ſimilitudinis mox eodem orationis contextu ſubiungitur? Sicut palmes inquit, non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Qua ferè ſimilitudine vſus eſt etiam Apoſtolus Rom. 12. Si radix, inquit, ſan cta, & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis,

Alia obiectio ex 15. Io. Vitis Chriſtus.

Refutatio.

in illis,& ſocius radicis & pinguedinis oliuę factus es,noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas ſed radix te.Idem Apoſtolus multis in locis dicit nos eſſe corpus Chriſti. Et 1.Corinth. 10.dicit:vnũ corpus multi ſumus.Et Epheſiorum 4.etiam de iuncturis & nexibus corporis huius loquitur. An ideo quis vnum aliquod ingens humanum corpus omnes nos eſſe ſomniare audeat? Aut quia verum ac carnium tale corpus non eſt,ideò ne etiã in Cæna veram filij Dei carnẽ ac verum ſanguinẽ CHRISTI negare audebit? Non. Nam hic ſimilitudinis nota appoſita eſt, in Cæna non eſt. De myſtico enim corpore loquens Apoſtolus,Romanorum 12.ait;ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, ita multi vnum corpus ſumus. Audis ſimilitudinem eſſe? Sic etiam 1.Corinth.12.de hoc eodem corpore loquens: Sicut enim corpus vnum eſt,inquit, & membra habet multa &c. Ita & CHRISTVS. Ad eundem modum Apoſtolus 1,Corinthiorum.10. Vbi de petra Chriſto loquitur,ſeſe explicat.Eadem enim parentheſi qua dixit:Petram fuiſſe Chriſtum,etiam hoc addit:quod omnes de *SPIRITVALI* petra conſequẽte eos. biberint, ſicut paulò antè etiam de ſpirituali manducatione cibi illius loquutus fuerat. Idque ad ex-

Nota ſimilitudinis eſt, Sicut,& tc: lectiuũ eius. Ita, Quæ tollunt ueritatẽ & aſtruunt ſimilitudinẽ.

Spiritualis petra Chriſtus.

ad excludendam omnem ſiniſtræ intelligentiæ ſuſpicionem. Quamobrem cùm in his ſacræ ſcripturæ locis addita ſunt ſigna, quæ intelligentiam ſermonis ad ſimilitudinem omnino dirigunt: iſtiuſmodi verò nihil in Cœnę verbis additum legatur: additæ autem ſunt integræ ſententiæ, quę vt Chriſti mentem explicant, ita veritatem corporis & ſanguinem Chriſti planè aſtruunt. non eſt, non eſt omnino vtrobique eadē dictorum Chriſti atque Apoſtolorum ratio: Maximè cùm ad excludendam omnem imaginationem à veritate alienam, ſeipſum explicat, de quo corpore ac ſanguine velit intelligi: Corpus meum eſt, quod pro vobis tradetur: Sanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur: Quæ explicatio non patitur aliter intelligi verba quam ſonant: niſi de Spirituali cibo ac potu ſine veritate corporis & ſanguinis ſomniantes, etiam ſpiritum pro nobis in crucem actum, non corpus; & ſpiritum non ſanguinem CHRISTI pro vobis effuſum (quod nefas eſt cogitare) dicere voluerimus ad veteres hæreticorum errores relabentes, CHRISTVM aut nullum aut non verum corpus aſſumpſiſſe ex virgine aſſerentium.

Chriſtus uerba Cœnæ explicat.

Cæterū quod amplius Smidelinus omniū rectè tradentiū perſonā induit, ac pro omnibus

An ſacrificans uerum Chriſti corpus in altari habeat.
Fabri fabrilia.

quitur rectè Chriſtianos non concedere, quòd ſacrificans habeat Sacramentum; primùm nõ video, vel qua authoritate omniũ verè credentium legationẽ ſolum ſibi vſurpare poſsit, vel vnde aliorum animos voluntatesque tam exactè perſpectas habeat, niſi fortè omnes Chriſtianos ex Goppingenſium ciuium (& ne hoc quidem omniũ) opinionibus metiri velit. Deinde Echonis in morem, ea quæ ipſe cum ſuis à Catholicis meritò audit, eadem in nos reboat. Didicit hoc vel ex pueris rixantibus, vel ex mulierculis altercantibus, quę per animi impotentiam ad excogitandas nouas Calumnias ineptæ redditæ, ne victę tamen tacere videantur quæ ab alijs audiunt, ipſę iterum atque iterum ingeminant. Quarum expreſſe imago 3.Reg. 3. in duabus illis ſuper infantibus corã Salomone litigantibus exprimitur; Altera dicente; Nõ eſt ita vt dicis; ſed filius tuus mortuus eſt, meus autẽ viuit; e contrario altera dicebat; Mentiris; filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Duabus de eadem re contendentibus, vna tantum ſola veritatem contra aliam affirmabat. Etiamſi millies dicat Smidelinus, quid poterit vnus contra Chriſtum, contra tot ſcripta teſtimonia, quæ præcedente Articulo produximus, Contra totius Eccelſię fidem atque confeſſionem?

ſionem?Sed ne modeſtiæ terminos excedere, logomachiam inſtruere, non veritatem videamur aſtruere, paucis reſpondeo tibi, non tuis, quos ſolos Chriſtiano nomine dignaris. Neq; enim omnino ſcio quid illi de noſtris Liturgis hoc anno ſentiant, qui dum opinionibus reguntur non in vna confeſsioone veri perſiſtunt. Veri Chriſtiani vnius Chriſti (à quo nomen habent) verbis adſtāt. Oues meæ vocem meā audiunt, inquit idē de quo loquimur Chriſtus, Ioan. 10. quę vox Chriſti eſt? Hoc, inquit, eſt corpus meū, Hic eſt ſanguis meus. Hanc vocem veſtri non audiunt, quia ex ouibus Chriſti non ſunt. Graue mihi eſt, & magnus cruciatus cordis mei, hoc de vobis ſentire, de vobis iudicare, quoniam ſcriptum eſt: Nolite iudicare Matth. 7. Veruntamen qui iudicat vos, Dominus eſt, cuius ſermo heu nimis verè in vos diſtringitur. Loquor vobis, ait ad vos, & nō creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me: ſed vos nō creditis: quia ex ouibus meis nō eſtis. Si vos grauari hoc putatis iudicio, cur non, hoc eſt corpus meū, hic eſt ſanguis meus; dicenti, creditis? Vt oues ſitis, quia aliter oues eſſe non poteſtis, niſi vocem hanc paſtoris agnoſcatis, & eidē credatis. Et quæ hæc tua in nos eſt iniuria tam manifeſta, agnoſcentes

Chriſtus ad Sciſmaticos loquitur.

vocem paſtoris, eidemque credentes & aſſentientes, cùm ipſe neque audiens neque credens, ac propterea non ouis ſed lupus ſis, ab ouium familia petulanter nimium velle excludere? pabulum hoc vitæ æternæ nobis illibatum incorruptumque liuidū inuidere?

Tertia obiectio.

Sed corrupta Sacrificans verba profert. Quid tu hic nobis oggannis iners vulpecula? An Eccleſia Chriſti ſempiterna ac fidiſſima bibliorū ſacrorum, vocis & mentis ſponſi atque paſtoris ſui cuſtos, in re hac maxima per ſuum miniſtrum Sacrificum corrumpi ex verbis illius patiatur quicquam? Hoc ſi tu ſemel perſuaſeris, eodem ſanè labore vt nemo poſthac vlli verbo totius Scripturę fidem adhibeat, effeceris. Non enim à ſemetipſa, ſed ab Eccleſia authoritatē accipit ſcriptura, cui etiam viciſsim Authoritatem reddit illa. Dic enim mihi (quoniam ad multa dicendum, velox ad audiendum tardior es, Iacob. 1.) vnde ſcis quę ſcriptura Canonica ſit, quæ non? vnde conſtat tibi vera eſſe, atq; ex mente Chriſti conſcripta, quæ huius vel illius Scriptoris nomen referunt? An CHRISTVS forte poſt ſcriptum nouum Teſtamētum de cælo deſcendit, & quod ſuum eſſe verbum agnouit, idem approbauit: reiecit tam multorum tam varia alia ſcripta, & quidem

Authoritas Scripturæ ab Eccleſia: & Eccleſiæ à Scriptura.

dem ſub Apoſtolorũ diſcipulorumq; Chriſti nominibus inuenta?

Sed ſpiritualis inquis dijudicat omnia. verba hæc Apoſtoli 1. Corinrh. 2. agnoſcimus & ſuſcipimus: Sed alius quidam & ipſe Apoſtolus non vult nos ad tuum priuatum aut paucorum ſpiritum aut enthuſiaſmum alligari: ſed cauendũ monet Iohannes. 1 Ioan. 4. Nolite inquiens omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetę exierunt in mundũ, Eccleſia verò teſtimoniũ habet, quod propter prę ſentem in ea Spiritum S. Mat. 28. ſit audienda. Si Eccleſiã non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus Matt. 18. Credis Eccleſiæ conſeruanti totam Scripturam incorruptam (& ita conſeruanti, vt nunquam ſuo calculo ea quæ per vos, vel in eam peregrina inuecta, vel ex ea propria in alienam ſententiam ſeu furto ſublata vel deprauata ſunt approbatura ſit) & non credis Cænæ pauca illa verba aſſeruanti, non eandem fidem præſtare in paucis verbis, quam hactenus ſemper præſtitit in omnibus quis niſi impius atque demens dicere auſit? Eccleſiæ theſauri ſunt tam Sacra Scriptura, quàm liturgia. Si in hac quid ab illa diſſentiens, magis vel minus ineſſent per quod CHRISTI verborum effectus in panis & vini tranſ-

Omnibus ſcripturæ verbis credendũ.

mutatione in veri corporis & veri ſanguinis Chriſti propinatione impediri potuiſſent, iam olim antequam tu in hanc lucis vſuram veniſses, intellexiſſet, correxiſſetque, nullâque iuſtam malè ſuſpicandi anſam poſteris reliquiſſet, nec liturgiæ ſacrificandique modum & ordinem poſteris tradens, talẽ, Scripturam taleque Euangeliũ vna tradidiſſet, per quod veluti proprio gladio iugulari poſſet. Sed tu nodum in ſcyrpo quæris, illicque trepidas vbi non eſt timor Pſal.13. Quam ob rem cum precedènte etiam Articulo demõſtratum ſit verbo, conſecrationis in Miſſa nihil diuerſum habere à verbis Chriſti in Cæna: teque vmbras ſolummodò rerum non ipſas res ſequi, hîc de eo longior eſſe nolo.

Quarta obiectio. *Diſcernẽdũ inter Sacr. Chriſtus, & Chriſtum.* *Refutatio.*

Sed diſcernendum eſt, inquis, inter Sacramentum Chriſti, & ipſum Chriſtum, Reſpondeo, Nemo noſtrum abhorret dicere, aliud eſſe Chriſtum, & aliud Sacramentum Chriſti. Et quidem ſi ipſe Sacramentum intelligis vel ante conſecrationem panem & vinum: vel poſt conſecrationem panis & vini remanentes ſpecies, nulla inter nos eſt cõtrouerſia. Hoc ipſum enim & veteres omnes olim, & nos modò ſentimus, palamq; profitemur. Nam eæ res in cogitationẽ noſtram inducunt vnitatẽ corporis myſtici cum capite Chriſto, & Chriſti cum corpore. Sicut

Externæ ſpecies quid operentur.

ſuperius

ſuperius etiam ex Auguſtini ſententia docuimus. Hæ enim res, puta panis & vinũ, vel externę vtriuſq. ſpecies, non ſunt ipſe, Chriſtus aut Chriſti corpus & ſanguis. Cùm verò ex vtriuſque ſubſtantia per conſecrationẽ corpus Chriſti & ſanguinem conſtitui negas, vehementer ſanè erras: niſi fortè hoc dicere vis, quòd ſubſtantiale ac verum corpus Chriſti in altari, ſacramentum poſsit intelligi nõ ſui ipſius, ſed alterius myſtici illius corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia: in quo omnes quotquot Chriſto nomina dedimus, membra ſumus, quorum Chriſtus caput eſt. Atq; hoc ipſum Sacramẽtum, eo modo acceptũ, adoramus cultu latriæ: Non quia alterius illius corporis Chriſti Sacramentum eſt, ſed quia ipſum verum Chriſti corpus eſt, à quo nec anima nec diuinitas filij Dei diuiſa eſt Non enim amplius moritur Chriſtus. Et hoc corpus adorando non peccamus, neque idololatriam committimus, ſed niſi adorauerimus peccati reatum timemus.

Cuius reſpectu adoretur Euchariſtia

Auguſt. in Pſalm.

Sed fol.9. pag,2. huius tertij ſui Articuli ſatis ſeſe prodit ſorex, ac quorſum tergiuerſando tendat, oſtendit. Vult enim, ſicut aliæ creaturæ omnes non ſunt adorabiles, licet & in ipſis inſit Deus: itẽ neque corpus Chriſti in ara, licet ſit in eo Chriſtus. Ex quibus atque ſimilibus per totum ſuum articulum

 ſpar-

ſparſis nugis, Chriſtum nõ alio modo in Eucharistia eſſe, quàm paſsim Deus in eſt in omnibus alijs creaturis, ſentire colligitur. Et quid tandem hinc ſequetur? Nempe Chriſti corpus ac ſanguinem haud alia ratione in cęna, vel vt ipſe loquitur, cũ pane & vino porrigi ſumique, quàm qua in qualibet caſa aut villa inter ipſas greges cum pane atq; aqua in corporis alimoniã ſumitur: Quam ob rẽ quod ad dapium ſubſtantiam attinet, aut in nullo Chriſti Cęnam à quolibet pleno ſympoſio differre, imò nullam Chriſti Cænam ſupereſſe: aut omnes ruſticos compotoreſque, dum ad corpus ſuſtentandum exhilarandumq; animum, vna diſcumbũt, ſemper Chriſti cænã celebrare. Hunc ſanè ſpiritum Geneuæ hauſit. Nemo autẽ noſtrũ ignorat, Deũ in omni creatura eſſe. Hier. 23. Cęlũ & terram ego adimpleo, dicit Omnipotẽs: &, Spiritus Domiui repleuit orbem terrarum, nempe præſentia, potentia atque eſſentia. An ideo verò Chriſtus alia aliqua ratione in Sacramento non eſt; Minimè. Eſt enim omnipotens in Sacramentis; eſt in hominibus, eſt in omnibus creaturis: imò eſt Deus ipſe etiam in Chriſto, ſicut Apoſtolus 2. Cor. 5. teſtatur: Deus erat in Chriſto, inquiens mũdum reconcilians ſibi. Sed longè diuerſo modo in his omnibus in eſt DEVS. De ſe-

Deus in omni creatura.

Præſentia, Potentia, Eſſentia.

Deus in Chriſto.

ipſo CHRISTVS teſtatur Iſa.11. Spiritus domini ſuper me,& Ioan.1.dicitur,quod fuerit plenus gratia & veritate:& Coloſ.2. teſtatur Apoſtolus, quod plenitudo diuinitatis habitauerit in CHRISTO corporaliter. De Maria Luc.1. ſcriptum eſt, quòd fuerit gratia plena. *Deus in Maria.*

De Stephano quoque Acto.7. legimus, quòd & ipſe fuerit plenus gratia & ſpiritu ſancto. An fortè hic dicemus, quod æquali modo etiam in his tribus fuerit Deus præſens?ſed fuit in Chriſto per abundantiam in Maria per excellentiam, in Stephano verò per ſufficientiam. Quin ipſi etiam philoſophi,ſine CHRISTO ſapientes, præſentiam Dei in mundo cognouerunt, & multa de ea ſcripſerunt,animam Mundi eſſe aſſerẽtes. Et Moſes teſtatur, quòd non ſit alia natio,quæ habeat Deos ita appropinquãtes ſicut Deus eorum cunctis obſecrationibus adeſt.Deut.4. Quid verò pij in dominica oratione precantur, cùm petunt: Matth.5. adueniat regnum tuum:ſi vna eademque ratione in omnibus ineſt Chriſtus ac DEVS Paulus profitetur nos eſſe templa Dei & ſpiritum Dei habitare in cordibus noſtris · ac monet vt glorificemus ac portemus Deum in corpore noſtro. 1. Corinth.3.&.6, Rurſus 2.Cortnth.6. 2. Timoth.1. Et 2. Corinth.1. *Deus in Stephano* *Sed inæquali modo.* *Mundi anima.*

teſtatur, quod Deus ſignauit nos, & dedit pignus Spiritũ in cordibus noſtris. Eadẽque ferè ingeminat eadem Epiſtola. Cap.5. Ex quibus omnibus conſtat, Deũ non vna ratione in creaturis ſuis ineſſe, ipſumq; adeo hominẽ differenti modo inhabitare, ſicut pollicetur Ioan. 14. Ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus, quod cum ordinariè per alia Sacramenta Eccleſiæ fit, quę ſunt ceu vaſa quædam per quæ velut canales quoſdam Deus ad nos venire & nobiſcum eſſe dignatur, peculiari tamen atque inenarrabili modo in hoc Sacramento ſeſe ſuaq́ue bona nobis communicat, vt impleatur quod in Ioanne promiſit: Ego in eis & tu in me; vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Ioan. 17. Etſi enim alia quoque Sacramenta vaſa ſint gratiæ (quam & conferunt) tamen nullũ extat teſtimonium Scripturæ, ſubſtantiam eorum atque naturam in aliud quidquam, pręter id quod prius fuerũt, tranſmutari. Manet enim in baptiſmo aqua in ſuo naturali eſſe, &c. Verũ de huius Sacramẽti creaturis, pane ſcilicet & vino extat teſtimouium, poſt benedictionem corpus eſſe ac ſanguinem filij Dei. Quam ob rem nihil hîc Smidlinus agit cum dicit; ſi Sacramentum adorandum eſſet, propterea quòd Chriſtus inſit in eo, neceſſe

Differentia Sacramenti huius ab alijs.

Cauillatio Smidilini.

ceſſe eſſe vt quemlibet ruſticum, omnes etiam creaturas alias adoramus, vt in quibus & ipſis Deus adſit. Verũ non adoramus hoc Sacramentum vt creaturam in qua ſit Deus per potentiam aut prouidentiam, aut gratias, neq; vt ſancti alicuius carnem, ſed vt carnem creatoris, à quo maieſtas Deitatis non abeſt nec diuiditur 1. Coninth. 1. Nunquid diuiſus eſt Chriſtus? exclamat Paulus. Quãobrẽ Conſtantinopolitano Concilio quinto Regnante Iuſtiniano Imp. Canone. 9. ſic definitum legimus: Si quis non vna adoratione Deum verbum incarnatum cum eius carne adorat: iuxta quod ſanctæ Dei Eccleſiæ ab initio traditum eſt. Anathema ſit. Hanc enim carnem. cum ipſe qui fecit eam nobis ſe daturum pollicetur. Ioan. 6. ac poſtea etiã dat eam, Matth. 28. atque vt accipiamus demandat: omniũ certè ingratiſsimi ſimus neceſſe eſt; ſi hanc tantam ſuum imô ſemetipſum largientis munificentiam aſpernauerimus, & carnem ſanguinemque quæ ipſe porrigit, per nauſeam recuſantes, panem poſtulemus & vinum: haud abſimiles ijs, qui in deſerto panem omne delectamentum in ſe habentẽ nauſeantes, carnes AEgypti, nec carnes tantum, ſed & carnium ſimul ollas concupiuerunt, ſempiterno ſuo dedecore atq; exitio.

Vna adoratione uerbum & caro uerbi adorantur.

Teſtimonia Patrum de Adoratione Euchariſtiæ Fabri nugis opponere.

Ac ne quis carnis & ſanguinem filij Dei adorationem hanc nouam eſſe arbitretur, ac nuper in Eccleſiam per abuſum inuectam: age veterum aliquot teſtimonia de ea ipſa re huc proferre non pigebit. Dionyſius Areopagita Capite de Synaxi non ſolum adorationis verum etiam eleuationis oſtenſioniſque meminit, adeoque & ipſe inuocans adorat, in hæc verba ſcribens: At pontifex cum diuina munera laude proſequutus fuerit, ſacroſancta & auguſtiſsima myſteria conficit, & quæ ante laudauerat venerandis operta ſignis atque abdita, in conſpectum agit, diuinaque munera *REVERENTER* oſtendens, ad ſacram illorum communionem & ipſe conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Et per apoſtrophen exclamans: Sed ô tu diuinum ſanctiſsimumque Sacramentum, inquit, obducta tibi per ſigna obſcuritatũ, quaſi vela & integumenta patefacta perſpicue nobis oſtende, mentiſq; noſtræ oculos ſingulari, & quæ obtegi poteſt, luce comple.

Dionyſ. Areop.

Baſilius.

Baſilius quoque vtriuſque meminit tam inuocationis quam oſtenſionis. Libro enim de Spiritu ſancto, cap. 22. ſic ſcribit. Si aggrederemur non ſcripto proditas conſuetudines, velut non magnam vim habentes reijcere, imprudentes, etiam ipſis principalibus

Euange-

Euangelij partibus damnũ inferemus, imô potius ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: velut verbi gratia, vt eius quod primum & communiſsimum eſt, primam mentionem faciam: figura crucis ſignare eos, qui in nomen Domini noſtri IESV CHRISTI ſpem habent, quis ſcripto docuit? *INVOCATIONIS VERBA DVM OSTENDITVR* panis Euchariſtiæ & poculum benedictionis, quis ſanctorum ſcripto nobis reliquit? Non enim his contenti ſumus quorum Apoſtolus Aut Euãgelium mentionem facit, ſed & antea & poſtea alia quidam diuinus velut magnum robur ad myſteria habẽtia, ex doctrina non ſcripto prodita aſsumpta. Hieronymus in Pſal. 98. Commentaria ſcribens, ac verſum illum: Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt exponẽs ſcabelli nomine præter alia etiam & maximè humanitatẽ Chriſti ſignificari affirmat. Cui & Auguſtinus conſentiens in eundẽ locũ his verbis ſcribit: Exponens mihi ſcriptura quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: Terra autẽ ſcabellum pedum meorũ. Anceps factus ſum. Timeo enim adorare terrã, ne damnet me qui fecit cælũ & terrã: Rurſus timeo nõ adorare ſcabellũ pedũ domini mei, quia pſalmiſta mihi dicit. Adorate ſcabellum pedũ eius.

Authoritas non ſcriptæ doctrinæ.

Hieronymus.

Auguſtinus

Quæro

Scabellũ pedũ Dei ac domini noſtri.

Quęro quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi Scriptura: Terra: ſcabellum pedum meorum: Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quęro hic, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem ad manducandum ad ſalutem dedit nemo autem illam manducat niſi prius adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum, domini, vt nō ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.

Caſsiodorus Pedes Dei.

Caſsiodorus in eodē Pſalmum ſcribens Nunc, inquit, dicendum nobis eſt, quid in iſto verſu pedes eius ſignificare videantur, ſcilicet ſtabilitatem diuinitatis, quæ ſemper in naturæ ſuæ omnipotenti gloria tanquam pedũ indefecta ſtabilitas perſeuerat. Huius ergo verbi aſsumptum corpus quamuis glorioſum, quamuis magnum, quamuis admirabile tamen propter humilitatem humanitatis ſcabellum pedum competenter accipimus. Nam cum ipſe dicat apud Iſaiam Iſa. 66, Cælum mihi ſedes eſt, & terrũ ſcabellum pedum meorum· corpus terrenũ quod de Maria virgine ſumpſit, bene (vt opinor) eadem ſimilitudine ſcabellum

bellum pedum eius probatur intelligi. Idem Caſsidorus ſuper verba Pſalmi, 5. Introibo in dominum tuam adorabo ad templũ ſanctum tuum, ſic ſcribit: conſiderandum eſt quod non dixit: In templo, ſed ad templum: quia nec ſyllabas ipſas à Sacramentis vocare prędictũ eſt. Templum ſanctũ corpus eſt domini ſaluatoris, quod ante adorat Eccleſia, per quod meruit eſſe reuerẽda. Sic enim ipſe de ſuo corpore dixit: Deſtruite templũ hoc, & in triduo reædificabo illud. Rurſus Auguſt. Epiſtola. 120. de gratia noui Teſtamenti ad honorandum Cap. 21. ſuper verba Pſalmi. 21. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, ſcribens: Manducauerunt, inquit, corpus humilitatis Domini ſui etiam diuites terræ, nec ſicut pauperes ſaturati ſunt ad imitationem, ſed adorauerũt. Alexander huius nominis primus & ſextus à B. Petro Põt. Max. qui etiam ſanguine ſuo effuſo hanc ſuam atque totius Ecclę fidem Martyr conteſtatus eſt. Prima Epiſtola ſua ad omnes fideles ſic ſcribit: Idcirco & paſſio eius in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſępius recitanda, atque hęc domino offerenda: talibus enim hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittit ingentia. Nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt, quam corpus & ſanguis Chriſti,

Templum ſanctum

Auguſtin.

Alexander.

venerare. Sed quid ſigulorum teſtimonia enumero? Extat Tridentini Concilij de hac re luculentiſsimum teſtimoniū. In quo ſub Iulio tertio Seſs. tertia, capite. 5. ſic decretum eſt: Nullius itaq; dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto latriæ cultum qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeāt. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit à CHRISTO Domino vt ſumatur inſtitutum. Nam illum eundem Deum pręſentem in eo adeſſe credimus quem pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adorauerunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur. Declarat pręterea hæc ſancta Synodus pie & religioſe admodum in DEI Eccleſiam inductam fuiſſe hanc rem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione & ſolennitate celebraretur, vtque in proceſsionibus reuerenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur. AEquiſsimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos dies eſſe, cum Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadā ſignificatione gratos & memo-

Trident. Concil.

memores teſtantur animos erga communẽ Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili & plane diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur: ac ſiquidem oportuit victricem veritatem de mendatio & hęreſi triumphũ agere, vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti contabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

Adorationis figuræ.

Præceſſerunt huius adorationis noſtrę figuræ nonnullæ. Abraham enim adorauit Chriſtum humana ſpecie apparentem Gen. 18. De quo Euſebius hiſt. Eccl. lib. 1. capite 1. inter cætera ſic ſcriptum reliquit: In diuinis oraculis ſcriptum eſt, quia, apparuit DEVS Abrahæ tanquam communis aliquis homo ſedenti ad ilicem Mambræ: at ille exurgens cum hominem videret, adorauit vt Deũ, & veneratus vt Dominum: Sed & propriæ vocis profeſsione præſentiam diuinam ſe teſtatur non ignorare dicens: Dominator domine qui iudicas omnem terram nonne facies iudicium? Quę vtique omnia non ad patrem ſed ad filium referenda poſterioris in carne ratio diſpenſationis planius expleta deſignat. Idem de demonſtratione Euangelica, lib. 5. ca. 9. porrô, inquit, hęc ad Angelos aut ad quempiam ex Dei miniſtris dicta eſſe cõ ſenta-

Euſebius Abraham adorauit Chriſtum.

ſentanea dici non arbitror: Non enim cuiuſ libet eſt iudicare terram vniuerſam: Sed nec angelus quidem eſt nominatus, quem ſuperior Scriptura ſignificat: Verum alius quiſpiam Angelo præſtantior, Deus vtique ac Dominus, qui cum duobus Angelis in forma hominis ad ſuperſcriptam quercum eſt viſus. Preterea ne patrem quidem Deum hunc fuiſſe putandũ eſt, qui huiuſcemodi verbis indicatur. Dicere enim, id mutari quod diuinum eſt, & figurari in ſpeciem ac formam hominis, neutique pium eſt. Super eſt igitur vt confiteamur illum fuiſſe Dei verbum, quod à nobis in ijs quæ ante hac ſcripta habes, Dei nomine celebratum eſt, qua de cauſa hodie quoque vicinis & in proximo habitantibus quaſi diuinus, colitur atque obſeruatur locus is, honoris illorum gratia, qui Abrahę in illo viſi ſunt: atque etiamnum ibidem permanens Terebinthus conſpicitur. Qui enim ab Abraham hoſpitio ſuſcepti ſunt, vt habet ſcriptura, recumbentes erant duo quidem vtrinque, medius autem excellentior, & qui reliquos honore anteiret. Hic vero planè is eſt, de quo diximus, ipſe vtique dominus & ſaluator noſter, quẽ etiam pertinaces & increduli diuina oracula confirmantes venerantur: hic igitur ipſe ex illo, pietatis iaciens ad homines ſemina, humanem ſpeciem ac

figuram indutus, Dei amico atque antiquo patri Abrahæ ſeipſum quis nam eſſet oſtendit,patriſque ſui tradidit ſententiam. Hactenus Euſebius. ſiue autem figura hæc ſiue exemplum eſt, ſanè docemur, Chriſtum à patribus aliena etiam indutum forma ac ſpeciapparentem fuiſſe adoratum.

Iſrael populus adorau't Chriſtum. Sic Moſes & filij Iſrael Dominum in columna nubis ad Moſen ante oſtium taberna culi loquentem per fores tabernaculorum ſuorum adorauerunt. Cui ſimile eſt, ſiue, figuram id quoque ſiue exemplum dicere mauis,quod ex libro Ioſuæ. cap.5. ſumptum apud eundem Euſebium eodem quoque libro.cap.19,legitur; Ioſue,inquit in Iericho reſpiciens videt hominem ſtantem coram ſe, & gladius vagina exutus in manu eius,& accedens Ioſue dixit: Noſter es an aduerſariorum? Et dixit ei. Ego princeps Im- *Ioſua adorauit Chriſtũ.* perator exercitus Domini, nunc veni. Et Ioſue cecidit facie in terram. & adorans ait: Quid Dominus loquitur ad ſeruum ſuum? &c. Cuius & Ambroſius hiſtorię meminit in pſalmum 39. Verus dux militiæ inquit, cęleſtis effulſit,& adorauit eum IeſusNaue, quãuis nondum in corpore verus aſtiterat, ſed adhuc venerat in figura.

Nota. Si itaque Abraham verbum Dei Ieſum in hominis forma, ſi etiam Moſes & Iſrael eundem

dem in columna, ſi denique Ioſue in forma hominis vibrantis gladium piè religioſeque adorauerunt, cum tamen neque columna illa neque hominis figura in vnam verbi Dei perſonam hypoſtaticè fuerunt vnita, ſed tantum veluti forma quæ oculis mortalibus, vt eſſet ſingulares argumentum præſentiæ verbi Dei, conſpici poſset: quanto magis in Euchariſtia, in proprio ſuo ſibique indiſſolubiliter vnito corpore ſanguineque piè religioſeque à pijs venerari, coli adorarique poteſt?

Quinta fabri obiectio. Refutatio. Quamobrem nihil denique eſt quod dicit: Chriſtus ſacramentum dedit ac pręcepit vt comederetur, non vt adoraretur. Quæ enim impudentia hæc eſt; An ideo non adorandum eſt, quia adorandum non pręcipitur? vbi hanc regulam in ſacris literis vnquam legiſti ſcriptam: ſine expreſſo pręcepto non adorandum? Aut quod Magi adorantes, itemque diſcipuli in naui, & in monte oliueti adorantes, pręceptum acceperunt eius quod fecerunt? Vis tamen præceptum, quod ſit adorandus? Lege Deut: 6. Matt. 4. Dominum Deum tuum adorabis: Niſi fortè Chriſtum in humanitate ſua dominum Deum tuum negas? At Eccleſiam piorũ cum Apoſtolo Thoma non veretur confiteri hic: dicens Dominus meus & deus meus. Io. 20. Sic Pſal *Preceptũ de adoratione Euch.*

98.legis: Adorate ſcabellũ pedum eiusquoniam ſanctum eſt. Id quod ſuperius etiam dictum eſt. Et pſal. 71. Et adorabunt eum omnes reges terræ omnes gentes ſeruient ei.

Sexti obiectio. Sed pugnat adoratio cum oratione dominica, inquis: qua docemur patrẽ in cælis eſſe inuocandum. Sanè ſi ſic argumẽtari licet, *Refutatio.* ipſum filium cum ſpiritu ſancto eodem labore extra adorationis cultum facile excludes. Quoniam non eſt niſi pater, vt tu vis, inuocandus adorãduſue. Sed tuo more quicquid in buccam venit euomere nõ dubitas, nõ pugnat carnis & ſanguinis filij Dei adoratio cum oratione à Chriſto præſcripta. Dictũ eſt enim iam antea, nos terminum adorationis noſtræ non ipſam carnem per ſeſe conſideratam, ſed per carnem ipſam filij Dei diuinitatem ponere, ſecundum exempla Pauli atque Iohannis. Tum vero etiam pſalmus, cur hoc ſcabellum adorandum ſit, nos inſtituit. Neque enim per ſe adorabile cenſetur, ſed quoniam ſanctũ eſt. Luc. 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei Hæc ipſa cauſa eſt, quod adoramus, nunquam adoraturi, niſi præeminenti modo ſanctũ crederemus. Quamobrem Auguſtinus quoque *Auguſtinus* in eum pſalmum nos amplius docet in hanc ſententiam: Cum ergo adoras, fac ne cogitatio tua in carne hęreat, quo minus à Spiritu Dei

tu Dei viuifeceris. Spiritus enim eſt qui viuiſicat. Et quis ſpiritus? Ipſe Deus. Itaq; hac Eccleſię doctrina commoniti non hæremus mentis intentione in carne, ſed per carnem Chriſti tendimus ad Spiritum qui eſt Deus. Quid hic aliud facimus, quam quod Chriſtus futurum certo prædixit, Ioan. 4. Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabuut patrē in ſpiritu & veritate. Chriſtus enim eſt veritas, & pater in veritate adorandus eſt, per quem & ipſum tanquam oſtium ad patrem accedimus. Neque vero veritas eſt ſecundum diuinitatem tantum, verum etiam ſecundum humanitatem, vt in pſalmo legimus. Pſal. 54. veritas de terra eſt. *Concluſio.*

Habes ergo hoc tertio Articulo Adorationis qua Chriſti Eccleſia Chriſtum in ſacramento colit, veneratur, adorat, iuſtā Defenſionem, ex ipſo fonte ſacrarum Scripturarum petitam, Maiorum noſtrorum religione fide atque ſcripto teſtimonio confirmatam. Habes ſolidā obiectionum fabrilium confutationē. Quæ ideo atque in hunc finē conſcripta ſunt, vt noſtri in ea religione, in qua vocati ſunt, conſtanter perſiſtant: Alij per defectionē alieni facti, redeant; omnes vero quorumcunque partium Dei glorię atque ſuarum animarum curam habeant, atque exerceant. *Finis ſcripti.*

DE CHRISTI CORPORE ARTICVLVS QVARTVS.

ITàne verò crucis ſalutiferæ imaginem in Crucifixi Eccleſia tantopere refugis crucis prædicator tam ſtrenuus, vt ſicut olim quidam tertiam partem cæleſtis militię ſecũ traxit è cælo: ita te nunc quoq; à cæleſti hoc cæli Domini vexillo deterrere tuos, abſtrahere noſtros non pudeat? Quarta, inquis cauſa eſt (ſcilicet refugiendi à Miſſa) oratio & Crucis ſignum, quæ ſacrificus ſortilegi in morem ſuper panem vinumque propoſita corpus & ſanguinem CHRISTI ea eſſe affirmãs, celebrat. Hic quod ὕππαρχοι pauidis & ad omnia obuia horrentibus equis ſolẽt, tibi quoq; Iacobe faciendum eſt, manu ducendus es aliquanto propius ad hoc Crucis ſignum, vt quam ſiniſtram concepiſti de eo ſuſpicionem eminus, corrigas atque emendes cominus: Et Eccleſię orationes quas nõ capis legens, intelligas audiens. Primũ itaq; orationes haſce duas integrè huc aſſcribere placuit, quarũ prima hæc eſt: Vnde & memores Domine nempe quia vnigenitus tuus ſic faciendũ quod ipſe fecit, pręcepit, nos ſerui tui & plebs tua eiuſdem CHRISTI filij tui vnigeniti tam beatæ paſsionis, nec nõ ab inferis reſurrectionis offerimus pręclarę maieſta-

Quartum Iacobi fundamentum.

Simile.

Verba Sacrificantis.

ieſtati tuę de tuis donis ac datis hoſtiam: puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: panem ſanctum vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ: Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, atque accepta habere ſicuti accepta habere dignatus munera iuſti pueri tui Abel, & ſacrificiũ patriarchæ Abrahæ, & quod obtulit ſacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam. Altera vero: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuũ, in conſpectu diuinę maieſtatis tuę, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacro ſanctum corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur, per eundẽ Chriſtum dominũ noſtrum.

His ſuper orationibus tantus clamor inſurgit, deq́ue tribus in ijs comprehenſis accuſatio inſtituitur, vt quæ contra verbũ Dei pugnant, cum quibus verè Chriſtianus eſſe non poſsit. Quorum primum eſt. Sacrificum orare patrem Deum, ſerenis atque propitijs oculis Chriſtum reſpicere dignetur: Itaque ſequi: Chriſtum in indignatione patris, atq; peccatorẽ eſſe. Alterum: Sacrificũ itẽ orare patrẽ, vt ſimili benignitate filij ſui corpus ac ſanguinem accepta habeat qua olim Abelis, Abrahami, atque Melchiſedeci *Accuſatio prima.* *Accuſatio ſecunda.*

munera accepta habuit: Hinc ergo Chriſti merita imminui, cuius victima veterum Sacrificijs tantum æqualis vel aliquanto etiam iudicetur inferior. Tertium: Quia orat, vt Deus pater mittere dignetur ſanctum Angelum, qui corpus ac ſanguinem Chriſti cælo inuehat: Inde aſcenſionem Chriſti in cælos negari: aut certè nouum aliquem Chriſtum ſuper eſſe.

Accuſatio tertia.

Conceſsio

His tribus accuſationibus reſpondendũ eſt ordine. Ac principio ſanè ſi iſtæ conſequentię vere eſſent, quas Accuſator ſequi ex orationibus illis contendit: hoc eſt, ſi ſacrificus ſentiret, Chriſtum peccatorem in patris eſſe indignatione (horret animus hæc ſcribentis) ſi Chriſti merita imminueret; ſi aſcẽcenſionem eiuſdem in cælos negaret, aut nouum aliquem Chriſtum formaret: nõ abs re iſthæc Iacobus diceret. Quid enim magis blaſphemum contra Chriſtum dici excogitariue poſſet, quam peccatorẽ, eũ indignatione patris, hoſtiamq; ipſius minorem Abelis, Abrahę, atque Melchiſedicis muneribus eſſe (vitulorum atque hircorum nempe) excludique etiamnũ cęlo. Sed certũ eſt quod à mente Iacobi prorſus aliena dictiſque eius contraria planè, atque, ingentia de Chriſto Sacrificus in his orationibus commemorat. ac eiuſcemodi omnino, quę niſi Spiritu ſan-

Refutatio.

cto ſuggerente ab homine dici poſsint. Primum enim vocat eum Chriſtum Ieſum, vnigenitum Dei, & dominum ſuum: Et qua ratione hunc eundem peccatorem eſſe ſentiret? Deinde etiam paſsionem eiuſdem Chriſti beatam ſeu beatificam dicit, hoc eſt, ſe ipſum eadem paſsione beatum factum confitetur; Quomodo ergo eam paſsionem vitulorum atque hircorum ſacrificijs æquipararet? Tertio etiam aſcenſionem Chriſti confitetur, eandemq; glorioſam vocat, & quo pacto de eo proclamari poteſt, quaſi hanc eandem aſcenſionem negat? poſtremo propoſitum eſt illi cum plebe ſancta Chriſtum in Sacramenta ſumere: quomodo ergo Angelum deuocaret, qui eum quem ſumturus eſt in altari ex manibus atque ore ſubtrahat cæliſq; inferat? Hæc profecto cum tua Iacobe accuſatione atque conſequentijs, ſtare non poſſunt. Palam enim conuincunt, ſacerdotē recte ac ſancte omnino de Chriſti perſona morte, reſurrectione, & aſcenſione credere atq; confiteri. Alius ergo ſenſus verborum orationum harum ſit, neceſſe eſt, vt quem tu non capias. Itaque diligentius clamores tui examinandi ſunt, & an ex inſolentia ingenijque tui petulātia forte magis, quā ex veritatis ſtudio, aut verborū quibus orationes eſſe conſtāt, ſignificatione excitati ſint inquirendū.

Confeſsio Sacrificantis de Chriſto.

Diſtributio.

CVIVSMODI SIT HARVM ORATIONVM SVBIECTVM HOC EST, QVID SIT SVPER quo Sacrificus has orationes dicit.

PRincipio ergo inueſtigandũ eſt, quid ſit illud in altari, ſuper quo has orationes atq; hæc verba Sacerdos loquitur. Hoc enim prius rectè conſtituto ac definito, totius poſtea negotij facilior erit tractatio. In eo enim cardo verſatur Quæſtionis. Si enim ſuper Chriſtum Sacerdos tanquam Dei ac Chriſti mediator loquitur, patremque precatur, vt in eum tanquam peccatorem & ob id in indignatione poſitum iram deprecatus ſereno vultu irarumq́ue oblitus reſpiciat pater tanquam de commiſſo errore pęnitentem; Deinde etiam acceptum eum habere velit ac gratum, ſicut veterum Inſtrumenti vituli atque arietes pecudesque olim grata fuerunt. poſtremo in gratiam ſuſceptum etiam in cælum ad ſe angelorum miniſterio recipiat: Si hæc inquam de CHRISTO vel ſuper CHRISTVM loquitur, aperta blaſphemia eſt. Sin vero, & aliud quoddam ſubiectum eſt de quo loquitur, manifeſta tua Iacobe calumnia eſt. Ecquid ergo ſacrificus in altari propoſitum habet? In oratione eius

voca-

vocatur panis ſanctus,& calix ſalutis perpetuæ. Fluctuãtes de hoc pane & calice,& quid ſit ignorantes, conuertamur ad Sacrã Scripturam,notum cubile piarum mentium & inuẽtis in ea acquieſcamus. Loquitur ergo Apoſtolus in ſcripturis,vel potius in Apoſtolo S.Sanctus.1.Cor.10.calix,inquit,benedictionis cui benedicimus,nõne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quẽ frãgimus, nõne participatio corporis domini eſt? Quoniã vnus panis, & vnum corpus multi ſumus omnes qui de vno pane,& de vno calice participamus. Quid ad definiendũ panem hunc vitæ eternę & calicẽ ſalutis perpetuæ tanquã ſubiectum precationũ harum dici poſſet clarius atq; manifeſtius? Tria enim dicit: primo nos omnes panẽ vnũ eſſe, deinde nos omnes de vno pane ac de vno calice participare. Deniquę panem corpus appellat. Sumus ergo panis vnus,& corpus vnum, & de vno pane deque vno calice participantes, communicationẽ ſanguinis Chriſti & participationẽ corporis eius celebramus: hoc eſt, nos qui vnus panis vnumque aliquod corpus ſumus myſticũ, veri corporis ac ſanguinis Chriſti reddimur conſortes. De quo ſupra etiã Articulo tertio dictum eſt. Quare ex hac panis appellatione duplici, quarũ altera nos panẽ eſſe dicit: altera panem communicationem

Panis ſanctus uitæ æternæ, & calix ſalutis perpetuæ.

noſtri

noſtri cum Chriſto eſſe affirmat veteris Apoſtoli hac tanta authoritate confiſi crediderunt & docuerunt. Eccleſiam non ſolum ſecundum Spiritum corpus Chriſti eſſe, verũ etiã nos omnes aliquo, & quidem indicibili modo mẽbra eſſe corporis Chriſti veri, quãquã in myſterio. ita vt vtroq; modo loquendo, ipſa ſcilicet Eccleſia ſit hic panis ſanctus, calix ſalutis perpetuę in altari & Chriſtus ibidẽ & hic neq; in veritate neq; in myſterio à mẽbris ſuis & Eccleſia modo vllo abeſſe velit. Ad probandum vero hanc de qua loquimur noſtri cum Chriſti vero etiam ac naturali corpore ſanguineque vnionem eiuſdẽ Apoſtoli teſtimonium Epheſ. 5. in mediũ adducitur. Nemo vnquam inquit carnem ſuam odio habuit ſed nutrit ac fouet eam ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſsibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentũ hoc magnũ eſt, ego vero dico in Chriſto & in Eccleſia. Vbi quod Apoſtolus dicit: Membra ſumus corporis eius de carne eius & de oſsibus eius, quomodo, & de qua vnione ante mille ducentos annos acceptũ ſit in vera fide Eccleſiæ, teſtãtur Hilarius & Cyrillus, & ſupra Articulo ſecundo, vbi de veritate corporis

Vnio Chriſti & Eccleſiæ.

Hilar lib 8 Trin. Cyrill, lib. 10 in Ioan. cap. 13.

poris & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia ſermo fuit, copioſe à nobis dictum eſt. Et Cyprianus quoque quid ſua ætate de eo ſit creditum, haud obſcure, innuit ſerm. de natali Chriſti: Defectui, inquit, carnis noſtręquę à primitiuis fecibus originalis mali infecta lãguerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo & Sacramentorum cõmunicatio, per quam illius corporis ſynceritati vnimur, nos in tantũ corroborat, vt de mundo & de Diabolo & de nobis ipſis victoria potiamur, & Sacramentali guſtu viuificis myſterijs inhęrentes vna caro & vnus ſpiritus ſimus dicente Apoſtolo Qui adhęret domino vnus ſpiritus eſt 1.cor.6. Quã eandem alia etiam via S. Scriptura demonſtrare videtur cum quę ſemel in Chriſti vera ac viſibili carne facta ſunt. faciẽdo patiẽdoq;, eadẽ magna ex parte aut certè ſimilia poſtea quoq; in veris membris eius quodã modo contigiſse cõmemorat, vt ſint correſpondẽtia mẽbra ad ſuũ caput Chriſtũ vt in naſci, cricumcidi, baptizari, prędicare, miracula operari, pati, mori, ſepeliri, reſurgere, denuo viuere, aſcendere. & ſimilibus. Cuius non nulla exempla huc adferre volumus. Vt Natus eſt Chriſtus paruulus. Luc.2. Sic Apoſtolus Galath.4. Credentes iterum parturit, donec Chriſtus in ipſis formetur, & alibi ſic formatis membris tanquam paruulis in

Cyprianus.

Quæ in Chriſti corpore geſta ſunt, eadem & in membris fiunt.

Naſci.

lis in Chriſto lac potum dedit non eſcam quod ſolidum cibum prę teneritudine capere non poſſent 1 Cor.3. Et Petrus hortatur vt ſint ſine omni dolo, ſicut modo geniti infantes, & lac doli expers concupiſcant, & per id creſcant. Circũciſus eſt Chriſtus, Luc.2. Sic ad membra etiã Paulus loquitur: Circumciſi eſtis circumciſione nõ manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circũciſione Chriſti, Coll.2. Chriſtus Baptizatus eſt, Ioã. 1. Ita de mẽbris teſtatur Apoſtolus: Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus Rom.6. Et alio loco: Quicunq; enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, Gal.3. Chriſtus prædicauit ac docuit. Act.1. Paulus Chriſti membrũ & Apoſtolus dicit in ſe Chriſtum loqui. An experimentũ quęritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? 2.Cor.13. Chriſtus magna ac mirabilia fecit, ac pater in ipſo, Ioan.14 Eandem facultatem elargitur membris ſuis. Ibidem. Et Paulus gloriatur ſe omnia poſſe in confortãte ſe Chriſto, Philip.4 Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquẽs exemplũ vt ſequamur veſtigia eius. 2 Pet.2. Et Paulus dicit quod Chriſti paſsiones abundant in nobis. 2.Cor.1. Et idem alibi teſtatur, ſe adimplere ea quæ deſunt paſsionem Chriſti, in carne ſua, pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia

Circuncidi. *Baptizari,* *Prædicare,* *Miracula operari.* *Pati.* *Crucifigi.*

cleſia Coloſ.1.Et alibi vetus homo cũ Chri-
ſto cruci affixus legitur, Rom.6. Et ſunt qui
carnem ſuam crucifixerunt. Gal.5.In qua eti
am Epiſtola ca.2.idem Apoſtolus dicit Chri *Mori.*
ſto ſeſe confixũ eſſe cruci. Chriſtus mortuus
eſt,Rom.4.Nos quoq; cũ Chriſto mortui ſu
mus ab elemẽtis huius Mundi, Coll.2.Et ſe-
quenti ca.3.Mortui ſumus, & vita noſtra ab- *Sepeliri.*
ſcondita eſt cũ Chriſto in Deo. Chriſtus ſe-
pultus eſt,Ioã.19.Et nos conſepulti cum illo *Reſurgere.*
ſumus per baptiſmũ, Coll.2. Chriſtus reſur-
rexit,Ioan.20.Nos quoq; conſurreximus cũ *Aſcendere.*
Chriſto,Coll.3. Chriſtus aſcendit in cælũ &
aſcendẽs captiuam duxit captiuitatẽ Act.1.
Eph.4.Et in Michęa 2.cap. Iter nobis eodẽ
pãdit.Et Apoſtolus teſtatur, quod noſter e-
tiã conuerſatio ſit in cælis, Philip.3. Et alibi
hortatur dicens, quę ſurſum ſunt quęrite,v-
bi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedẽs quę ſur
ſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram. Huc
pertinẽt ſimilitudines oliuę.Rom.12.& alię.

Hæ collationes Chriſti capitis & membro
rum veram vtriuſque vnionem declarant.
Quemadmodũ enim Chriſtus vnus deus eſt
cum patre & ſpiritu ſancto,& vna eademq;
deitas cõmunis eſt tribus perſonis,& nihilo *Vnitas deita*
minus tamẽ alia perſona pater,alia filius,alia *tis & perſo-*
S.Sanctus, in ipſa cõmuni tribus deitate eſt: *narum Tri-*
Ita medius inter Deum & homines homo *nitas.*
Chri-

Chriſtus Ieſus 1. Timoth. 2. vna eademque
Vnitas Chriſti nobiſcum. humanitate nobiſcũ homo eſt, & ſi alius ſit
Chriſtus, alia virgo mater, alius Iohannes,
alij nos omnes ac ſinguli, non natura diuerſi, ſed proprietate diſtincti: quæ comparatio
etſi non per omnia ſiue in omnibus conueniat, adeò tamen proprie noſtri cum Chriſto vnitatem oſtendit, vt cum altera ex altera metienda ſit, vnius eiuſdemque humanitatis huius vnionem, capitis, dico, & membrorum negare non poſsit quiſquam, niſi
idem vnius eiuſdemque Deitatis ineffabile
conſortium deſtruxerit. Quemadmodum
lapis ille de monte ſine manibus abſciſsus,
de quo Danielis cap. 2. recitat hiſtoria, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ intelligitur. Hinc
ipſe Chriſtus nõ erubeſcens nos fratres ſuos
dicere, Heb. 2. patrem orat, Ioan. 17. pro omnibus nobis, vt in ipſo omnes vnum ſimus,
ſicut filius in patre, & pater in filio, vnus eſt.
Non, inquit, pro eis autem rogo tantum, ſed
& pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: vt omnes vnũ ſint, ſicut tu pater
in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum
ſint, vt credat Mundus, quia tu me miſiſti.
Et Ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eius, vt ſint vnũ ſicut & nos vnum ſumus:
Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in
vnum. Ac ne quis exiſtimet ſpiritualem tantum

tum

tum hanc eſſe vnionem in fine capitis ſpiritum diſcernens à proprietate ſuę ſubſtantię: vt dilectio, inquit, qua dilexiſti me, in ipſis ſit,& ego in ipſis. Etenim ſi ſpiritualis eſt tãtum hęc vnio, quid neceſſe fuit dicere,& ego in ipſis:cum dixiſſet antea, vt dilectio in ipſis ſit?niſi vt ſecundum differentiam vnionis. etiam vnitarum partium ſeruetur proprietas,& oſtendatur aliud eſſe Chriſtum, & aliud dilectionem Chriſti. Itaque in nobis Chriſtus & nos in ipſo, vna eademq; humanitatis natura, ſicut nos de illo gloriamur, ita ille de nobis ſolicitus eſt,& ſaluat non eã tantum carnis noſtrę naturę portionẽ,quam in ſuam hypoſthaſin aſſumpſit,verumetiam & quantum in ipſo eſt totam maſſam: & claritatem quam diuinitatis abundantia dedit propriæ,communicat etiam & confert carni reliquæ, præparans ac diſponens eam ad immortalitatem & gloriam. Chriſti igitur carne & ſanguine in altari poſitis, noſtra natura propoſita eſt,duo nimirũ in carne vna. Et hæc caro panis ille ſanctus vitæ æternę eſt corpus Chriſti quod eſt Eccleſia. Sanctus panis,ſanctum corpus, ſancta Eccleſia, etiamſi admixtos habeat nõ perinde ſanctos. Chriſtus enim, ſicut ipſe quoq; teſtatur. Ioan 17. ſanctificat ſemetipſum pro membris ſuis; vt ſint & ipſa ſanctificata in veritate, verum

Vnio non tãtum Spiritualis,noſtri cũ Chriſto.

Noſtra Natura in altari propoſita.

qui ſanctificat & qui ſanctificantur, ex vno omnes ſunt. Heb. 2.

Corpus Chriſti myſticum.

De altero Chriſti corpore myſtico ſcilicet, minus negotij habet. Neque enim ipſe Iacobus inficiabitur Chriſtũ Ieſum caput noſtrũ eſſe, & nos viciſsim ipſius mẽbra ſpiritualia. Apertum enim eſt ea de re teſtimonium Apoſtoli, Coll. 1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Rom. 12. Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus, omnia autem membra non eundem actum habẽt, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autẽ alter alterius membra. Et 1 Cor. 12. Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamẽ corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Corpus enim non eſt vnũ membrũ, ſed multa. Huius myſtici corporis Chriſti, alterũ illud verũ ac naturale, Sacramentũ eſt. Neque enim hoc ab illo, neq; ab hoc illud ſeparari poteſt. Alterum enim alterũ reſpicit, ſicut etiam Paulus vtrumque iuxta appoſuit. Vbi enim Sacramentum dicitur, mox illud in cognationem noſtram venit, cuius eſt Sacramentum. Atq; ad inſinuandam vtranque vnionem, Spiritualem ac corporalẽ, ex latere Chriſti crucifixi non modo ſanguis, ſed aqua etiam profluxit. Et quia per aquam in

Scrip-

Scripturis populos intelligimus, ſicut & Apoc.17.ponitur, ideo ſacrificus in altari non vinum ſolũ in calicem ſed & aquã infundit, id docens per actionẽ, vt Chriſtus atque Ecclesia vnus panis vitæ çternæ, & vnus calix ſalutis perpetuç credatur venereturque ab omnibus. De qua vnione ne quis dubitet, ipſç etiã orationes ſeu precationes quibus ſacrificus in altari ſuper propoſita vtitur, demonſtrãt. quid enim eſt, quod ea quç ſunt in altari propoſita, & ſanctã hoſtiã, & purã hoſtiam & immaculatã hoſtiã vocat? Nunquid hæc à ſemetipſo verba, aut ab ſummo aliquo Põt. mutuatus eſt? Non ſane, Apoſtolus enim Eccleſiã Chriſti, quç eſt corpus eius, eiuſmodi nominibus inſigniuit, quã (ſicut ſupra etiam dictũ eſt) iã panẽ, iam calicẽ, iã corpus Chriſti vocat. Tres voculç ſunt, pura, ſancta, & immaculata hoſtia. Et hçc ipſa tria in vno capite Apoſtolus cõprehendit Epheſ.5. Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, mundans eã lauachro aq; in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem MACVLAM, aut rugã, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit SANCTA & immaculata. Sic ad Coloſſenſes ſcribens cap.1. vult vt membra Chriſti ſeſe exhibeant ſancta & immaculata & irreprehenſibilia coram Chriſto capite. Ad Rom.12.

Cur uina admixta aqua.

Hoſtia.

ſic porro ſcribit: Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam dei vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam. Deo placentem.

Neque ſine cauſa huiuſmodi tria coniungit tam pulchre, puram ſanctam & immaculatã, ſed ad tres hominum ſtatus in omni Republ. bene inſtituta reſpicit: Clerum ſcilicet, Magiſtratum, & ſubditos. vt pura hoſtia referatur ad Clerũ, ſancta ad Magiſtratum, immaculata ad ſubditos. Poſſunt eędem voces etiam ad triplicem vnitatem referri, cuius cauſa Chriſtus, Iohan. 17. tantopere rogat patrẽ. Eſt enim vnitas inter nos omnes, quam immaculatam eſſe oportet. Eſt vnitas altera inter nos & Chriſtum. hæc ſancta ſit oportet, Reſtat tertia inter Deum & nos: & hanc neceſſe eſt puram eſſe. De prima. Iacob. 1. diciur Religio munda & immaculata hæc eſt: viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. De altera Chriſtus Ioan. 17 patrem rogat. Pater, inquit, pro eis ſanctifico me ipſum, vt & ipſi ſunt ſanctificati in veritate. De tertia etiam Pſal. 23. dicitur. Quis aſcendet in montem domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Et Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Huius

Hoſtia. { *Pura. Sãcta. Immaculata.* }

Vnitas. { *Hominis ad hominem. Hominis ad chriſtũ Hominis ad Deũ.* }

vnitatis & conſequendæ & conſeruandæ, medium eſt participatio corporis Chriſti. Ioan.6. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Id quod alias quidē ſed tamen pene eiſdē verbis repetit Apoſtolus, 1. Cor. 10: vnus panis & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. In Chriſto etenim conueniunt couniunturque tali medio homo ac Deus, Et quid eſt eſſe vnum panem & vnum corpus quod Apoſtolus repetit, niſi in Chriſto manere & ipſum in ſe manentem habere? quod ipſe Chriſtus affirmauit. Et hęc quidem dicta ſint, vt intelligamus, quid ſit id, quod Sacrificus propoſitum in altari tractat: Nempe caput cum corpore ſuo, Chriſtus cum Eccleſia ſimul in myſterio, & ſuo quodam modo ſubſtantialiter: panis vitæ æternæ & calix ſalutis perpetuæ. Chriſtus in nobis, & nos in ipſo.

Vnus panis & uinum corporis.

Inuento igitur ſubiecto, iam porro videamus de prędicato, & an iſti pani ac calici, hoc eſt Chriſti corpori iſtæ orationes conueniant nec ne, inquiramus. Et quid orat Sacerdos ſuper panem hunc & calicem, ſuper CHRISTVM & Eccleſiam caput & membra? Supra quæ, inquit patrem alloquutus, propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris.

Altera pars Quæſtionis.

Primùm hîc prudens lector verba ac ſer-

Supra quæ, inquit, non ſupra quem.

monis genus diligenter conſideret. Si de Chriſto oratio hæc atq; petitio intelligēda eſſet, de Chriſto, qui vna perſona eſt, non plures, ſonarent verba. Supra quem, dixiſſet reſpicere digneris: Non ſupra qúę, tanquam ſuper multa. In plurali vero loquens, ſupra quæ, tanquam ſupra multa, oſtendit de pluribus eſſe ſermonem, non de vno tantū. Itaque vt concedatur, etiam Chriſtū tanquam vnum aliquem in hiſce pluribus comprehē-di, de ſolo tamen ac vno Chriſto non poteſt intelligi. Deſcribitur autem Chriſtus in cruce exclamauiſſe: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti. Reſpice in me. Matth. 27. Pſal. 21. Vox eſt hęc Chriſti capitis nó pro ſe, ſed pro membris, non tantū patientis ſed & clamantis. Non enim à propria deitate vnquam derelictus fuit, ſed ſubtilibus mentis imaginationibus, vt Damaſcenus quoq; ſcribit, ſecreto diuiſoque eo quod videtur ab eo quod intelligitur, ipſe nobiſcum ordinatur Emanuel & noſtram induens perſonam, in noſtro ſe derelictū exclamat, in noſtro ſe reſpici à patre orat: qui in noſtro paſsus, in ſuo proprie ſaluauit noſtrum indiuiſibiliter in ſe aſſumptum. Itaque quod ad rem ipſam attinet non arbitror quenquam eſſe, qui repræhenſione dignum exiſtimet, ſi faciat pro ſe ac pro alijs huius corporis membris in altari

Chriſtus in Cruce caput pro membris orat: ac ſe in iiſdem reſpici petit.

tari Sacerdos quod fecit in cruce Chriſtus, peccati magnitudinem cõfeſſus, ſublato inter Deum ac nos medio pariete, diuinę clementiæ petat in nos reſpectum: Maximè cũ qui paſſus ſic exclamauit, paſsionis ſuæ commemorationem à nobis atq; in nobis fieri in Cœna præcepit, demandauitque. Niſi forte ita Chriſtũ quis dicat ſemel exclamaſſe, ita ſemel paſsum, ita ſemel diuini obtutus reſpectum pro nobis expetijſſe, vt iam nulla ſuperſit cauſa, cur diuina Maieſtas clęmẽtiæ ſuæ oculos à nobis auertat, nec nobis neceſſe ſit vt eoſdẽ in nos conuertat. Sed auertit ille propter circumſtans nos peccatũ, vt heû nimis verè Eccleſia dicere poſsit: Auertiſti faciẽ tuam à me & factus ſum conturbatus. Pſal.29. Vbi vero de re iam ipſa conſtat, & corpus Chriſti Eccleſia neceſſe habeat, vt à Deo reſpiciatur; quid opus eſt contendere de verbis, quibus res tam neceſſaria expetitur? Corporis ſui, hoc eſt Eccleſiæ miſeriam CHRISTVS caput corporis huius ſuam reputat: derelicta à Deo Eccleſia, imo etiam humana natura, ſe derelictum fuiſſe idẽ exclamat: atque vnus cum Deo patre Deus, vt à Deo reſpiciatur orat, quum vult ne Eccleſia deſpiciatur. An non æquum eſt vt Sacerdos Chriſti vicẽ, quantũ licet, gerens, eius verba ſequatur, cuius, perſonã nobis refert?

Sacerdos in altari Chriſtum in Cruce imitatus orat pro Eccleſiæ membris.

Auertit faciem ſuam à nobis Deus ob peccata noſtra.

Idque in cauſa haud abſimili?vt enim Dei iram à nobis auerteret, vt miſericordię diuinæ oculos in nos deflecteret, Chriſtus orat atque exclamat;idem finis peccantis eſt Sacerdotis. Liceat igitur illi in cauſa non diſsimili, non diſsimilibus vti verbis. Niſi fortè hoc repræhenſione dignum duxeris, quod Sacerdos nõ omnino iiſdem verbis quibus Chriſtus orat, petens vt Deus reſpiciat non iam ſuper Chriſtum, quod tamẽ regius propheta Pſalmo 83. ante Chriſtum fecit, reſpice, inquiens, in faciem Chriſti tui, ſed ſuper propoſita panem ſanctum vitæ æternę, & calicem ſalutis perpetuæ, ad membra capitis, ad Eccleſiam & omnes Chriſtianos reſpiciens, quoniam vnus panis & vnũ corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. 1. Cor. 10.

Dauid idem ferè orat.

Ceterum quod Dauid ante Chriſtum orans dixit: Reſpice in faciem Chriſti tui, non ſe iam ſed maiorem ſe inſinuans Chriſtum, cuius ipſe figuram gerebat in multis, idem certe iam licere conſentaneum eſt. At ne fortè etiam Dauidem blaſphemia arguas, qui & ipſe à deo petijt, reſpiceret in faciem Chriſti ſui, vide quæſo quid præmiſit. Protector, inquit. Cuius vero protector? Noſter, protector noſter aſpice Deus: Aſpectus Dei gratiam nobis expetens, non Deo. Sed quia lex

omnia ſub peccato concluſerat, intelligens ſanctiſsimus Propheta indignos eſſe peccatores, in quos ſuo ipſorũ merito reſpiceret Deus, Chriſti meminit in noſtra humana natura, atque vt in eius faciem reſpiciat precatur, magna fide præuidẽs, capitis Chriſti dona in corporis, cuius illud eſt caput, membra defluere, atque ſicut in capite membrorum intelligitur atque ſentitur infirmitas, ita in membris fruamur ex capite emanantibus gratijs. gratis animis confitẽtes, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Ioan. 1. Reſpicere enim Dei quid eſt, niſi actus quidam tranſiẽs in alterum. In Chriſtum vero per ſe tanquam filius Dei conſideratus talem actũ Deus habere non poteſt, vt qui vnũ eſt cum patre vnuſq; deus, non externũ quid à Deo. Sed humana natura in Chriſto eſt, quã reſpicit Deus, & in qua nos quoq; reſpicimur, vnum ſcilicet affecti cum Chriſto. Chriſtũ reſpiciens Deus humanã naturam ſuſcipit in gratiã, eandemq; gratię ſuæ muneribus explet, vt ſicut ſcriptum eſt, vbi abundauit peccatum, ibidem abundet & gratia. Rom. 5.

Infirmitas membrorum in capite ſentitur & capitis dona in membra defluunt.

Non ergo ita hæc accipi debent, ac ſi precaretur Sacerdos, vt Deus in Chriſtũ reſpicere dignetur, quod non peccatur, ſed vt reſpicere dignetur ſuper propoſitã panẽ & calicem quæ ſunt vnum in Chriſto corpus vna

Eccleſia. Et huius quoque exempla in ſacris literis extant. Pſal. 79. Dauid precatur: deus virtutum conuertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineā iſtam. Vinea hęc Eccleſia eſt In hanc vt reſpiciat Deus, rogat propheta. Neque tamen ideo peccator eſt, in quem Deus reſpicere dignatur. Sæpè enim ab ipſo petitur. Vt in ea quoque quæ iam illi placēt reſpiciat. Vt Pſalmo. 73. Reſpice in teſtamētum tuum. Et Iſac. 64. Ecce domine, reſpice populus tuus omnes nos. Et Hier. 5: Domine oculi tui reſpiciunt fidem: nempe eorum qui in hoc corpore Eccleſiæ membra ſunt. vtique neque in teſtamento quod ipſe condidit, neque in fide quam ipſe dedit peccatum aliquod inuenit, vt indignatione aliqua contra ea quē reſpicit moueatur. Quamobrē nihil eſt quod accuſatur Sacerdos, quaſi petat à Deo, vt ſuper Chriſtū reſpiciat. Corporis enim maximè & membrorum Chriſti hæc ſunt prædicata. Nihil eſt quoque quod dicitur, per hoc Chriſtum conſtitui peccatorem: cum etiam vt in teſtamentum ſuum, & in fidem reſpicere dignetur, ab alijs rogatur. Quanquam ſemel pro nobis factus ſit maledictū, vt nos de maledicto redimeret, & benedictio Abrahę in gentibus fieret in ipſo, Gal. 3. ſemel etiam peccatum factus, etſi non noſſet peccatū, vt nos iuſticia Dei efficeremur

Vinea Dei Eccleſia.

Non omnes peccatores ſunt in quos Deus reſpicere dignatur.

mur in ipſo.2.Cor.5. Vel ipſa orationis verba quibus dum orat Sacerdos vtitur, hanc vt friuolã accuſationẽ refutare vidẽtur. Quid enim? forte rogãdus Deus eſt, vt in nos ſiue Chriſto reſpiciat, quaſi per nos ipſi digni ſimus, quos reſpiciat, & in quos oculos intẽdat, nec opus habeamus Chriſto propter quẽ benefaciat nobis pater? Per ipſum habemus acceſſum ad patrẽ Rom.5.Epheſ.2.&.3. Cur ergo non etiã per ipſum dona acciperemus à patrę? Maximè cum Apoſtolus exclamans per ipſum omnia eſſe teſtatur. Rom.11.

Secũda accuſatio eſt de eo quod ſacerdos Deũ patrẽ ſuper his in altari propoſitis pane vitę ętern æ & calice ſalutis perpetuæ, orat, vt accepta ea habeat, ſicuti accepta habere dignatus eſt munera iuſti pueri ſui: Abel, & patriarchæ noſtri Abrahę, & ſummi ſacerdotis Melchiſedech, ſanctũ ſacrificium immaculatã hoſtiã. Hæc, inquit, oratio meritis Chriſti detrahit, & redemptionẽ noſtram incertam facit: cum Chriſtus ſacrificijs pecudum, Abel, Abrahe, atque Melchiſedech, æqualis vt ſit, demum in ea à patre poſtulatur.

Sed an forte híc quiſquam negat iuſtum eſſe, vt ea poſtulemus à Deo, quæ ab ipſo ſolo dari atque procedere poſſunt, & nobis neceſſaria ſunt? At neceſsariũ nobis eſt, vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem

ſanctam

hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem cùm id Apoſtolus etiam obſecrans à nobis exigat, Rom.12. Quare ergo hoc non poſtulemus a Deo. quod in nobis ipſis non inuenimus? Atq; vt hanc Sacerdotis orationem de ipſo ſubſtantiali Chriſti corpore intelligamus: An fortè in hoc mortale aliquod peccatum ineſt, quod Deum rogamus, filij ſui Chriſti ſacrificium acceptum habeat? Quaſi vero non ſit rogandus Deus aliquando, vt quod facit faciat quamq; benignitaté vltro ac ſponte tribuit, largiatur: & quia iã paternus ille affectus ſibi in Chriſto ſemel complacuit, ideo non interpellandus, vt placeat. Quid ergo tot ſacrarum ſcripturarum exempla aliud ab ea opinione contrarium teſtantia ſibi volunt? promiſsio Abrahæ facta fuerat, in ſemine eius benedicẽdas omnes gentes terrę. Gen.12. Et placuit haud dubiè Deo factis reſpondere promiſsioni ſuæ. An ideo vero Abraham ceſſat, an non rogat vt faciat Deus quod facturus erat? Gene.15. Et in nouo Teſtamento in hoc ipſo ſacrificio. Deus mundum ſibi reconciliauerat 2 Cor.5. Deus erat in Chriſto, mundũ reconcilians ſibi inquit Apoſtolus. Neque tamen ideo Apoſtolicũ pectus à recõciliationis munere vel deſiderio ceſsauit, cum Corinthios alloquutus hortatur: pro Chriſto legatione fungimur.

Rogandus eſt ſæpe deus ut faciat, quod tamen facit ultro.

Exemplo Abrahæ hoc probatur.

Idem etiam Chriſti exemplo probatur & Apoſtoli.

mur. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Haud dubie adueniet aliquando regnum Dei. etiam inuitis atque volentibus multis. Nihilominus Chriſtus rogandũ pro eo patrem cenſet: Vt veniat regnum eius. Matt.6. Haud dubie iam tum placuerunt patri diſcipuli filij ſui, quos ipſi dederat, & eoſdem conſeruaturus erat: Nihilominus tamẽ orat etiam ipſe filius patrem. vt eos dignetur conſeruare à malo. Haud dubie placuit patri eoſdem diſcipulos filij, vnum facere cum ipſo (hæc enim vnitas finis & ſumma eſt totius diſpenſationis carnis Chriſti, finis inquam & cauſa tot prędicationũ, tot laborum, moleſtiarum, miraculorum, paſsionis, mortis & reſurectionis eius, vt omnes vnum ſint in ipſo) Nihilominus tamẽ, vide, cum quanta animi affectione patrem filius pro ea ipſa vnitate interpellat. Ioan.17. An forte patris diuinitas & omnipotentia abfuit aliquando à Chriſto? Quis hoc dicat? Vnde tamen quanta cum animi affectione patrem rogat pro ea in ſuſcitatione Lazari: Ioã.11. Si ergo hoc argumentum tuum Iacobe valeret: Pater diligit filium in humana natura & gratum acceptumue habet: Ergo nõ eſt neceſſe vt pro eo rogetur: Sequentur etiã alia abſurda multa; vt iniquus ſit Abraham qui deum in promiſsis homini ſimilem iudicans, tantum nõ

per

per lictorem promiſſum exigit : Iniquus Chriſtus,qui regnum Dei expetere docet, quum vltro venturum ſit:qui conſeruationẽ & vnionem ſecũ Apoſtolorum à Patre precibus efflagitat, cum & conſeruare & vnire eos pater iam ante paratus erat, atq; ita faciciendum conſtituerat:Iniquus imô blaſphemus denuo Paulus, qui iam ante ipſi Deo in Chriſto reconciliatos, reconciliari amplius contendit. Verum quis mentis niſi inops iſthæc dicere audeat? Itaque neceſſe eſt vt alia ſit verborum ſententia, quam qui apud ſe nõ inuenit,in ſancta Catholica Eccleſia quęrat & diſcat,velim.

In ſacrificio quatuor conſideranda. Sunt in ſacrificio quatuor conſideranda, teſte Auguſt: Deus cui offertur, Sacerdos qui offert,panis ſanctus vitę ęternę cũ calice ſalutis perpetuæ,quę offerũtur,& plebs Chriſtiana pro quibus offertur. Quarũ quãlibet conſideramus,in nullã delinquere ſacerdotis orationẽ intelligemus. Etenim ſi Dei cui

Deus cui offertur. offerrur perſona conſideratur,hoc in oratione petitur,vt Deus qui author eſt huius muneris:ſit etiã retributor effectus : Si ſacerdo

Sacerdos offerens. tis quoniam finis cuiuſq; actionis non obtinetur niſi per media conferẽtia ad finem,& inter hæc media vnũ eſt ſacerdotis bona diſpoſitio,in diſpoſitione autem duo neceſſaria ſint:nempe vt deponat omnem maliciã, & om-

& omnē dolum, & ſimulationes, & inuidias & omnes detractiones, id quod Petrus Apoſtolus ad digne offerendi officium neceſſarium eſſe ſcribit. 1 Pet. 2. Deinde etiam vt ſecundum Pſalmiſtam Pſal. 131. induatur iuſticiam, hoc à Deo poſtulatur, ne effectū Sacrificij remoretur offerentis iniquitas. Si panis & calix per quæ nos ſignificamus, 1. Cor. 10. hoc efflagitatur, vt quorū Chriſtus caput dignatus eſt ſemel verā ſuſcipere naturam, eorū in myſterio nō aſpernetur conſortiū. Si deniq; plebs Chriſtiana cōſideretur: hoc petitur vt rami inſiti in oliuā, & palmites vitis veræ, ſurſum per gratiæ pluuiā irrigati ſuccreſcāt. Sed aperta eſt ſacerdotis oratio, quę ſuper panē & calicē dirigitur. Et quia quid ſit panis ille & calix dictū eſt ſuperius, eodē modo accepta apud Deum habentur, quo vultu ſerenitatis eius deſuper reſpiciuuntur. Sed nō hoc te malè habet, vt vel ſereno vultu reſpiciat ſuper ea Deus vel accepta habeat: verū hoc illo magis, quòd ad vetera illa Abelis, Abrahę, & Melchiſedeci munera conferūtur, quaſi æqualia, & nulla relinquatur huius ſacrificij panis & Calicis eminentia. Decepit enim te vox illa aduerbialis, ſimilitudinem æqualitatemq; denotans. An vero ideo nulla erit cōparatio ſacrificij quod Chriſtus obtulit, & quod alij? Aut ideóne Chriſti ſacrifici-

Nos qui offerimus.

Plebs pro quibus offertur.

Comparatio Sacrificij Chriſti ad uet erum Sacrificia meriti æqualitatem non facit.

ficium acceptius patri non erit, quam eiuſdẽ figuræ? Quid ergo Chriſtus ſemetipſum ſerpenti ęneo, ſuamque cum illius exaltatione confert? Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, Ioan.3. Numeri.21. Quid ſeſe cum Iona componit? Sicut fuit Ionas in ventre cete tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus Matth.12. Si ergo Chriſti merita diminuuntur eo quod comparatur ſacrificijs Abel, Abrahę, & Melchiſedech, quę ſui ſigna & figuræ quędam fuerunt; quomodo his locis & ſerpenti æneo, & Ionæ homini conferre ſine eorundem diminutione meritorum poteſt? Vtrobique enim in poſitis hiſce duobus exẽplis vox illa ponitur SICVT. Si in his locis vim eam habet vox illa vt ęqualitatem ſignificet, inter comparatum & eo cui comparatur, inter Abelis verò, Abrahæ, Melchideciq; ſacrificia; & Chriſtũ habere nõ poteſt nec debet: verendũ fortaſſe eſt nihil magis ſperandũ nobis in Chriſto quã in æneo ſerpente vel Iona, ſicut tu hoc loco argumẽtatus cõcludis, nihil nobis magis prodeſſe Chriſti ſacrificiũ quã Abelis vel Abrahę, &c. arietes. Nam eodem modo nobis argumentari licet, quo tibi, fientque non maiores noſtri de ea comparatione reprehenſibiles

ſibiles,ſed ipſe Chriſtus,qui primus ſe ijs rebus cõparauit. Fiet inquam vt Chriſtus cum magna animi ſui perturbatione ac ingenti mĕrore,timore anxietate quæ dicatur fuiſſe in ſepulchro, quoniam ita haud dubie fuit Ionas in ventre Ceti. Hæc tã horrenda quã abſurda ex tua illa Iacobe opinione oriri,teque dum Eccleſiæ dicta inſectaris (quæ tua quiduis carpendi libido eſt)etiam CHRISTVM ipſum vel ignorantiæ vel blaſphemiæ in ſeipſum inſimulare, à quo hanc loquendi normam Eccleſia mutuata eſt neceſſe erit.

Sed gratia Deo, qui Maiores noſtros eo gratiæ ſuæ lumine illuſtrauit,vt norint de Sacrificio Chriſti dicturi, ijſdem cum Chriſti verbis loquendum eſſe: Vnde ſi accuſamur hac parte à quoquam,gratulamur nobis accuſationis conſortes habere, non iam Maiores noſtros tantum,ſed & ipſum Chriſtũ authorẽ eius,quem in medium proferre poſſumus,quem quũ illi rectè imitati ſunt, haud obliquè imitamur & ipſi eoſdem. Potuiſſet cæcus cæcorum dux ipſe in Scholis didiciſſe, quod ſimile non ſit idem:nec vllam tam propriam eſſe cuiuſuis rei ſimilitudinẽ quæ non aliqua parte claudicet. Alioqui enim ſi ſimilitudo in nullo diſcreparet à re aſſimilata,non iam ſimilitudo eſſet, ſed identitas. *Simile nõ eſt idem.*

Z Potu-

Potuiſſet etiam ex alijs Scripturæ locis didiciſſe voculam illam SICVT minime hoc velle, vt comparatorum alterum altero non maius, alterum altero quoque minus nō ſit. Nam Pſal. 86, præſentis vitę gaudiū confertur cum læticia Meſsorum. Et Iſa. 9 militum exultatio quando capta præda diuidunt ſpolia aſsimilatur futuræ fælicitati, per hac ipſam dictionē SICVT. Quis vero tam demēs ſit, qui non illam læticiam maiorem hac exiſtimet, quantumuis ad illā hæc comparetur, & aſsimiletur? Adde in nouo Teſtamento præcipitur nobis vt perfecti ſimus, SICVT & pater noſter cæleſtis perfectus eſt, Luc. 6. An ideo quiſquam patris perfectionem plenè conſequi poteſt? quoniam ſicut ille perfectus, ita & nos perfecti eſſe debemus. Heb. 3. Conferuntur & aſsimilantur Moſes, & Chriſtus, & Chriſtus dicitur fidelis fuiſſe in domo eius, ſicut Moſes. Ex qua vtriuſque comparatione ſi Iacobus ſuo more concludere non erubeſcet, ſcilicet, Chriſti fidem maiorem fide Moſis erga Deum non fuiſſe: vel ipſius etiam Pauli, hanc compatationem ponentes, correptioni ſubiacebit. Eodem enim Apoſtoli loco conſequentur Apoſtolus quos in aliquo aſsimilauerat, diſcernit in eo quod Chriſtus fidelis in domo fuerit tanquam filius, Moſes vero tanquā ſeruus. Eundem

Fidelis Moſes, fidelis Chriſtus, ſed modo diuerſo.

dem in modo Sacerdos cum Sacrificia Chri ſti cum veterũ victimis ſacrificijſq; aſsimulat, de Chriſto tãquam de filio, de alijs quibuſcunq; tanquam de ſeruulis herilis filij loquitur. Verum quoniam quod in ſcholis nõ dicit Iacobus, etiã in S. Scripturis non animaduertit, ex Eccleſię Catholicæ doctrina accipiat vnde errorem ſuum corrigat. Hic Albertum dicentem audiat: Sicuti ſiue vti, non notat æqualitatẽ, quia illud multo acceptius eſt illo: & illud non fuit acceptũ, niſi in fide iſtius, Et ideo Aduerbiũ notat relationẽ reſpectus ad typum, ad reſpectũ ad veritatẽ, & ſic notat non ęqualitatẽ ſed tantum ſimilitudinẽ, qualis poteſt eſſe typi ad veritatẽ. Hæc eſt doctrina Eccleſię de hiſce ſacrificijs Chriſti & veterum, quæ quantum à tua opinione diſtet, ipſe facilè conſideras. *Verba Alberti.*

Eccleſia ſanè Chriſtũ Ieſum caput Redemptorẽ & ſeruatorem ſuum credit ac confitetur, & maiores animorũ gratitates concepit pro tantis ſponſi in ſe collatis gratijs, quã vt vitulorũ caprarumq; mixtus ſauguinibus eius ſalutiferũ cruorem æqualẽ minoremue habeat. Et qui primi hanc petitionem in Liturgiam ſequentibus perpetuis ſeculis repetendam poſuerunt, non ſolum hoc legerunt (crede mihi) quod Abelis Abrahami, & Melchiſedeci ſacrificia accepta grataque fuere, *Eccleſiæ fides & gratitudo in Chriſtum.*

Heb.11. Veram etiam quod in eadem Epiſtolæ ſequenti.12.cap.ſcriptum eſt,intellexerunt: Nempe ſanguinem ſiue ſanguinis Ieſu noui Teſtamẽti mediatoris aſperſionem multo melius loquentẽ quam Abel. Ijdem, ne dubites,ſine te, & priuſquam de te quiſquam ſomniaſſet,de patris in hunc filium beneplacito vocem illam quæ in Baptiſmo ad Iordanem Matt.3.ſupraque montem, Matt. 17.&.2.Pet.1.perſonuit rectè intellexerunt, & quam pater gloriam filio naturali contribuit,nunquam inuidere præſumpſerũt. Itaque ſicut vltro acceſsiſti non vocatus,quaſi neſcio quid incogniti ruſticis tuis inculcaturus,Eccleſiam ignorantię blaſphemięque accuſaturus,ita veluti ingratus hyſtrio cum tuis iſtis fabulis ad tua te recipere potes.

Melchiſedech ſacerdos obtulit ſacrificium.

Cęterum quod negas Melchiſedech ſacrificium obtuliſſe,ſatis pro imperio facis cum Iudęis. Secus vero Eccleſia Chriſtiana ſentit. Fuiſſe Sacerdotem Geneſis liber cap.14. teſtatur, & Apoſtolus Heb 7. Si Sacerdos, ergo & ſacrificium obtulit, ſine quo ne nomen quidem Sacerdotis ſibi conſtat. Oſtende autem quo alio loco ac tempore ſacerdotio functus ſit Melchiſedech, ſi non, de quo Gen.14.habet,ſacrificium obtulit panem & vinum. Et quomodo Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdos ſecundum illum

lum ordinem ſacrificium obtulit, ſi nullum in ordine illo Sacrificiũ fuit? Pater enim filium alloquens: Tu es, inquit, Sacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Sed Melchiſedech & ſacerdotem fuiſſe, & ſacrificia panis & vini obtuliſſe Patrem aſtruamus teſtimonijs.

Cyprianus ſignificata, inquit, olim à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert & vinum. Hoc eſt inquit corpus meum. Idem Eccleſia ad Ceciliũ quæ eſt tertia libri ſecundi. In ſacerdote Melchiſedech, inquit, ſacrificij dominici ſacramentũ præfiguratum videmus, ſecundum quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit. Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinũ. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi & benedixit Abrahã. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat Spiritus Sanctus, in Pſalmis ex perſona patris ad filium dicens: Ante Luciferum genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendẽs, quod Melchiſedech ſacerdos DEI ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis ſacerdos *Cyprianus.*

Dei ſummi, quam dominus noſter IESVS Chriſtus qui ſacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idē quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Hæc Cyprianus.

Euſeb. Cæſar. Succedit huic Euſebius Cæſarienſis de Sacerdote pariter & ſacrificio Melchiſedech, libro 5. cap. 3. De demonſtratione Euangelica ſic ſcribens: Meritò illum à miniſterio Aaron liberat, quod figuram gerebat, & ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotē futurum affirmat. Et ſane oraculi exitus admirabilis, ei, qui contempletur, quemadmodum ſaluator noſter Ieſus, qui eſt CHRISTVS Dei ipſius Melchiſedech ritu, ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille qui ſacerdos gentium erat, nuſquam videtur ſacrificijs corporalibus functus, ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit: Ita ſanè primus ipſe Saluator ac Dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes in omnibus Gentibus, ſpirituale ſecundū Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane & corporis illius & ſaluatoris ſanguinis myſteria repræſentant, quæ ſanè myſteria, Melchiſedech tanto ante Spiritu diuino cognouerat & rerum futurarum imagini-

ginibus vſus fuerat, ſicut etiam Moſi ſcriptura teſtificatur, vt ait: Melchiſedech rex Salem protulit panis & vinum. Erat autē ſacerdos Dei altiſsimi, & benedixit Abrahā. Hactenus Euſebius Cæſarien. A quo non diuerſum ſentit alter Euſebius Emiſſenus in ſermone de paſchate de Euchariſtia ſic loquēs; Sacramenti itaq; huius formam etiam in Iudæorū paginis inuenimus expreſſam. Nā de Melchiſedech in Geneſi legimus: Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abrahæ. Melchiſedech autem fuit ſacerdos Dei ſummi. Hic ergo Melchiſedech cuius genealogia vel origo noticiam illius tēporis latuit, oblatione panis & vini, hoc eſt Chriſti ſacrificiū præſignauit, de quo Propheta pronuntiat: Tu es ſacerdos in æternū ſecundū ordinē Melchiſedech. Hieronymus quoque in 27. cap. Matt. ſcribens, ait: poſtquam typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis commederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verū Paſchæ tranſgreditur ſacramentū: vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoq; veritatē ſui corporis & ſanguinis repræſentaret. Idem in libro de Quæſtionibus hebraicis ſic de eodem ſcriptum reliquit:

Euſeb. Emiſſenus.

Hieronymus.

Melchiſedech autem Apoſtolus ad Hebræos ſine patre & matre cõmemorans ad Chriſtum refert, & per Chriſtũ ad Gentium Eccleſiam. Omnis enim capitis gloria refertur ad membra, eo quod præputium habens Abrahę benedixerit circumciſo, & in Abraham Leui, & per Leui, Aarõ, de quo poſtea, ſacerdotium. Ex quo colligi vult, ſacerdotium Eccleſiæ habentis præputium benedixiſſe circumciſo ſacerdotio Synagogę. Quod autem ait: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech, myſterium noſtrum in verbo ordinis ſignificatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, ſed oblato pane & vino, id eſt, corpore & ſanguine Domini Ieſu. Idem Hieron: Epiſtola ad Euagrium quis fuerit Melchiſedech diſputans, vetuſtiſsimorum patrum ſententias refert, ſic loquens: Verti me ad Hyppolitum Hirenæũ, Euſebium Cæſarienſem, & Emiſſenum, Apollinarium quoque noſtrum, Euſtachium, qui primus Antiochenę Eccleſiæ Epiſcopus contra Arrium clariſsima tuba bellicum cecinit, & deprehendi horũ omnium opiniones diuerſis argumentationibus & diuerticulis ad vnum compitum perueniſse, vt dicerent, Melchiſedech hominem fuiſſe Chananæum, regem vrbis Hieroſolymę, quę primum Salem, po-

ſtea Lebus ad extremũ Hieruſalem appellá
ta ſit, nec mirum eſſe ſi ſacerdos Dei altiſsimi
deſcribatur, abſque circumciſione, & legalibus
Cæremonijs & genere Aaron cum
Abel quoque & Enoch & Noë placuerunt
Deo, & victimas obtulerint, & in Iob volumine
legimus, quod ipſe & oblator munerũ
fuit, & ſacerdos, & quotidie pro filijs ſuis
hoſtias immolarit: & aiunt ipſum quoq; Iob
nõ fuiſſe de genere Leui, ſed de ſtirpe Eſau
licet aliud Hebræi autumẽt. Quomodo autem
Noë inebriatus in domo ſua, & nudatus
atque deriſus à medio filio, typum ſaluatoris
præbuit, & Cham populi Iudæorũ: Samſon
quoque amator meretricis & pauperis
Dalitæ multo plures hoſtium mortuus quã
viuus occidit, vt Chriſti expimeret paſsionem,
omneſque penè ſancti patriarchæ &
prophetę in aliqua re figurã expreſſerunt ſaluatoris.
Sic & Melchiſedech, eo quod Chananeus
fuerit, & non de genere Iudęorum,
in typum preceſsiſſe ſacerdotis filij Dei, de
quo dicitur in 109 Pſalmo: Tu es ſacerdos
in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech
Ordinem autem eius multis modis interpretantur,
quod ſalus & rex fuerit & ſacerdos,
& ante circumciſionẽ functus ſacerdotio,
vt non Gentes ex Iudæis, ſed Iudæi à
gentibus ſacerdotium acceperint; neq; vnc-

Iob unde domo.

Melchiſedech Cananaeus.

tus oleo ſacerdotali, vt Moſi præcepta conſtituerāt, ſed oleo exultationis, & fidei puritate: neque carnis ac ſanguinis victimas immolauerit & brutorū ſanguinem, eorū animalium exta, id eſt, quicquid ſuper eſcā eſt, ſuſceperit: ſed pane & vino, ſimplici puròq; ſacrificio Chriſti dedicauerit, Sacramentū.

Iſidorus. Hactenus Hieronymus, Iſidorus lib. 1. ca. 18 de Eccleſiaſticis dogmatibus ſic ait: Sacrificium autem quod à Chriſtianis DEO offertur primum Chriſtus Dominus noſter & magiſter inſtituit, quando commendauit Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum priuſquam traderetur: ſicut legitur in Euangelio: Accepit Ieſus panem & calicem, & benedicens dedit eis. Quod quidem ſacramentum Melchiſedech rex Salem figuraliter in typum corporis & ſanguinis CHRISTI primus obtilit, primusquam myſterium ſancti Sacrificij imaginariè idem expreſsit, præferens ſimilitudinem Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſacerdotis æterni, ad quem dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundū ordinem Melchiſedech. Hunc ſequitur

Caſſidorius. Caſsiodorus qui explicans verſum illum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ſic ait: Cui enim poteſt veraciter & euidenter aptari, niſi Domino Saluatori qui corpus & ſanguinem ſuum in

panis

panis & vini erogatione ſalutariter conſecrauit? Sicuc ipſe in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius ſanguinē, non habebitis vitā in vobis. Sed in iſta carne ac ſanguine nil cruentum,nil corruptibile mens humana concipiat:ne ſicut dicit Apoſtolus: Qui enim corpus Domini manducat indignè:iudiciū ſibi manducat. Sed viuificatricē ſubſtantiā atq; ſalutarem & ipſius verbi propriam ſanctam,per quam peccatorū remiſsio & æternæ vitæ dona præſtantur. Quem ordinē per myſticam ſimilitudinē Melchiſedech iuſtiſſimus rex inſtituit,quando domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudum victimas perijſe,quæ fuerat ordinis Aarō,& Melchiſedech manere potius inſtitutū,qui toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur. Et Augūſtinus libro 16. de ciuitat. Dei capite 22. Tunc,inquit benedictus eſt à Melchiſedech. qui erat Sacerdos DEI excelſi,de quo in Epiſtola, quæ inſcribitur ad Hebræos: multa & magna conſcripta ſunt. Ibi quippe primū apparuit Sacrificiū, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo, toto orbe terrarum: impleturq; illud, quod longè poſt factū per Prophetam dicitur ad Chriſtū qui fuerat venturus in carnē: Tu es Sacerdos in æternum,ſecundum ordinē Melchiſedech?

Auguſtinus.

Non

Non ſcilicet ſecundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illuceſsentibus rebus, quæ i lis vmbris prænotabantur. Et contra Aduerſarium legis & prophetarum, lib. 1. ca. 20. Hęc quippe Eccleſia, inquit, eſt Iſraël ſecundum ſpiritum, à quo diſtinguitur ille Iſraël ſecundum carnem, qui ſeruiebat in vmbris ſacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare ſacrificium, quod nunc offert Iſraël ſecundnm ſpiritum, cui dictum atq; prædictum eſt: Audi populus meus, & loquar tibi, Iſraël & teſtificabor tibi &c. De huius enim domo non accipit vitulos, neq; de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo ſacrificium laudis non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. De eo enim dictum eſt: Iurauit Dominus & non pænitebit eum, tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinem Melchiſedech. Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchiſedech quando benedixit Abraham, & ſi iam ſunt participes eius, vident tale Sacrificium nunc offerri Deo toto orbeterrarum. Vide eundem lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 17. &. 20. Epiſtola. 95. In Pſalm, 33. &. 109. Epiphanius etiam lib. 2. contra hęreſes', hęreſi. 55. viſum eſt, vt in veteri Sacerdotio ſacerdotalis dignitas nõ conſtituatur. Verũ ad id, quod ante Leui & ante Aaron fuit ſecundum ordinem

Epiphanius.

Mel-

Melchiſedech Sacerdotium transferatur, quod ſane nunc in Eccleſia viget à Chriſto, & hucuſque. Chryſoſtomus oratione 4. contra Iudæos apertè ſcribat Melchiſedech ſua oblatione typum geſsiſſe ſacerdotij noſtri. Cuius abbreuiator Theophilactus manifeſtum eſſe ſcribet, quod Chriſtus tunc immolauerit ſeipſum ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum: Tunc enim functus eſt, inquit ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech. Damaſcenus lib. 4. ca. 4. Pane & vino, inquit, ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat Sacerdos Dei altiſsimi: illa menſa hanc myſticam præfigurauit menſam: Sacerdos ille, CHRISTI veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginẽ: Tu es, inquit, ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Et Arnobius ante mille trecentos annos in eum Pſalmi 109. verſum: Tu es ſacerdos in æternum, ita de CHRISTO loquitur: Hic qui per myſterium panis ac vini ſacerdos factus in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Denique ex recentioribus Rupertus lib. 5. de Trin. cap. 14. At vero Chriſtus, inquit, rex Salem. i. pacis, rex inquam. denique pontifex magnus, illorum

Chryſoſtomus. *Theophilactus.* *Damaſcenus.* *Arnobius.* *Rupertus.*

talium hominum diebus natus ſacerdotio ſuo functus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech: protulit enim panem & vinũ dicẽs. Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: & ſic obtulit ſemetipſum pro fideli Abrahã verum ſacrificium. Quin ex Iudęis quoque audimus vel vnum illum Rabbi Samuel ad Iſaac de Chriſto loquentem ante quingentos quinquaginta annos: Secundum, inquit, quod Dauid dicit de eo (Chriſtũ intelligit) ipſe eſt ille, cuius ſacerdotium in æternum erit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit rex & ſacerdos Dei altiſsimi ante Aaró. Et attende, domine mi quanta ſit differentia inter ſacerdotium Aaron, & Domini iuſti illius: Dixit Dominus domino meo, tu es ſacerdos in æternum. Sacrificium Aaron, fuerunt carnes: & ſacrificium iuſti iſtius domini fuit panis & vinum, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech.

R. Samuel.

Vides manipulum veteranorum ex caſtris Dei viuentis contra te contra Oſiandrũ atq; Zvvinglium, à quibus duobus hæc tua negatio de ſacrificio Melchiſedech orta eſt, productum? Illi omnes, vti audiuimus, vno quaſi ore de ſua quiſq; ætate teſtantur, Melchiſedech ſacerdotem fuiſſe, & panem & vinũ deo obtuliſſe, redeunte Abrahã à cæde hoſtium: Deniq; Chriſtum hoc panis & vini ſa

crificium,

crificium, antiquatum, ſcilicet, corporis & ſanguinis ſui in vltima Cæna renouaſſe, atq; in nouam legẽ aſſeruiſſe. Iudicet hic æquus lector, in quorum ſententiam tutius deſcendatur: In eorum ne, qui ante nos vixerunt, horum certaminum ignari obierunt, cũ longa temporum ſerie vnam veritatem confitẽtes & aſtruentes: an vero in eorum potius, qui in paucorum magiſtrorum verba iurarunt?

Tertia accuſatio. Sed ad tertiam accuſationem veniamus: in qua Sacerdote his verbis ad Deum orante: Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, in ſublime altare tuũ, in conſpectu diuinæ maieſtatis: Cælum ac terram Iacobus clamoribus implet? Negari ſcilicet per hæc aſcenſionẽ Chriſti, quem per Angelũ nunc demum in cælos euehi poſtulet: Aut certe nouum aliquem conſtitui CHRISTVM: & neſcio quę alia multa vociferatur. Sed reſpondeo. *Reſponſio.* Primum non bona fide ſicut bonum virum decebat Sacrifici verba citat, idque duobus modis. Nam ſacerdos neque Chriſtũ hoc loco, neque cęlum in quẽ Chriſtus aſportandus ſit vlla voce exprimit. Sed Iacobus dicit Sacerdotem orare vt Chriſtus perferatur per angelum in Cælũ. Fingit igitur ac dicit Sacerdoem dixiſſe, quod ille tamẽ non dixit. Loquitur autem orãs de pane ſan-

ſancto vitæ æternæ, & calice ſalutis perpetuę de quibus etiam reliqua priora vult intelligi. Et panis iſte nos omnes ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Hũc panem & hunc calicem petit perferri (ſine vlla mentione cæli) in ſublime altare Dei, & in conſpectum diuinæ Maieſtatis. Iam ſi in cælo tantum hoc altare inueniretur, ſi in cælo hic diuinæ Maieſtatis conſpectus ſolummodo eſſet, rectè concluderetur, peti vt in cælũ propoſita perferantur. Sed quia conſpectus hic diuinus nuſquam non eſt, arbitramur & ipſum altare vbique eſſe, vbi Deus per gratiam operatur. Ac ſumpta eſt hæc loquẽdi forma ex 9. cap. Apocalyp. vbi mentio fit altaris aurei, quod eſt ante conſpectũ Dei. Et eiuſdem libri ca. 8. deſcribuntur Angeli ſtantes in conſpectu Dei, ex quibus vnus & alter orationes ſanctorum ſuper altare aureum offert. Sicut etiam in Iſaia 6. cap. ſolium & in eo ſedens, & altare & angelus de altari carbonem tollens & prophetę labia purgãs deſcribitur. verum non additur vbi viſum ſit hoc altare. In 21. cap. eiuſdem libri noua ac ſancta Ieruſalem deſcendens de cælo videtur, quæ nomẽ meretur quod ſit tabernaculum Dei cum hominibus. In hac tamen neq; templũ neq; altare videtur, niſi quod Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus.

Altare Dei ſublime.

Sancta Hieruſalem.

Con-

Conuerto igitur me ad Pſalmorum librum, vbi itidem altaris iterum atque iterum ſit mentio, & obſequens admonitioni Moſis Deut.32.interrogo maiores noſtros vt dicãt mihi quod ſit. & vbi ſit altare, reſponſum ab omnibus quaſi ex vno accipio, quod Chriſtus ſit altare in quo & per quem offeramus hoſtias laudis, fructum labiorum noſtrorũ. Heb.13.Nec licet nobis quicquam hoc altare dicere,præter Chriſti humanitatem:cum & Spiritus ſanctus teſtatur Deum omnipotentem,agnum,templum eſſe:vtique & altare.Quemadmodum ergo Beatus Bernardus de ſolio loquens quod in Iſaia cap.6.cum ſedente in eo viſum eſt,ſcribens:diſce,inquit, ex his quę audis ſolum non machinam imaginari corpoream:ſed Angelicam intelligere naturam.Si enim ſedes eſt ſapientiæ anima iuſti,quam dignior ſedes Angeli ſancti? Hoc plane ſolium gloriæ eius excelſum per naturam,ſed multo magis per gratiam eleuatum:Ita ſanè hoc loco non imaginandus aliquis remotior locus eſt in quo templum hoc atque altare conſtructum ſit:templum enim & cęlum altitudine,& terrę centrum profunditate, & orbis totius ſuperficiem latitudine excellit.In hoc templo, quod eſt Eccleſia ſcilicet tabernaculũ Dei cũ hominibus, eſt altare triplex, quod idem Bernardus mate-

Bernardus.

A a riam

riam veterum altarium obſeruans, pulchrè inſinuat: primum diuinarum ſanctionum expletio: quod fit de lignis cethim in deſerto: alterum beatorum multiplex aduocatio, quod fit de lapidibus viuis, quos ferrum nõ tetigit, tertium redemptoris CHRISTI humilis incarnatio, quod fit de terra. Hanc carnem quam de terra ſumpſit apud Ioannem templum vocat, quod ſolutũ in tribus diebus ſeſe excitaturum predixit atq; promiſit. 2. capite. Super hoc altare patri ſuo dilectam animam in manus ſuas obtulit, cum ingenti clamore veniam malefactoribus nobis pro ſua reuerentia obtinens: Matthęi capite 27. & Hebręos. 5. Super hanc eandem, & in hac, & per hanc in omni loco apud patrem vota noſtra, petitiones, laudes, gratiarum actiones, imo & nos ipſos gratos acceptoſque reddere contendimus. Miror autem, Iacobe, quam ob rem hoc tu altare cælo tantum videaris dignari, & non etiam omnibus templi huius locis: quandoquidé apud te maiorem te habeas, qui aſſerit Chriſtum carnis ſuæ pellem ſicut cælum vbique terrarum extendere, falſus opinor ſonitus ſimilitudine, Pſalmi. 103. vbi dicitur quod Deus extendat, non pellem ſicut cælum, ſed cælum ſicut pellẽ. Etenim ſi ſicut cælum ita & pellem carnis ſuę Chriſtus Ieſus extendit,

& caro

& caro ipſius altare hoc noſtrum eſt, non ſanè neceſſe erit in cælum tanquam in ſuperiorem aliquem à nobis locum ſufferri panē illum factum vitæ æternę, & calicem ſalutis perpetuæ cum vbique ſit altare hoc, & per conſequens etiam conſpectus Dei. nam in conſpectu Dei illud ipſum altare eſt.

Sed orauerit ſanè Sacerdos atque vt in cælum perferreretur hic panis atque calix, poſtulauerit, nunquid vt ita fieret in myſterio obiter olim quibuſdam placuit, & non potius prudentiſsimo Conſilio ita conſtitutum fuit, ſacris Scripturis neceſsitatem eius faciendi oſtendentibus? CHRISTVS de aſcenſione ſua ac noſtra pariter Ioan. 3. capite loquitur dicens: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Quæ verba hoc palã ſignificãt, quod nemo hominum aſcendat ad cælos, niſi vnum corpus, vnus panis & vnus calix cum Chriſto factus. Prȩter eum enim nemo aſcẽdit. Quod cũ ita ſit, omnibus hæc vna ſalutis ratio relicta eſt, vt fiãt membra huius filij hominis, & vnum cum eo, vt quod ex ſe ac per ſe non poſſunt, coniuncti atque adeo vnum effecti cum illo, aſcendãt. Quod quo modo fieri poteſt Auguſt. lib. de Baptiſmo paruulorum docet. Et nemo aſcẽdit in cȩlum: quaſi dicat, ſic fiet generatio Concesſio. Aug.

ſpiritualis, vt ſint cæleſtes homines ex terrenis, quod adipiſci non poterunt, niſi membra mea efficiantur, vt ipſe aſcendat qui deſcendit, non aliud deputans corpus ſuum ſcilicet Eccleſiam ſuam, quā̄ ſeipſum. Et rurſum per vnitatem enim perſonæ qua vtraq; ſubſtantia vnus eſt Chriſtus & filius Dei, ambulabat in terra, & idem ipſe filius hominis manebat in cælo. Fit ergo credibiliorum fides ex incredibilioribus creditis. Si enim diuina ſubſtantia longè diſtantior potuit propter nos ita ſuſcipere humanam ſubſtantiam, vt vna perſona fieret, quanto credibilius alij ſancti fiunt cum homine Chriſto vnus Chriſtus, vt omnibus per gratiam aſcendentibus, ipſe vnus aſcendat in cælū qui deſcendit de cęlo. Et Gregorius quia enim nos vnum cum illo iam facti ſumus, vnde ſolus, redit in nobis, & is qui in cælo ſemper eſt, ad cælum quotidie aſcendit. Sicut, inquit Beda, ſi aliquis homo nudus de monte ad conuallia deſcendat, & aſſumptis veſtimentis & armis ad eundem montem aſcendat, rectè ipſe idē qui prius deſcendit, aſcendiſſe perhibetur. Itaque cum hoc in voto Sacerdos habet, vt membra ſimus vnigeniti filij DEI atque hominis, atque vnum cum illo effecti in cælum aſcendamus: quo ſpiritu ducatur, ac quem ſibi vitæ terminum conſtituerit is, qui hoc

Gregorius.

Beda.

qui hoc Sacerdotis votum atque orationem ſugillat, prudentes facile intelligunt.

Sed forte Angelorum vires dolet, qui tantis laboribus fatigentur in cælos deferendis ijs quæ in myſterio ſunt propoſita? Verũ ne te hæc res excruciet valde: Affirmas tu corpus & ſanguinem ſumere nos cænamque in cælo celebrare. Quid ſi t Sacerdos hæc ſuper panem & calicem repetens, non tam longe abſit à cælo, a que Chriſto qui iam aſcendit a que conſpectu diuinę Maieſtatis quam fortaſſe tu rere? Noſtra autem conuerſatio eſt in cælo, de ſe atq; alijs teſtatur Apoſtolus, Philip.3. Si illorum quotidiana conuerſatio in cælis fuit quanto magis Sacerdotis pij oblatio, in qua veluti extra ſeipſum raptus in alium virum conuertitur? Et enim cum ingenti gloria ac maieſtate Chriſti hoc omnes atq; libenter fatemur, quod extra ipſius corporis conſortium, nulli ad cęlum pateat aditus, quantumuis pio, quantumuis ſancto, atque mirabilium effectori. Quam ob rem omnes vota noſtra per os sacerdotis deo reddimus poſtulantes vt quoniam Chriſtus promiſit dicẽs. Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum, Ioan.12. in ipſo nos vnum effectos tractu benignitatis eius, propter ipſum caput ſuſcipiat & capitis membra ad ſe. Atque hoc dum poſtulamus, id volumus ac petimus;

Angelorum miniſterium in ſacrificio.

Quid oremus in ſacrificio.

timus;primò vt ſtolæ noſtræ lotæ ſint in ſan guine agni,Apoc.7.quoniam nihil coinquinatum introibit in corporis huius gloriam, Apoc.21.Deinde vt partem habeamus ſanctorũ, Coloſſ.1. Tertio vt communicationẽ S.Sancti in ipſo habeamus, 2.Cor.13.Quarto vt omnes ſub crucis vexillo per anguſtã viam ambulemus.Matt.7.Luc.9. Quinto vt vitæ ianuam quantum in nobis eſt clauſam Matth.25.adintroeundum in requiem Dei, Pſal.94.Heb:4.reſeratam atque apertam offendamus:Imo ſit ipſe Chriſtus ianua nobis & ianitor,vt per ipſum liceat & ingredi & egredi paſtum animas noſtras,Ioan.10 : Sexto, vt ea ſit puritas atque mundicia noſtra, quæ digna iudicetur ſequi agnum quocunque ierit,Apoc.14.inque eodem pacem habeamus Ioan.16.Rom.5.quam mundus non dat Ioan.14.Septimo vt ſecundũ quod Dauid precatur Pſal.42. emittat Deus Lucẽ ſuam & veritatẽ ſuam quę nos deducãt & adducant in montem ſanctũ ſuum,ad taberna cula,vbi ipſius ad altare illud ſublimę maieſtatis,imo ad ipſum Maieſtatis Dominũ introire liceat, qui lætificat iuuentutẽ noſtrã. Octauo vt per Chriſtũ acceſſum habeamus ad patrem Ephe. 2, vt quẽadmodum vnum cum Chriſto effecti in myſterio, ita cum patre vnum efficiamur in veritate, Iaon. 17. vt

cum

cum tradiderit regnum Deo patri, ipſe pater vt in omnibus ita, & in nobis ſit omnia maneatque 1. Cor. 15. Hęc omnia atq; eiuſmodi alia multa ſacerdos votis petitionibusq; ſuis includit. quę nemo nō pius quotidie atq; ardéter à deo opt. Maximo efflagitare debet.

Neque tamen per hæc Chriſti aſcenſio negatur ſicut neq; per hoc, quod docemus, panem & vinum tranſmutari in corpus & ſanguinem Chriſti ſedentis ad dextrā Dei, eandemq; ſumi in terra. Quod ſi nō capis, cogita ſimilia de ſe ipſo dixiſſe Chriſtum, Ioā. 3. Quis enim hoc quomodo ſit intelligit, quod loquens in terra, dicit, ſe eſſe in cælo, & nihilominus aſcendere adhuc in cælū? Attingit enim vtroſque cæli & terræ terminos, & nihilominus implet media. Credimus & confitemur, quod Chriſtus Ieſus ſedet à dextris Dei, Marc. 16. Verumtamē Stephanus vidit eum ibidē ſtantē Act. 7. Paulus in aëre quiritantem audit Act. 9. Petrus audit eum euntem Romam vt iterum crucifigatur, Egeſip. lib 3. ca. 2. Et quid loci intercapedinem imaginaris inter cælum & terram cum de Sacerdotis Catholici facto dictoue ſermo eſt, & non eā imaginaris in tuo Scripto? Dic enim mihi de te ipſo: quomodo tu hic in terra manēs in cælo tamē paſceris corpore & ſanguine Chriſti? Scribis enim 4. Arti. fol. 15. pag. 2.

Aſcenſio Chriſti non negatur.

Regeſsio.

in hęc verba: cum de cæna ſancta loquimur, manducamus corpus Chriſti in cælo, & ante conſpectum patris. Aut hoc potius dic, quomodo verũ ſit, quod dicis fol.16.pag 2. quod vnus ille verus Chriſtus cũ carne ſua ac ſanguine in cælo eſt, & ita cibat nos carne ſua in Vra, vt tamẽ cęlum non relinquat. Vt contraria dictorum miſſa faciam: hoc ſane manifeſtè affirmas, quod vos & in cælo & in terrra ſimul ſitis, vt quos Chriſtus vtroq; loco paſcat ſimul. Neque enim in cælo paſcere poſſet eos, qui non ſunt in cælo. Quod ſi ex animo ſcribens, iam non hoc ſolum verum eſt, quod Chriſto Dei filio ſecundum humanitatem ſuam in cælo ſimul atque in terra eſſe poſsibile eſt verumetiam quod idem homini mortali non impoſsibile. Itaq; quid facias, ſi Sacerdos Catholicus affirmet, ſe eo modo corpus Chriſti in conſpectu diuinæ maieſtatis ſuper altare illud ſublime repreſentare, eodemq; paſci in cælo, ſicut tu dicis vos eodem veſci in cælo: ille in Miſſa, tu in cæna? Itane tam inuidus fraterculus eris, vt tibi tãtum cum tuis cælum vindices, vt ſolus epuleris in aula illa vniuerſitatis, abundans delicijs domus vbertatis eius: fratres vero reliquos, ac conſortes eiuſdem regni eijcias foras, in hæc inferiora detrudens? verum ſi in manducando bibendoque veſtro in cælo,
ſcili-

ſcilicet,non eſt imaginanda loci intercapedo, quid eã imaginaris,imaginandamq; doces in noſtro repręſentando commemorandoque?Quid ſicut tu nugaris per Sacerdoté Chriſti aſcenſionem,quæ ſemel facta eſt, negari:ita de te aliquis dicat,per te reſurrectionem carnis negari, quam iam factam atq; in te tuiſque completam imaginaris, & qui iam nunc in cælo ſedeatis ad menſam,& habeatis tranſeuntem inter vos & miniſtrãtem paſcentemque Chriſtum,Luc.12? Rides an indignaris?At qui talem omnino affectũ facit tua argutatio:precatur Sacerdos ante altare,vt panis ſanctus vitæ æternæ & calix ſalutis pepetuæ angelorum miniſterio offerãtur ſuper altare Dei,in conſpectum diuinæ Maieſtatis:Ergo neget aſcenſionem Chriſti aut nouum aliquem Chriſtum habet. Quis hic non inſignem laudet Theologum & Dialecticum? Sed fruere tamen Iacobe bonis tuis in medio etiã cælo. Veniet aliquando, vt auguror, qui ne inter inuitatos quidem nuptiali veſte exutũ paſſus eſt accumbere. Interrogabit non vocatum expugnatorem cæli. Amice quomodo huc intraſti?Matt.22.

Interim Sacerdos Catholicus Maieſtaté diuinã venerans,indignum ſe reputans qui coram adſit Deo, per angelos panem hunc ſanctum & calicem perferri rogat, nó quaſi

Chriſtus tanquã caput eorum miniſterio indigeat, per quos perferatur illuc, ſed quod dum in hac mortali vita degeret, frequentes eos circa ſe habuerit Matth. 4. & quod ſint adminiſtratorij ſpiritus, miſsi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis, Heb.1. Et in veteri quoque teſtamento inter Deum & homines Geneſ.28, tum inter homines etiã Tob.12. nuncij fuerunt, qui ſolẽt hominum vota atq; orationes atq; elemoſynas in conſpectu diuinę Maieſtatis pręſentare, atq; à Deo bona quæuis referre hominibus. Act. 10 Apoc.5.&.8.

Concluſio. Habes rationes & fundamẽta, quibus Sacerdotis hę preces innituntur. Habes accuſationũ tuarum refutationẽ, quod quidẽ ad hunc Articulũ attinet. Ac ne quis nugis tuis inductus vllã Chriſto eiuſq; Aſcenſioni iniuriam à ſacerdote fieri opinetur: vt omnibus de vanitate tuarũ accuſationum conſtet, non pigebit huc alias quaſdã preces ac doxologias apponere, quę in ipſo etiam myſterio ad altare per ſacerdotẽ celebrantur, ex quibus, vti ſuperius etiã ex ipſis accuſatis orationibus factũ eſt, palam cõſtare poteſt, quã piè ſentiamus de aſcẽſione, cũ quanta religione commemoremus eam ac in quẽ finem cætera dicat oratione ſacerdos. Primum enim eo die quo feſtũ diem Aſcenſionis celebramus, his verbis

Orationis Eccleſiæ aſcenſionem Chriſti teſtantia.

verbis orat: Concede quęſumus omnipotẽs Deus vt qui hodierna die vnigenitũ tuũ redemptorẽ noſtrum ad cęlos aſcẽdiſſe credimus: ipſi quoq; mente in cæleſtibus habitemus. Ex hac oratione vel cęco perſpicuũ eſſe poſsit, nullo modo negari aſcenſionem, quam ſe palã credere confitetur. Deinde in Sequẽtijs, ſummi (canit) triumphũ regis proſequamur laude. Et poſt nõnulla. Deniq; ſaltum dederat hodie maximũ nubes poloſq; cruſu pręperi tranſuolans. Celebret ergo populus hũc diẽ credulus, cuius morbida ydithim corpora in ſemetipſi altis ſedibus cælj inuexit Dei filius, Et tremens iudicẽ expectat affuturum, vt duo angeli fratres docuerunt. Qui Ieſus à vobis aſſumptus eſt in cęlum, iterũ veniet vt vidiſtis eũ. Iam ydithim noſtrũ vocibus ſedulis oẽs imploremus, vt à dextris patris qui ſedet ſpiritũ immittat nobis ſanctũ, In finẽ ſeculi ipſe quoq; ſemper ſit nobiſcum. Hanc doxologiã ac precationẽ diligens lector conferat cum Iacobi calũnijs atq; accuſationibus, videbit quod ad ſũmam fidem profeſsionemque in ea nihil factũ ſit reliqui: Quo magis miranda eſt Accuſatoris ſtulticia, qui exiſtimet fore homines Chriſtianos, qui credãt Sacrificantẽ negare Aſcenſionẽ Chriſti quã vident tam rotundo ore palã à Sacerdote confeſſam ac creditã.

Sed

Sed habent pij in hoc articulo vnde inſolentes Accuſatoris clamores cõpeſcere poſſunt. Eſt enim Chriſtus caput noſtrum, nos membra illius, caro de carne eius, & os ex oſsibus eius: vtrique panis ſanctus vitæ ęternæ, & calix ſalutis perpetuæ, ab hoc capite atque corpore nemo auelli ſe ſuſtinet. Quãdo quidem præter illud ſalus nuſquam vlla eſt. Et quia Chriſtus in hac terra patrem pro nobis rogauit, tanquam corporis ſui membris, arbitramur officij noſtri vt cum Chriſto ipſi etiam oremus pro nobiſmet ipſis. Et licet nos in ipſo, & ipſe in nobis, vnũ corpus ſimus: cum tamen patris faciem atque conſpectum ſuper hunc panem vitę ęternę & ſuper hunc calicem ſalutis perpetuæ deuocamus, non ita diuinitatem Chriſti à patre reuellimus, vt non ſit vnum cum patre, aut relinquat patrem: Sed eundem etiam ipſum Chriſtum cum patre ac Spiritu ſancto vnum rum Deũ inuocamus, vt in hoc corpus ſuum nota benignitate reſpicere dignetur, cũ petimus ſuper altare illud ſublime, in cõſpectũ diuinæ Maieſtatis in ipſo præſentari. Quod factum Sacris literis, totius Chriſtiani orbis doctrinæ, fidei, atque confeſsioni tam cõſentiens eſt, vt etiã aduerſus in fero rum portas, nedũ contra vnius atq; alterius hominis calũnias nõ dubitemus facile poſſe ſubſiſtere,

Quam

Quam ob rem omnes Chriſtianos qui ſuæ curam ſalutis habent hortor ac moneo ne quis ab hoc ſe capite atq; corpore ſegreget, nemo ſe gratiæ diuinę ſubtrahat, nemo ab reconciliationis munere in Eccleſia ſeſe ſubtrahat: Sed feſtinemus illuc omnes conuolare, vbi panis ſanctus vitæ æternæ, & calix ſalutis perpetuę, proponuntur ac propinantur eſurientibus ſitientibusque. Vbi lumen, in quo qui ambulat non offendit: vbi Spiritus, vbi libertas, vbi recõciliatio, vbi aperta ſunt vulnera Chriſti, omni deſideranti in ea tutum refugium, in quo neque mundus neque infernus neque mors quicquã poſſunt.

ARTICVLVS QVINTVS DE SACRIFICIO.

IAm porrò in hoc quinto Articulo Iacobus duas orationes, quarum altera in capite, altera in Canonis fine inuenitur, taxat atroque lapillo notat. Quas ita, vt in canone leguntur, huc apponere placuit: Prima hæc eſt: Memento Domine famulorum famularumq; tuarum, &c. Et omnium circumaſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ,

Eccleſiæ oratio prima de ſacrificio.

ſuę,tibiq́; reddant vota ſua ęterno deo,viuo & vero. Altera ſic habet: Placeat tibi ſancta Trinitas obſequiũ ſeruitutis noſtrę, & pſta, vt hoc ſacrificium laudis ꝙ indignus ego diuinę maieſtatis tuę oculis obtuli,ſit tibi acceptabile,mihi & omnibus,ꝓ quibns illud obtuli,te miſerante propitiabile in vitã æternã. Hiſce precibus abominationem ineſſe clamat,cui nemo Chriſtiãus,niſi abnegata fide, in quam ſit baptizatus, præſto adeſſe queat.

Oratio ſecunda.

Etſt autem ipſe duo accuſationis capita ex ijsdem hiſce precibus colligit, nempè de eo quod offertur:& deinde, in quem finem idipſum offeratur : de ſolo primo tamen in hoc Articulo tractat:Alterum in ſequentem Articulum reijciens.Quam obrem etiam reſponſio vtriusq́; diuidenda, & ad primũ accuſationis caput in hoc articulo,de altero in ſequenti dicendum eſt. Quod antequã aggrediar,prius illud conſiderandum venit,ꝙ in hiſce precibus eius perſona apertè deſcribitur,cui ſacrificium offertur:Nempe ſancta Trinitas:In qua cum Chriſtus ſit vna perſona,& ſacrificium cũ Patre ac Spiritu ſancto ſimul ſuſcipit (id quod ſupplicans ſacerdos tantopere poſtulat)vehementer ſanè miror, qua fronte ſacrificantem accuſare auſus ſit Iacobus,quaſi ex Chriſto peccatorẽ faciat, cui indignatus ſit pater deus, & quem in

Diuiſio huius articuli.

Cui ſacrificium offeratur.

Miſſa

Miſſa per ſuas preces in patris gratiam reſtituat,vt ſit ei propitius. Vtrunque ſanè ſimul conſiſtere nequit,vt ſit Chriſtus vna in ſacro ſancta illa triade perſona, Patri Sprituique ſancto per omnia æqualis Maieſtate,potentia;ſanctitate,&c. Et ſimul ſit idem etiã peccator, in indignationem patris conſtitutus, iram meritus,& ſacrificantis tanquam interceſſoris patrocinio egens. Ac cum ſacerdos quidem preces ſuas ad Chriſtum IESVM verum viuentis Dei filium, Deum ipſum dirigit:eumq;,vt ſacrificium cum patre & Spiritu ſancto in vna S.S. Trinitate atque vnitate ſuſcipiat,orat: peccatorem vero, vel qui in indignationem patris conſtitutus ſit, vel vllius patrocinio indigentem, nuſquam dicat aut vocet:per hoc ipſum manifeſtum eſt, & ſacrificantem rectè pieq;de Chriſto Domino ſentire,& te Iacobe ſine cauſa immerentem fictis criminibus calumnijsq; impetere. Sed hæc facultas illa veſtra eſt, hæ artes veſtrę: fictis criminibus inſontes per inuidentiam grauare,quos veritate à dignitatis ſtatione non poteſtis depellere. Hęc ſola gloria vos veſtramq; in Rempubl. Chriſtianam ſtudia poſteris in ſempiternũ reddet cómendatiora. Sed ad cauſæ caput veniendum eſt.

Diſtinguuntur in rebus creatis gradus quidem perfectionum cuiuſq; rei, quorum

primus

primus eſt, habere eſſe, & hic gradus cõmunis eſt omnibus creatis. Alter eſt viuere, & hic plurimis ineſt, tertius ſentire, & hic in multis inuenitur. Quartus denique intelligere, qui quidem in corporalibus ſoli homini competit, Nam tribus reliquis cum inferioribus Creaturis participat: quarto vero cum Angelis atq; Deo factorè ſuo. Sicut ergo in corporis omnes Creaturas ſuperemi-net homo: habens in ſe tria etiam inferiora, quibus reliquam res conſtant: ita maiori prę reliquis Creaturis ratione obligatur DEO factori ſuo, Iuſticia dictante, tantum debere quemq́ue datori ſuo, quantum acceperit. Et quia per id, in quo ſupereminet alia, cognoſcere poteſt, ſe hanc prærogatiuam habere, & habere quidem non à ſe ipſo, ſed ab alio (quæ quidẽ cognitio alijs denegata eſt, vnde nec afficiuntur acceptis, nec vllum gaudium ſentiunt) iam hoc etiam agnoſcit, quod cognoſcendus ſit largitor earum rerũ, cognitus quęrendus, quęſitus & inuentus, honorandus. quodque ipſi adhærendum, inque ipſo acquieſcendum eſt, tanquam ſupremo opifici, ac ſummo bono. Etſi enim honorandus colendusque ſit Deus. vel hoc ſolũ nomine, quia Deus, hoc eſt, ſummum bonum eſt, conſideratio tamen dé acceptis beneficijs excitat hominem ad pręſtandum officiũ

Deo.

Deo. Nam in largiente Deo, prouidentiam liberalitatem iuſticiam bonitatem: In accipiente neceſsitatem, vtilitatem, in accepto munere (extra ſe) magnitudinem, perpetuitatem, ordinem, conuenientiã: intra ſe corpus pulcherrima harmonia benè conſtitutum, & animam intelligentiæ, libertatis, atq; immortalitatis participem, inuenit. Et quidem cum largitor Deus, ſummus, æternus, ingenſq; ſit, intellectus hominis docet, eum ab homine ſummè perpetuo, atque in humilitate colendum eſſe. Sicut etiam ipſa bona accepta, non tantum qualis ſit Largitor indicant, verum etiam quid Largitori & quomodo reddendum ſit admonēt, nempe bono ſummo, meliora maxima. Et hæc cognitio cum à natura ſit homini indita, naturæ inſtinctu homines Deum ſemper coluerūt, & venerati ſunt. Sicut Gen. 4. de Cain & Abel. Gen. 8. de Noë Gen. 13. de Abrahã. Gen. 14. de Melchiſedech. Gen. 28. de Iacob. & Iob. 1. cap. de Iob ſcribitur. qui omnes Deū Largitorem & agnouerunt, & coluerunt, ſine vllo præcepto Dei, natura eos ad id hortante. Cuius lex cum participatio quædam ſit Legis æternę & impreſsio diuini luminis in homine tanquam Creatura rationali, qua incitatur ad debitum actum & finem, eam ob rem deo ipſoruum cultum placuiſſe am-

Quæ circa dona Dei ſint conſideranda.

Quo modo quibuſque rebus Deus colendus ſit.

Vnde Dei cognitio, & cultus.

Natura.

bigendum non eſt,atque adeo naturale homini ſemper fuit Deum colere,vt etiam à veri dei cognitione aberrantes,actum tamē aliquē cultus ſeruauerint, atque ijs impenderint,quos cęci Deos putarūt.Id quod in Exodo,vbi vituli fit mentio,& in omnibus Gētium hiſtorijs manifeſtum eſt. Nec quilibet omnibus in Lege naturali erat,inque cuiuſuis arbitrio poſitū cultū,lege aliquando lata abſtulit correxitue Deus,niſi vbi iam homines à vera veri Dei cognitione cultuque defeciſſent, & ad idololatriā lapſi fuiſſent, eoque peccando contra Deū pugnatum fuiſſet, vt iā relicto naturali vſu,eum qui præter & contra naturam eſt vſum ſequerentur. Gene.18.Tunc demum præceptis Deus abuſum correxit,cultum non abſtulit,ſed mirabili ſapientia homines ab idolis ad ſe vnum venerandum colendumque reduxit:ea maximè animalia in vſum cultus ſui adhiberi præcipiēs,quæ idololatræ ipſi Deos eſſe reputabant & colebāt,præcipuè quadrupeda. Sic Exod.8.diciturAbominationes AEpypti immolabimus Domino.Itaq; tunc demū per ſcriptam Legem Natura correcta,& cultus vnius veriq; Dei auctus reſtitutusq;fuit, ſicut in Moſe omnia pręceptis de cultu atq; Cęremonijs referta ſunt. Et Iſaię 56.multa pomittuntur ijs,qui adhærent Domino, vt colant

Cultus Domini à natura inditus.

Quæ animalia & cur in cultu Dei adhibita:

colant eum, & diligāt nomen eius, & ſint ei in ſeruos. Conſtat igitur tam in lege Naturæ, quā in ſcripta aliquem ſemper fuiſſe cultū Deo Opt.Max.exhibitum. Cum autē eiuſdem huius cultus fundamentum & ratio ſit ipſe Deus (per ſeſe colēdus) & tam multa ac ſplendida dona quæ à Deo, largitore donātur; rectè illi ſentiūt, qui inter Chriſtianos quoque certum aliquem Dei cultum neceſſario conſtituuunt, ad quem & natura, & lex & ipſa Iuſticię ratio hortantur & inſtigant.

Semper aliquis Dei cultus fuit.

Sed quæritur quis ſit ille cultus, quē Deo iure ac meritò exhibeamus. Et facilis eſſet reſponſio, ſi nō quos melioribus ſtudijs decebat occupatos eſſe, ad comminiſcenda noua dogmata quā ad conſeruanda olim recepta ſtultè paratiores eſſent. Lex enim Euangelica ignorātię noſtræ tenebris occurrit, quādo non ſolum Moſaicæ ſcriptæ Legis cultū & cęremonias è medio tollit (ſicut Act.15. Rom.3. Eph.2. & Heb.10. aperte legitur) verum etiā quo deinceps cultu ad finē vſque Mundi deus venerandus ſit, præſcribit. Duo autē in veri cultus ratione requiri Sapientes exiſtimant: quorū alterum eſt, vt ſit in hominis poteſtate, id, quod in Dei cultu adhibendū eſt, vt poſsit idipſum homo, vbi & quādo viſum fuerit atq; oportet, Deo impendere: Cum enim, vt dictum eſt, fundamentum cul

Quis cultus Deo debeatur.

Duo in cultu Dei requiruntur.

Cultus poſſibilis.

tus diuini iuſticia ſit, eademq; dictante tantundẽ rependendum Deo ſit quantũ impendit nobis ipſe: ſi plus exigeret quã homo preſtare poſſet, iã & Deus præter ęquũ non ſuum exigeret, homo, aliena ſe exactione grauari, moleſtè ferret: Alterũ eſt, vt ſit, id quod in cultu adhibetur, Deo acceptũ ac gratum.

Cultus Deo gratus.

Sicut enim omnia ſupereminet Deus, cælo terraque maior, ita peculiari quodam ritu colendus iudicatur, qui nulli niſi ſoli DEO competat; cùm qui pluribus defertur honorem, tanquam ſoli ſibi delatum, cultum proprium ęſtimare non poteſt. Multa enim honoris ergo etiam inter homines ſublimiores impenduntur, cum ipſo quoque vitæ coniuncta diſcrimine (qua naturali iure homini nihil debebat eſſe præſtantius) quæ Deo tamen pro ſua ſupereminentia minimè conueniunt, ac propterea grata eſſe minimè poſſunt. Proprius ergo neceſſe eſt ſit Deo cultus, atque in hominis facultate ad præſtandum poſitus. Nihil autem homini magis proprium eſt, amore Dei, ſiue eum dilectionem ſiue Charitatem dixeris. Nam in voluntate hominis poſitus, ſpoliari illo homo non poteſt, niſi & vita priuetur ipſa, imò ne cum vita quidem priuari eo poteſt. Quoniam Paulo teſte 1. Corinth. 13. Charitas nunquam excidit. Verum cum ignoti nulla cupido-

Propriũ hominis amor Dei.

pido ſit,amorem hunc fides prçcedat,atque ſpes adſit neceſſe eſt:per fidê enim cognoſcimus Deum,& per ſpem adhęremus illi.

Et præceptum Dei de ſe diligendo non hoc ſolum docet, quod amare Deum ſit homini poſsibile (Deus enim impoſsibilia neutiquam præcipit)verum etiam quod ipſe amor hominis in Deum ſit DEO gratus. Quomodo enim quod ingratum eſſet,à nobis ſibi præſtari poſtularet. Sed quia amari diligit, & id præſtare in homine eſt poſitũ, ideo lato mandato amorem noſtrum exigit, quem & ipſe dedits, Apoſtolo teſtante; *Deus uult* Romanorum .5. Charitas Dei diffuſa eſt in *amari.* cordibus per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.Hinc cum multa de cultu Dei lex præcipit,finis tamen Legis dicitur Charitas vti in quã cætera quæ Lex continet referuntur omnia. Finis præcepti inquit Apoſtolus *Amor Dei* 1.Timothe.1.eſt Charitas, de corde puro & *finis Legis.* conſcientia bona,&fide non ficta. In quo ſane dicendo Moſen videtur ſequutus Apoſtolus,qui cum multa de ijs, quæ Deus præcepiſset,ad populum retuliſſet,dicendi ſummam quodammodo ponit hoc epilogo : Et nunc,inquit,Iſrael, quid Dominus DEVS petit à te niſi vt timeas Do.deũ tuum,& ambules in vijs eius, & diligas eum:ac ſeruias Do.Deo tuo in toto corde tuo,&in tota ani

 ma tua.

ma tua.Deut.10.Et deinde cap .11. Ama itaque dominũ Deum tuũ & obſerua pręcepta eius,& cęremonias.Et 13.cap.Domino Deo veſtro ſeruietis & ipſi adhęrebitis. Amor

Amor Dei Cultus Dei.

itaq; Dei cultus ille verus eſt, de quo inquirimus, quo homo in Deum tanquã ſummũ bonum fertur,ipſiq; adhæret,imò quaſi vnũ aliquid cũ Deo efficitur. Huius cultus cauſa tria etiã in nouo Teſtamento altaria con-

Altaria tria.

ſtructa ſunt, ad exemplaria figurarum. Tria enim in veteri Teſtamento altaria legimus? primũ in deſerto ex lignis Sethim,quæ ſunt incorruptibilia.Exod.17.per quod ſignificã tur mandata Dei quæ in æternũ permanent. Alterum factum eſt de lapidibus,quos ferrũ nó tetigit.Deut.27.& ſignificat omnes ſanctos dei, mébra corporis Chriſti,qui in domo ſpirituali, Dei ſuperædificati ſunt ſuper fundamentũ Apoſtolorum &Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Epheſ.2.Col.3. Tertium factum eſt de terra,Exod,20.& ſignificat Chriſti Ieſu carnem.Itaq; in nouo teſtaméto quæcunq; offeruntur Sacrificia fundata ac poſita eſſe oportet ſuper mandata Dei,Idque in communione omniũ electorum, & Chriſto Ieſu. Et ſufficeret hic amor ad ſummam numinis Religionem, vt ſicut

Externi ſacrificij ratio

Deus ſpiritus eſt,ita in ſola anima ſpiritualiter coleretur quoque,ſi ſpiritus tantummo do eſſet

do eſſet homo & ſine corpore. Verum quia corpore pariter atque anima conſtat, atq; vt omnia ab ipſo Deo ſunt, ita quoq; de omnibus colẽdus eſt, ideo vbi animus amore feruet in Deũ effectũ hunc hominis actus quoque ſequũtur, exteriores, imo per hos actus interior homo ſeſe manifeſtat, & quid intus lateat aperit. Qui quidẽ cũ alio modo Creaturis, alio etiã Deo exhibeãtur, ex mẽtis intẽtione vni ac ſoli deo exhibita, vt ſũt ab omnibus reliquis hominũ actionibus ſecreta, ita peculiare nomẽ ſortiuntur, vt ſint atq; dicãtur ſacrificia, propterea, quod ſancto Deo ſacro quodã ritu ac modo reddantur. Quam ob rem latè patet ſacrificij nomẽ vt non ſolũ ad animi affectũ, quẽ Amorẽ dicimus, verũ etiã ad omne opus quod agitur, vt ſancta ſocietate inhæreamus Deo, referatur, Sicut ab Auguſtino definitũ ſacrificium legimus lib. 10. de Ciuit. Dei ca. 6. Hic iã ad Quæſtionis propoſitę caput aliquãto propius accedim9. Cũ enim Iacobus quęrit quid illud ſit, quod ſacrificans ad altare Deo offert. Primũ illud in Quęſtionẽ venit, an apud Chriſtianos externũ vllum ſacrificium in religionẽ adhibendum ſiet, Et certe Auguſtini temporibus inuenti ſunt qui dicerent, viſibilia ſiue externa ſacrificia Dijs alijs congruere: vero autem Deo tanquam inuiſibili inuiſibilia,

Sacrificij nomen.

An apud Chriſtianos Externum ſacrificium eſſe debeat.

 & ma-

&maiori maiora, meliorique meliora, qualia ſunt puræ mentis & bonæ voluntatis, hoc eſt, amoris officia. Quem errorem Auguſtinus ipſe refutat lib. 10. de Ciuit. DEI capite. 19. docens viſibile Sacrificium propter inuiſibile minimè excludendum eſſe, quum illud huius ita ſignum ſit, ſicut verba ſonantia ſigna ſunt rerum. Sicut enim orantes atque laudantes, inquit, ad eum dirigimus ſignificantes voces, cui res ipſas in corde quas ſignificamus: ita ſacrificantes non alteri viſibili ſacrificium offerendum eſſe ſcimus, quam illi, cuius in cordibus noſtris, inuiſibile ſacrificium nos ipſi eſſe debemus. Nec arbitror me facturum operęprecium ſi multis docuero inter Chriſtianos externum eſſe Sacrificium, cum Authorem erroris oſtendiſſe refutaſſe eſt: Maxime cùm & ſacræ literæ plus quam de vno genere viſibilium Sacrificorum nouæ Euangelicæ Legis loquantur. Nam ſicut Dauid Pſalmi. 50. & Daniel. capite. 3. cor contritum & ſpiritum humiliatum interna ſacrificia deſcribunt. ita alibi eadem Scriptura de verbis ac factis tanquam externis Sacrificijs cum Authoritate loquitur. Nam Pſalmo. 49. præcipit Spiritus ſanctus: Immola Deo ſacrificium Laudis, & redde altiſsimo vota tua. Etenim Sacrificium laudis honorificabit me. Cui Apoſtolus

Sacrific ũ Laudis.

ſtolus conſentiens Heb.13. per ipſum, inquit, offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo fructum labiorum noſtrorum, Et ante Apoſtolum Oſee cap.14. Tollite vobiſcum verba & conuertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Et iterum Pſal.140. Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Sic quoq; actus quoſdam noſtros, quos mentis intelligentia in Deū dirigimus ſacrificii, genus eſſe, eadem ſcriptura docemur. Eccl.35. Sacrificiū ſalutare eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate, Pſal.4. Sacrificate ſacrificiū iuſticiæ & ſperate in Domino. Et de eleēmoſynę largitionibus Apoſtolus Philip,4. teſtatur, Miſiſtis, inquiens, in odorē ſuauitatis, hoſtiam acceptam Deo. Et Heb.13. Beneficentiæ nolite obliuiſci: Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Quin non tantum actus & dona noſtra: verum etiā hoc ipſum corpus, quod aggrauet animam, Deo in holocauſtum impēdendū aſſe, Apoſtolica. docet authoritas. Rom.12. Obſecro itaque vos fratres, inquit, miſericordia Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placētem, rationabile obſequium veſtrū. Hæc te-

Sacrificiū operis.

teſtimonia S.Scripturæ apertè atque directè docent, eſſe inter Chriſtianos etiam externa atq; viſibilia ſacrificia, cum ſecundũ Auguſtini definitionẽ in eum finem multa pij homines faciant, vt Deo adhęrere poſsint, quę & ipſa omniũ verè Chriſtianorũ communia ſunt, ſicut & alia interiora & ſpiritualia, de quibus ex pſalmis & Daniele teſtimonia ſupra adduximus. Atque horum cauſa omnes Chriſtiani rectè ſacerdotes appellãtur, 1. Pet. 2. & Apocalypſis 1. quicunque aliquod bonum opus faciunt, in eum finem nempe, vt indiſſolubiliter Deo ac CHRISTO vniantur atque adhęreant.

Chriſtiani omnes unde ſacerdotes dicantur.

Sacrificij finis.

Contra duo Iacobus pugnat hoc Articulo.

Verum cum Iacobus quęrit, quid illud ſit, quod in Eccleſia per ſacerdotẽ tanquã omniũ miniſtrũ omniũ nomine offertur, duo videtur reprehendere velle, ſi poſſit: nempe precationis illius quam ſupra huc adſcripſimus ſeriem, in qua petit Sacerdos, vt DEO ſit acceptabile Sacrificium Laudis, quod oculis diuinæ Maieſtatis obtulit: Deinde etiam ipſam ſacrificantis actionẽ, vt qui corpus & ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo patri denuo ſacrificiũ offerat. Et prima quidẽ Authoris cauillatio de verbo eſt, altera de facto. Primò ergo reſpõdeamus de verbis. Offertur Deo ſacrificium laudis, quod quale

quale ſit, Apoſtolus Heb.13.aperit.nẽpe fructus labiorum noſtrorum. An ne hoc licet? Arbitror. Quæcunque enim vel mandatum, vel exempla, vel aliud quodpiam teſtimonium in Propheticis atq; Apoſtolicis ſcriptis habent, eadem cum pietate fieri poſſunt. Habet autem ſacrificium laudis eiuſmodi teſtimonia. Pſalmo. 49. expreſsum de eo mandatũ eſt: Immola Deo ſacrificium Laudis, & redde altiſsimo vota tua. Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Atque ita futurum in Eccleſia ſpiritus ſanctus in Pſalmis prę nunciat. Pſal.106. Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione. Exẽpla quoque Pſalmo.115. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis & nomen domini inuocabo. vota mea reddam coram omni populo eius. Hinc ipſe dominus Pſal.49. beneplacitum ſuum ſuper ſacrificio laudis ſuæ manifeſtat: Sacrificium laudis, inquit, honorificabit me. Quam ob rem & in Apopocalypſi capite 16. viginti quatuor ſeniores & quatuor animalia adorantes ſedentem ſuper thronum, vocem audiunt de throno exeuntem: Laudẽ dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, qui timetis eum, puſilli & magni. Cum ergo Sacerdotis oratio, petẽtis, vt qđ obtulit laudis ſacrificiũ deo acceptabile

Sacrificium laudis.

ſiat

fiat,tot ac tantis? Scripturę teſtimonijs innititur, atq; ideo Deo in Eccleſia per ſacerdotem omnium nomine ſanctè ac meritò redditur: non eſt difficilè videre, quo Spiritu agatur, qui ex mera cauillandi conſuetudine, vt ſacerdotem quem odit perſequatur, Deũ ipſum merita laude, quantũ quidem in ipſo eſt, priuare non dubitat. Veniet, vt certè vehementer tibi metuo, Iacobe ſuper te illud væ, quod in Iſaia ſcriptum legitur: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes tenebras in lucẽ & lucem tenebras: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, Iſaię, 5. capite.

Sacrificium operis.

Sed reddamus etiam de facto ſacrificantis rationem. Primùm quæritur, an ſicut quędam Sacrificia cõmunia omnibus ſunt Chriſtianis, ita ſit etiam aliquod ſummum externum ac peculiare in Eccleſia ſacrificiũ, quod non iam ab omnibus, ſed à certis quibuſdã offertur pro omnibus. Eſſe tale aliquod ſcriptura teſtatur, Iſa. 66. Sic loquitur dominus Et aſſumam mihi ex eis in Sacerdotes & Leuitas. Et Hierem. 33. De Sacerdotibus & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat ſacrificiũ, & cedat victimas omnibus diebus. Et Malach. 3 Et erunt Domino offerentes Sacrificia in inſticia: & placebit Domino ſacrificiũ Iuda

Vnicum ac peculiare Chriſtianorum externum Sacrificium.

Iuda & Ieruſalem, ſicut dies ſeculi & anni antiqui. Hæ omnes promiſsioes pertinēt ad regnū Chriſtl, & nouam Hieruſalem, in qua quum Sacerdotes vult eſſe, etiam ſacrificiū aliquod ibidem ſit neceſſe eſt. Et hoc ipſum ſacrificium non vult eſſe omnium, ſed eorū tantum, quos ex alijs aſſumit. Alioqui ſi omnium eſſet commune (quantum quidem ad miniſterium, non quantum ad fructum) iam non aliquos certos ex omnibus in id offerendi officium aſſumeret, ſed æquam omnibus poteſtatem permitteret. Et Hieremi. 31. de noua lege inſtituenda abrogata veteri fit promiſsio. Quam ob rem Paulus translatum non ablatum eſſe ſacerdotium ſcribit: Ac de vtroque, hoc eſt, tàm de lege quam de ſacerdotio teſtatur Hebræorum. 7. Capite, Translato, inquit, ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis translatio fiat. Legis nimirum formā & ordinem noui ſacrificij ſecundum nouū ſacerdotium pręſcribentis. Cuius quidem ſacerdotij formam Chriſtus cōſtituit. Ioan. 20. Matth. 10. &, 26. Marc. 3. &, 6. Lucas 6. 9. 10. &, 22. quod etiam Apoſtoli alijs communicarunt, 1. Cor. 12. Epheſ. 4. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 1. Tit. 1. Acto. 14. &, 20. quod deniq; Apoſtolorum veri ſucceſſores vſque in hunc diem longò ſibi inuicem ſuccedentes ordine tenuerunt. Sacerdotum etenim officiū

eſt

eſt offerre, Paulo teſte, Heb. 5. Omnis Pont. ex hominibus aſſumptus, inquit, pro hominibus conſtituitur, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Noui ergo ſacerdotij nouũ ac publicum ſacrificiũ Lex noua præſcribit. Ad quid vèro prȩſcribit, niſi vt offeratur?

Quod ſit illud unicum ſacrificium.

Itaq; nouæ legis ſcripta peruestigantes, ac quod ſit illud, de quo inquirimus, ſacrificium quȩrentes, inuenimus corpus ac ſanguinẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti idipſum eſſe doceri, atq; Eccleſiam Catholicã quȩ ſe grato animo eo ipſo ſanguine redemptam libenter agnoſcit atque fatetur, non leuibus cauſis obiter id facere, ſed eiuſdẽ Redemptoris noſtri præcepto atque exemplo, Prophetarum vaticinijs, ipſaque adeo Iuſtitia dictante, vt idipſum faciat, hoc eſt, corpus ac ſanguinem Domini Deo offerat, adſtringi. Etenim quæ exemplo atque præcepto à nobis exiguntur, & quomodo ritè peragi poſsint præſcribuntur, ea vel tergiuerſando negligere, vel oppugnando non perficere, iam non hominis Chriſtiani ſed impij atque ſacrilegi eſſe iudicamus. In Cæna nouiſsima verbis atque factis Dominus oſtendit atque præcepit, quid à nobis fieri velit, quando accepto in manus ſuas pane, gratias agens, benedixit, corpus illum ſuum eſſe profeſsus, diſcipulis vt commederẽt, porrexit

rexit, Itemque accepto calice gratijs actis, benedixit, ſanguinem ſuum noui Teſtaměti profeſſus, diſcipulis vt ex eo biberent, propinauit. Obtulit enim vtrumque & donec veniat demandauit. Hoc tu negas Iacobe, ſed affirmant omnes pij, & ſententiæ ſuæ graues cauſas habent, Neque enim tu ipſe negaueris arbitror, quæcunque de Chriſto Domino noſtro in Prophetis ſcripta ſunt, adimplenda eſſe. Cum enim illorum ſcripta teſtimonium perhibĕt de Chriſto, Ioan.3. neceſſe eſt talem CHRISTVS ſe Mundo in diebus carnis ſuæ exhibuerit, qualem futurum Prophetæ prædixerunt, ſicut ipſe Dominus ad prophetarum lectionem nos hortatur, & neceſſe eſt, inquit, impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege, Moſi, & prophetis & Pſalmis, de me. Si ergo prædictum eſt hoc quoque in Prophetis, vt ſit CHRISTVS ſacerdos, & offerat, iam neceſſe fuit adimpleri. Si enim non fuerit adimpletum, & prophetæ plus de Chriſto prædixerunt quã ille impleuit, & minus ille fecit, quam Prophetæ de ipſo prædixerunt. Quorũ vtrumq; in vitio eſt. Sed legimus predictum, Chriſtũ ſacerdotem fore, nec hoc ſolum, verum etiam cuius ordinis futurus eſſet ſacerdos, nĕpe ſecundum ordinem Melchiſedech: Idq; cũ iuramĕto Dei patris. Pſalmo enim 109, ſic pater

Teſtimonia Chriſti corpus & ſanguinem Chriſtianorũ unicum illud externum eſſe ſacrificium. Chriſtus prophetarum finis prophetarum uaticinia impleuit.

Chriſtus ſacerdos præ dictus ſecundum ordinĕ Melchiſedech.

pater atteſtatur: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedech: Hanc prophetiam de Chriſto factam ſi ſuſcipis, iam hoc confiteare oportet, fuiſſe, imò eſſe eum ſacerdotem ordinis Melchiſedech in æteruum, atque obtuliſſe offerreque ſecundum eundem ordinem Deo ſacrificium.

Ordo Melchiſedech in quo conſiſtit.

Hoc ſic conſtituto illud etiam inueſtigemus oportet, qualis ille orde Melchiſedech, atq; in quo conſtitutus fuerit. Et ecce ſicut in regio propheta de hoc Chriſti ſacerdotio prędictum fuit, ita in Apoſtolo Heb. 6, &. 7. eundem dominum noſtrum hoc ſacerdotio in diebus carnis ſuæ perfunctum eſſe ſcribitur, præcurſor pro nobis introijt IESVS ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum. Itaq; neceſſe eſt extare alicubi ſcriptum: quale illud ſacerdotium fuerit, atq; in quo conſtitutum, quomodo enim Apoſtolus ſciret Chriſtum perfunctum eo, niſi cõſtaret illi, in quo illud ipſum conſiſteret: Imò quomodo Chriſtus ex hoc ſacerdotali officio teſtimoniũ acciperet, ſi quale illud ſit, nos lateret? Oportet ergo ad S. ſcripturas recurrere, & de Melchiſedech ſacerdotio, inquirere. Extat aũt in Gen. ca. 14. vnicus locus de eo loquens, his verbis. At verò Melchiſedech rex Salẽ, ꝓferens panem & vinum

vinum) erat enim ſacerdos Dei altiſsimi) benedixit, ei & ait: Benedictus Abrahã Deo excelſo, qui creauit cęlũ & terrã: & benedictus Deus excelſus, quo protegẽte hoſtes in manibus tuis ſunt. In hunc vnicum locum atq; hiſtoriam Apoſtolus reſpicit, vbi de eodem ſic ſcribit: Heb. 7. Hic enim Melchiſedech rex Salem, Sacerdos Dei ſummi qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cęde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omniũ diuiſit Abraham &c: Itaque aut nuſquam aut hoc loco Geneſeos quale illud ſit ſacerdotiũ deſcribitur. Verum cum tantam rem ſilentio præterire, nec Deo nec nobis conuenit, deſcribitur ſanè in eo ipſo quod panem & vinum protuliſſe Melchiſedech recenſetur. Vnde hoc conſtet quæris? En additur facti cauſa. Erat enim ſacerdos, inquit ſanctiſsimus Scriptor, Dei altiſsimi: quaſi dixerit, ideo & obtulit & benedixit, quia ſacerdos fuit, & officium ſacerdotale hoc ipſo exercuit. Niſi enim vtroque ſacerdotale officium exercuiſſet, ad quid neceſſe fuiſſet Sacerdotij meminiſſe? Sed ne quis miraretur tantum Patriarchã in Melchiſedech & oblationem & benedictionem decimarũ perſolutione venerari, ideo additur quod Sacerdos Dei ſummi fuerit. Hoc ergo loco non ſolum Melchiſedech ſacrificium qua-

le ſit ac in quo cõſtiterit deſcribitur, verum etiam à reliquis Aaronis ſacrificijs ſecernitur. Ille enim de terra naſcentibus, hic vero maximè de pecudibus ſacrificium fecit. Ille panem & vinum, hic boues & oues hircos & tauros obtulit. Mitto reliqua quibus Chriſtus & Melchiſedech conueniunt, vterq; ſine patre, ſine matre, vterq; rex pacis atq; ſacerdos, de quibus ſupra Articulo ſecundo dictum eſt. Certe ſicut in multis alijs conueniunt hi duo, ita in ſacrificij materia cõuenire quoq; neceſſe eſt. Quod ſi Iudęorũ more ſola Aaronis ſacrificia valere cupiẽs, Melchiſedech ſacrificium reiecerit aut certè non in pane ac vino conſtitiſſe quis dixerit, is nobis alio ſacrarũ literarum teſtimonio aliam materiam aliũ locum, modum, & ordinẽ ſacrificij illius viri cõprobet. Quod cũ omnibus Aduerſarijs ſit impoſsibile, cũ ipſa ſacra ſcriptura loquentes dicimus, Chriſtũ ſecundũ ordinẽ Melchiſedech ſacerdotẽ eſſe in ęternũ, hoc eſt, ſicut Melchiſedech ſine patre ſine matre ſacerdos Dei ſummi ac rex Salẽ Abrahã & benedixit & panẽ vinumq; obtulit: ita Chriſtũ in cęlo ſine matre in terra ſine patre, magnũ ſummi Dei ſacerdotẽ ac regẽ pacis veros Abrahę filios benedicere & panẽ & vinũ, ſed tranſmutata, in cęna olim viſibilẽ obtuliſſe, atq; etiamnum offerre in Eccleſia.

Melchiſedech & Aaronis collatio

Chriſti & Melchiſedech collatio

Hoc

Hoc negas Iacobe? At, crede mihi, propter tuũ negare vel affirmare nihil mutari rerũ natura. Scio equidẽ hunc tergiuerſantiũ morẽ eſſe ex Dialecticis Elenchis petitũ, vt veritatis ſole circumacti ad nota diuerticula ac latebras confugiant, horentesq; Lucẽ iã hanc iam illã argumenti partẽ negare præſumãt, Qua certè arte iam dudũ adeo omnibus bonis verumq; perueſtigãtibus noti facti eſtis, vt quotieſcunq; has latebras quęritis, certiſſimum id noſtræ veręq; victoriæ ſignum reputemus: Quoniã certè qui victi, per ſuperbiam inſaniam fingere quam veritatis trophæa agnoſcere mauultis; nihil aliud poteſtis. Eſt ergo, quod denuo repeto, Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Ordo Sacerdotij Melchiſedech materiã ſacrificij habet panem & vinum: Ergo & Chriſti ſacerdotium quo in cæna perfunctus eſt, eadem habet.

Diuerticula Sciſmaticorum uictoriæ Catholicorũ figuræ ſunt.

Et hoc iam non noſtro ingenio, ſed Maiorum ſanctiſsimumorq́; patrũ teſtimonijs comprobandum eſt. Cyprianus Epiſcopus & Martyr lib. 2. Epiſt. 3. cum multa de Melchiſedech pręmiſiſſet, ita deinde ſcripſit. Nã qui magis ſacerdos Dei altiſsimi, quã dominus noſter Ieſus Chriſtus qui ſacrificiũ Deo patri obtulit, & obtulit hoc IDEM. QVOD MELCHISEDECH OBTVLERAT

Teſtimonia Patrum.

Cyprianus.

 id eſt

id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et deinde: Nam ſi in ſacrificio, quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit. Et rurſum: Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus noſter & Deus noſter ipſe eſt ſummus ſacerdos DEI patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationẽ præcepit, vtique ille Sacerdos voce Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur. Et ſacrificium verum & plenum tuuc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſicut quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Et quia paſsionis eius mentionem in ſacrificijs omnibus facimus (paſsio enim eſt ſacrificium quod offerimus) nihil aliud quã quod ipſe fecit facere debemus. Quotieſcunq; ergo calicẽ in cõmemorationẽ Domini & paſsionis eius offerimus. ID QVOD CONSTAT DOMINVM FECISSE faciamus. Vides hîc Cyprianũ teſtari, quod
Irenæus. conſtet Chriſtum feciſſe.i.obtuliſſe? &c. Et Irenæus Martyr lib.4, contra Valentinũ cap. 32. Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium primitias DEO offerre ex ſuis Creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, acce-

eſt, accepit & gratias egit, dicens Hoc eſt cor pus meum. Et calicē ſimiliter, qui eſt ex creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſsus eſt, & NOVI TESTAMENTI NOVAM DOCVIT OBLATIONEM, QVAM ECCLESIA AB APOSTOLIS ACCIPIENS IN VNIVERSO MVNDO OFFERT DEO, ei qui alimēta nobis præſtat. Euſebius Cæſarien. libro. 5. ca. 3. demonſt. Euangelica ſic ſcribit: Meritò illum à miniſterio Aaron liberat, quod figuram gerebat, & ſecundū ordinem Melchiſedech ſacerdotem futurum affirmat. Et ſanè oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur, quemadmodum Saluator noſter Ieſus, qui eſt Chriſtus Dei, ipſius Melchiſedech ritu ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum ſpectāt, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui ſacerdos erat Gentium, nuſquam videtur Sacrificijs corporalibus functus, ſed vino ſolo & pane, dum ipſi Abraham benedicit, ita ſanè primus ipſe ſaluator dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes in omnibus gentibus, ſpirituale ſecundum Eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & ſaluatoris ſanguinis myſteria repræſentat, quę ſane myſteria Melchiſedech tanto ante ſpiritu

Euſeb. Cæſarien.

ritu diuino cognouerat & rerum futurarum imaginibus vſus fuerat, ſicut etiam Moſi ſcriptura teſtificatur & ait: Et Melchiſedech rex Salem protulit panes & vinum. Erat autem ſacerdos Dei altiſsimi & benedixit Abraham. Et alius quidã Euſebius Emiſſenus ſermone de paſchate quinto de Euchariſtia loquens: Sacramenti, inquit, huius formam etiam in Iudæorum vaginis inuenimus expreſsam. Nam de Melchiſedech in Geneſi legimus: Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abrahæ. Melchiſedech autem fuit ſacerdos Dei ſummi. Hic ergo Melchiſedech cuius Genealogia noticiam illius temporis latuit oblatione panis & vini, hoc ſacrificium Chriſti pręſignauit, de quo Propheta prænunciat. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Pſalmo. 109. Præclarè etiam, vt omnia, Hieronymus Epiſtola ad Euagrium, quis Melchiſedech fuerit inquirens, ſic ait: Verti me ad Hyppolitum, Hiræneum, Euſebium Cæſariẽſem, & Emiſsenum, Apollinarium quoque noſtrũ, & Euſtachium, qui primus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus cõtra Arrium tuba clariſsima bellicum cecinit, & depræhẽdi horum omnium opiniones diuerſis argumentationibus ac diuerticulis ad vnũ compitũ perueniſſe, vt dicerent Melchiſedech

Euſeb. Emiſſen.

Hieronymus.

ſedech hominem fuiſſe Chananęum, regem vrbis Hieroſolymę quæ primum Salem, poſtea Iebus, ad extremum Hieruſalem appellata ſit, nec mirum eſſe, ſi ſacerdos Dei altiſſimi deſcribatur, abſq; circumciſione, & legalibus cæremonijs, & genere Aaron, cũ Abel quoq; & Enoch & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint, vt in Iob volumine legimus, quod ipſe & oblator munerũ fuerit, & ſacerdos & quotidie pro filijs ſuis hoſtias immolarit: & aiunt ipſum quoq; Iob nõ fuiſſe de genere Leui, ſed de ſtirpe Eſau, licet aliud Hebręi autumẽt. Quomodo autẽ Noẽ inebriatus in domo ſua, & nudatus atq; deriſus à medio filio, typũ ſaluatoris prębuit, & Chã populi Iudæorũ. Samſon quoq; amator meretricis & pauperis Dalidę multo plures hoſtiũ mortuus quam viuus occidit, vt Chriſti exprimeret paſsionẽ omneſq; penè ſancti Patriarchę & Prophetę in aliqua re figuram expreſſerũt ſaluatoris: Sic & Melchiſedech, eo quod Chananęus fuerit & nõ de genere Iudęorũ, in typũ præceſsiſſe Sacerdotis filij Dei, de quo dicitur in 109. Pſal. Tu es ſecerdos in ęternũ ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech. Ordinẽ autẽ eius varie interpretãtur, quod ſalus fuerit & ſarerdos & ante circumciſionẽ functus ſacerdotio, vt non Gẽtes ex Iudęis, ſed Iudęi à Gentibus ſacerdotiũ acceperint,

neque vnctus oleo ſacerdotali vt Moſi præcepta conſtituunt, ſed oleo exultationis,& fidei puritate: neque carnis & ſanguinis victimas immolauerit,& brutorum ſanguinē, eorum animalium exta, id eſt, quicquid ſuper eſcam eſt ſuſceperit: ſed pane & vino, ſimplici puroque ſacrificio Chriſti dicauerit Sacramentum. Hæc Hieronymus aliorū referens ſententias, qui omnes ſacrificium Melchiſedech in panis ac vini oblatione cōſtitiſſe, vnanimiter aſſerunt. Idem ille libro de Quęſtione. Hebraicis ſuam ſententiā declarat dicens: Quod autem ait: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, myſterium noſtrum in verbo ordinis ſignificatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, ſed oblato pane & vino, id eſt corpore & ſanguine domini Ieſu. Sic etiam Ambroſius. lib.5. de Sacramento cap.1. ait: In altari conſtituitur calix & panis. In calice mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua. At inquis: Quomodo ergo Melchiſedech obtulit panem & vinum? Quid ſibi vult admixtio aquę? Accipe totū, In tempore paſſionis Chriſti vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & ſanguis. Quare aqua? Quare ſanguis? Aqua vt emundaret, ſanguis vt redimeret? Quare de latere? Quia vnde culpa, inde

Ambroſius

inde gratia: culpa per fæminam, gratia per domini, IeſumChriſtum. Idem in Miſſa ſua. Quid deſperare de tua miſericordia poſſumus, qui tantum munus accepimus, vt talem hoſtiam offerre mereremur: corpus ſcilicet & ſanguinem Domini IESV Chriſti, qui ſe pro mundi redemptione pię illi venerandæ tradidit paſsioni. Qui formam perennis ſacrificij inſtituens, hoſtiam ſe primus obtulit, &primus docuit offerri, inſtituique ritū ſacrificandi, dum panē ac vinum, quod Melhiſedech in præfiguratione myſterij futuri ſacerdos obtulerat, in ſacramentum ſui corporis & ſanguinis transſformauit celebrandum. Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus ſuper Geneſim: Melchiſedech vnde genus duxit? Cum diuinus Paulus dicat, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, quis veritatē huius rei noſcere poteſt? Vero tamen ſimile eſt illum ex gentibus Palæſtinam incolentibus fuiſſe: illorum enim erat & rex & ſacerdos: Sacerdos autem vuiuerſorum Dei: Quare & illi ipſe Abraham ſpoliorum decimas obtulit, & cum eſſet iuſtus ac Dei amicus, ab illo benedictionem accepit, domini enim ſacerdotij figuram geſsit. In eandem ſententiam Damaſcenus ſcribit lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14; Malchiſedech, Abraham ex infidelium prælio reuertentem victorem pane

Theodoretus

Io. Damaſcenus.

ac vino excepiſſe, eo quod ſacerdos eſſet deĩ ſummi. Illa, inquit, menſa hãc noſtrã præſignificauit, ſicut ille ſacerdos hunc noſtrũ verum ſacerdotẽ perfigurauit, ſicut ſcriptũ eſt: Tu es ſacerdos ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Hęc pura eſt hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſq; ad occaſum ipſi offerri per Prophetã dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti. Epiphanius contra Melchiſedechianos: Oblatio Melchiſedech ſignificauit eũ, qui dixit: Ego ſum panis vitæ, & ſanguinẽ qui ex latere eius in cruce manauit. Et Chryſoſtomus ſuper verba Epiſtolę ad Hebręos: tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt vt & Legis trãſlatio fiat: Homil. 13. ſic ſcribit: Si vero aliũ oportet ſacerdotẽ eſſe, magis autẽ aliud ſacerdotiũ, neceſſario & Legẽ alterã. Hoc ad eos qui dicũt, quid opus erat nouo teſtamento? Poterat quippe adducere teſtimoniũ etiam ex Prophetia, nempe: Hoc eſt Teſtamentũ quod diſpoſui patribus veſtris. Interim nunc ex ſacerdotio dimicat. Et intuere quomodo ex ſuperioribus dicat: Dixit ſecundum ordinẽ Melchiſedech: Hoc dicto excluſit ſacerdotiũ Aaron. Nequaquã enim ſecundũ ordinẽ Melchiſedech diceret, ſi illud ſacerdotiũ melius eſſet. Auguſt. quoq; lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 22. Cum Melchiſedech Abrahę benediceret. &c. Ibi, inquit, primùm

Epiphanius. *Chryſoſtomus.* *Iſa. 57. & 59.* *Auguſtinus.*

primùm apparuit ſacrificium quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarũ, impleturq; illud quod longè poſt hoc factũ per Prophetã dicitur ad Chriſtũ, qui venturus fuerat in carnẽ: Tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Non ſcilicet ſecundum ordinẽ Aaró, qui ordo fuerat auferendus, illuceſcentibus rebus, quę illis vmbris prænotabantur. Et lib. 1. contra aduerſarium. Leg. & Proph. cap. 20. Nouerunt qui legerũt quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham: Et ſi iam ſunt participes eius, vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Vide eundem lib. 17. de Ciuit. Dei ca. 17. &. 20. Et lib. Quæſt. Vet. Teſt. cap. 109. &. 38. Et lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 21. Eucherius Lugdunenſis ſuper Geneſin de Melchiſedech loquens ſic ait: Quod autem Parriarcha magnus decimas Melchiſedech ſacerdoti poſt benedictionem dedit, illud ſpiritualiter expreſsit, melius videlicet futurum ſacerdotiũ in populo Gentium, quam Leuiticum, quod in Iſraël de ipſa erat naſciturum, futurumq; vt ſacerdotium Eccleſiæ habẽs præputium benediceret in Abrahã circumciſo Synagogæ. Et Caſsiodorus ſuper verſum Pſ. 109. Tu es ſacerdos &c. Hec ſcribit. Cui enim poteſt veraciter & euidenter aptari, niſi Domino Saluato-

Eucherius.

Caſsiodorus.

Saluatori? qui corpus & ſanguinem ſuum in panis ac vini erogationem ſalutariter conſecrauit? Sicut ipſe in Euangelio dicit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam. Sed in iſta carne ac ſanguine nil cruentum, nil corruptibile mens hu-
1. Corinth. 11 mana cõcipiat: ne ſicut dicit Apoſtolus: Qui enim corpus Domini indignè manducat, iudicium ſibi manducat: ſed viuificatricem ſubſtantiam atque ſalutarem & ipſius verbi propriam factam: per quam peccatorum fit remiſſio, & æternæ vitæ dona præſtantur. Quem ordinem per myſticam ſimilitudinẽ Melchiſedech iuſtiſſimus rex inſtituit, quando Domino Panis & Vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudum victimas perijſſe, quæ fuerunt ordinis Aäron: & verò Melchiſedech manere potius inſtitutum, qui toto orbe in Sacramentorum erogationem cele-
Theophylactus. bratur. Deniq; & Theophylactus in capi. 5. ad Hebræos: Dicant nobis Iudæi inquit, quiſnam ſit alius ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, præter Chriſtũ? Nonne omnes ſub lege fuerunt? Nonne omnes ſabbatũ celebrabant, & victimas offerebant? Manifeſtiſſimè igitur de Chriſto hoc dictũ eſt. Solus enim ille pane & vino ſacrificium conſecrauit, perinde ac Melchiſedech. Quſ
verò

vero dixit in æternum? Qm̄ etiā nunc vnà cū corpore pro nobis apud Deū & patrem intercedit, hoc eſt, quas pro nobis pertulit afflictiones, magnumq́, mærorem ꝓponit etiam ſine voce re ipſa nimirū loquens: ꝓ humana natura filius tuus ego ſuſtinui hæc, miſerere igitur horū, pro quibus ego pati & mori ſuſtinui. Vel quia quę in ſingulos dies fit & futura eſt in perpetuum oblatio per Dei miniſtros, ipſum habet pontificem & ſacerdotē dominū, atq; adeo ipſum ſacrum, qui ſemet ipſum ꝓ nobis ſanctificat, & frangitur & diſtribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors domini annunciatur. Beda ſuper Cænę verba in Marco: Finitis, inquit, paſchę veteris ſolennijs quæ in cōmemorationē antiquæ de Aegypto liberationis populi Dei agebantur, tranſijt ad nouum ꝙ in ſuę redemptionis memoriam Eccleſiam frequentare volebat, vt videlicet ꝓ carne agni ac ſanguine, ſui corporis ſanguinisq; Sacramentū ſubſtitueret, ipſumq; eſſe ſe monſtraret, cui iurauit Domino & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinē Melchiſedech. Et Rupertus: Tandem inquit, quartadecima die ad veſperam, vbi illum paſchę veteris agnum comedit, cū diſcipulis ſuis, tunc ipſe noui ſacrificij agnus continuò capiendus & & deducendus ad immolandum, iam iam in anguſtia

Quotidianū ſacrificium.

Beda.

Rupertus.

anguſtia paſsionis agonizans, prius proprijs manibus Deo patri ſemet ipſum imolauit, ac cipiẽs panẽ & vinũ & mira atq; ineffabili ſan ctificationis potentia transferens hæc in cor poris & ſanguinis ſui Sacramentum. Nam ꝙ deinde manibus peccatorum crucifixus & mortuus eſt, idem agnus Præteritorum atq; præſentium ſalus omnium continuo fuit. Et mox: Quod vero manibus ſuis, vt iam dictũ eſt, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpecie pa nis & vini ipſe ſummus pontifex obtulit, &c. Hoc facite in meam cõmemorationẽ, dixit, eorũ ſalus eſt, q in iſta vita detinentur qui- bus Aegyptus hic mundus eſt, quibus vera captiuitas ſub diabolo mundi principe, ig- nõratio Dei eſt. Quod ſi Iudæorum quoque teſtimonia quidq̃ valent, ſcribit vnus ex Ra binis eorum Moſes Hadarſan ſuper cap. 14. Geneſis interprete Galatino. lib. 10 cap. 5. ſu- per hæc verba. Et Melchiſedech Rex Salem produxit vel protulit, vel obtulit panem & vi num; Et Melchiſedech erat Sem filius Noẽ. Et quid docet dicendum, cũ ait: protulit pa- nem & vinum? Rab. Semuel filius Naham di xit: Sentẽtias ſacerdotij tradidit. Erat enim ipſe ſacrificans panem & vinum Deo ſancto & benedicto. Sicut dictum eſt ibidem: Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſſimi Et mox dein de. Hoc eſt quod ſcriptũ eſt Pſal. 109. Iura- uit

Iudæorũ Rabbini. Moſes Hadarſan.

uit Deus & nõ pœnitebit eũ, tu es ſacerdos in æternũ, ſuper verbũ, id eſt, ſecundũ verbũ Melchiſedech, Et quis hic? Hic eſt iuſtus & ſaluator Rex Meſſias. Sicut dictũ eſt Zach. 9 Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator. Et qđ docet dicendũ, cũ dicit obtulit panẽ & vinum, Hoc eſt, ac ſi diceret, ꝙ ſcriptum eſt Pſal. 71. Et erit placẽta tritici in terra. Et hoc eſt ꝙ dictũ eſt: Et ipſe erat ſacerdos Dei altiſſimi. Quod aũt per hoc ſacrificiũ omnia ſacrificia veteris legis ceſſare debebãt, ipſum aũt nunꝙ̃ deficere, ex eo habetur, ꝙ legitur ſuꝑ illud Num. cap. 28. ꝓcipe filijs Iſraël, & dices ad eos: Oblationẽ meam panis mei ad ignis meos odores ſuauitatis meæ reſpicietis, vt offeratis mihi in tempore ſuo. Et R. Pinhas filius Iair: Tempore Meſſiæ inquit, omnia ſacrificia ceſſabũt, & ſacrificiũ panis vini, nunquã ceſſabit, ſicut dictum eſt Ge. 14. Et ſeparabit à ceſſatiõe ſacrificiũ panis & vini, vt dictum eſt, pſal. 109. Tu es ſacerdos in æternũ. Et R. Iohai. Tempore Meſſiæ omnia ſacrificia deficiẽt, ſacrificiũ vero panis & vini nunquã deficiet. Sacrificium quidẽ vini. Gẽ. 49. ligans ad vitem ciuitatẽ ſuam id eſt corpus ſuum: Sacrificium vero panis. Pſal. 72. Et erit placenta frumenti in terra in capite montiũ. *Rab. Pinhas.* *Rab. Iohai.*

Manifeſtum ergo eſt ex his patrũ teſtimonijs, nõ ſolum Melchiſedech Sacerdotẽ deo obtuliſ-

cens: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum. Ita etiã Chriſtus Matt. 26: & Mar. 14. &. Luc. 22. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quis ergo dubitet Chriſtum ſacrificaſſe, cum vſus ſit ſacrificantis verbis? Maximè cum etiam Apoſtolus, Heb. 9. quaſi digito in illum Exodi locum demonſtrans, vt vtrumque & Moſis & Chriſti factum ex verborum forma conferamus, admonere videatur. Nec verba tantum inter ſacrificantes Moſen & Chriſtum, verum etiã facta pulcherrimè conſentiunt. Moſes enim in duas partes ſecreuit ſanguinem hoſtiarum, partẽ in crateram fundens, quo poſtea aſpergebatur populus, partem ſuper altare fundens: Sic etiam Chriſtus ſuum ſanguinem in calice fecit bibendumque Apoſtolis dedit & in cruce quoque tanquã altari fudit. Et nota prius in cratere & calice, poſtea in altari & cruce. Et tamen vtrobique idem ſanguis fuit.

Chriſti corpus & ſanguis eſt hoc Eccleſiæ Sacrificium.

Sacrificium igitur obtulit Melchiſedech, obtulit & Chriſtus eiuſdem ordinis Sacerdos. Neque tamen ideò Chriſtus panẽ tantum & vinum obtulit, quia ijſdem Melchiſedech vſus eſt, ſed ſub earum rerum quæ in ſacrificium ſuum adhibuit, panis dico atq; vini ſpeciebus proprium corpus ac ſanguinem

Damaſcenus. obtulit. Sicut non ſolum Damaſcenus libro 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. teſtatur, dicens: Hæc eſt pura hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, *CORPVS VIDELICET ET SANGVIS CHRISTI:* verum etiam Nicenum Concilium 2. quod

Nicenum Concilium. eſt vniuerſale 7. confirmat his verbis: Nemo vnquam ſanctorũ Apoſtolorum, qui tubæ ſunt Spititus ſancti, aut glorioſorũ patrũ noſtrorum incruentum noſtrum ſacrificium in memoriã paſsionis Chriſti Domini Dei noſtri & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginẽ corporis illius duxerit: Legas quouſq; voles, nunquam inuenies, neque dominum, neq; Apoſtolos, neq; patres incruentum illud Sacrificiũ, quod à Sacerdote offertur imaginẽ dixiſſe, verũ ipſum corpus & ipſum ſanguinem. Idemq; quod inſani homines patiuntur, iam hoc iam illud imaginantes: & nunc quidem ſanctum & notabile noſtrũ ſacrificium imaginẽ ſacri corporis Chriſti; nunc item ſacrum & diuinũ corpus afferunt. Qua de re cũ ſupra Act. 2. dictũ à nobis ſit, hîc repetere eadẽ ſuperfluũ iudicamus.

Neq; alibi quàm in ipſa cæna Chriſtus hoc ordinis ſui ſacrificiũ peregiſſe legitur, imò ne veſtigium quidẽ apparet, in totis Biblijs, voluiſſe alibi quã in cęna idipſum peragere.

Idque

Idq; haud dubiè, ſicut inter alios etiam Cyprianus annotauit (ſermone in Cæna Domini) vt ſacrificij ritus, qui à Moſe erat, nouæ Legis ſacrificij acceſsione caſſaretur, caſſatuſq; demonſtraretur. *Cyprianus.*

Quorum omnium dicta Fulgentij Sanctiſſimi Epiſcopi, qui anno 496 vixit Teſtimonio placuit cócludere. Is enim lib. de fide ad Petrum cap. 19. ſic ſcribit: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, ipſum vnigenitũ Deum, verbum carnem factum ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, cui cum patre & S. Sancto à patriarchis, prophetis, & Sacerdotibus, tempore veteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur, & cui nunc, id eſt, tempore noui Teſtamenti, cum patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas ſacrificium panis & vini in fide & Charitate Sancta Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem terræ offerre non ceſſat. *Fulgentius.* *Cui offertur Sacrificium*

Itaq; Chriſti exemplo quotquot vnquã in nouo Teſtamento Deo ad aram ſacrificaue-runt, innixi, ſunt. Quod etſi ſatis magnã cauſam eius quod Chriſtus prior fecit faciendi habeat, accedente tamẽ etiam præcepto domini, quod voluntarium erat, factũ fuit per præcepti obligatione neceſſarium. Neque enim dominus hoc fecit ſolũ, verum etiam *Exemplo & præcepto Chriſti ſacrificamus in lege Euangelica.*

faciendum edicto precepit: hoc, inquiens, facite in meam commemoratione͂. Luc.22. Imperâtis enim vox: Hoc facite, etiam communi ſignificatione accepta, id exigit à noſtris liturgis faciendum, quod ipſe prior fecit, cum hæc diceret: & cu͂ conſtat ſacrificaſſe Chriſtum corpus ac ſanguinem ſuum, vt eodem modo & hoc ipſum ſacrificetur, quod ipſe ſacrificauit, per eandem imperantes vocem demandatur. Sed habet eadem præter communem ſignificationem ſuam offerendi etiam id quod Deo debetur vim atque energiam, vt idem ſit ſæpè facere, quod offerre ſiue ſacrificare. Vt in Leuitico 23. Et facietis hircum pro peccato: In 2. Ezech. 4: Faciet princeps in die illa pro ſe & pro vniuerſo populo terræ, vitulum pro peccato. Et apud eundem 45. & 46. ca. Agnum eiuſdem anni immaculatum faciet holocauſtu͂ quotidiè, ſemper manè faciet illud. Sic Exod. 29 facere agnos anniculos, Num. 6. facere turtures. 3. Reg. 8. facere ſepte͂ arietes. &c. Neque tamen Chriſtus ſimpliciter præcepit facite: Sed quid faciendum eſſet addidit: Hoc inquit, facite, qđ eſt corpus meum. Id quod ipſe etiā Lutherus obſeruauit, quando Pſal. 65. verſu 15. pro eo quod vetus Interpres dixit, offeram: bis poſuit, faciam. Holocauſta medullata faciam tibi cum incenſo arietum, faci-

Facere quid.

faciam tibi boues cum hircis. Quanquam in Grȩco non eſt eadem vox in Pſalmo, quȩ eſt in Luca hoc loco, & in Leuitico. Scio qui Sacrificium hoc ſublatum cupiunt Imperantis hanc vocem: Hoc facite: ad edendi bibendique actus contrahere. Sed ijdem nolunt conſiderare, quod mandatum horum duorum actuum ſuas quoque habet voces Accipite, manducate: Bibite ex eo, &c. Itaque tautologia eſſet, ſi facite idem eſſet quod manducate & bibite. Bis enim Dominus id fieri præciperet. Quod non fecit, ſed nec quidem poteſt, facite, de manducatione bibitioneque intelligi, quoniam ipſa verborum ſeries oſtendit hæc quæ Domino iuſserat manducari ac bibi, vel iam tum à diſcipulis mox auditis Chriſti verbis abſumpta fuiſſe, vel certè Apoſtolos comediſſe. Ad quid enim prȩceptum aliud expectarent, qui antȩ intellexerant abſumenda eſſe propoſita?

Facere non eſt bibere.

Quam ob rem Maiores noſtri neceſsitatem parendi prȩcepto, & faciendȩ rei maieſtatem pro ſua pietate rectè conſiderantes, ſummo ſtudio hoc in ſuis ſcriptis procurarunt, vt mandato huic in omnibus à noſtris ſacerdotibus obtéperaretur. Quorum pauca quædam teſtimonia in medium proferre non pigebit. Cyprianus lib. 2. Epiſtola. 3. ſicut ſupera etiam annotaui, ſic ſcribit: Si in Sa

Patrum teſtimonia de ſacrificandi neceſsitate.

Cyprianus.

crificio quod CHRISTVS eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtque id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendũ eſſe mandauit. Et poſt pauca: Nã ſi Ieſus Chriſtus dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc in ſui commemorationẽ fieri precepit, vtiq; ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſũm Chriſtũ videt obtuliſſe. Et Ioann. Chryſoſt. Homil. 17. ad Hebr Pontifex noſter, inquit, ille eſt, qui hoſtiam nos mundantẽ obtulit: *IPSAM OFFERIMVS ET NVNC, QVAE TVNC OBLATA* quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod nos facimus in commemorationẽ quidẽ fit eius quod factũ eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Et alibi ait: Cum Sacrificium commutaret, pro brutorũ cęde ſe ipſum offerendũ præcepit. Theodoretus in 8. cap. Heb. Clarum eſt, inquit, non aliud nos offerræ Sacrificium, ſed illius vnius memoriam agere. Hoc enim præcepit nobis ipſe dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Euſebius Cæſarien. lib. 1. cap. 10. Euang. demonſt. poſt omnia inquit,

Chryſoſtomus. *Theodoretus* *Euſebius Cæſarien.*

inquit, quaſi mirabilé quandam victimam Sacrificiumque eximium patri ſuo immolans, pro noſtra omnim ſalute obtulit, eiuſque rei memoriam vt nos ipſi Deo pro Sacrificio offeramus, inſtituit. Ambroſius in Miſſa ſua: Qui formam inquit, *SALVTIS PERENNIS INSTITVENS HOSTIAM SE PRIMVS OBTVLIT, ET PRIMVS DOCVIT OFFERRI.* Auguſtinus in Pſalmo. 33. poſtea ipſe CHRISTVS, inquit, de corpore ſuo & ſanguine inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Et de Ciuit. Dei libro. 10. cap. 20. per hoc, inquit, & Sacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio: cuius rei Sacramentum, quotidianum eſſe voluit Eccleſię Sacrificium. Vide Damaſcenum libro 4. capite. 14. Ireneum libro. 4. capite. 34. Et in Epiſtola Alexandri Martyris totius Romanæ Synodi nomine conſcripta, legitur: Ipſa veritas nos inſtruit, panem in ſacramento offerre, Accepit enim IESVS panem & benedixit. Iſidorus libro 1. de Eccleſia dogmatibus capite. 18. Sacrificium, inquit, quod à Chriſtianis Deo offertur, primum Chriſtus Dominus noſter inſtituit, quãdo commendauit Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum priuſquã traderetur, ſicut legitur in Euangelio: Accepit, inquit, IESVS panem & calicem & benedicens

Ambroſius
Auguſtinus
Damaſcenus.
Irenæus.
Alexander
Iſidorus.

dedit eis. Hi omnes & multo plures alij vna voce teſtantur, non modo ſacrificaſſe in Cęna ipſum Chriſtum, verum etiam ſacrificari atque offerri præcepiſſe. Ac vehementer ſanè miror qua fronte non erubeſcatis, non iam tu ſolummodo ſed Author etiam Auguſtanæ Confeſsionis à tã claris tot tantorumque Maiorum noſtrorum teſtimonijs diuerſum quid confingere. Sed ſacrificauit Dominus in Cæna, obtulitq; ſemetipſum Deo patri, offerendumque futuris temporibus in Eccleſia exemplo atque præcepto ſuo imperando præcipiens edocuit. Cui obligamur velimus nolimus.

Vaticinia de ſacrificio Chriſtianorum. Malachias.

Ac ne obiter id à Chriſto factum fuiſſe quiſpiam opinetur (quanquam non iam obiter, id quod futurum Deus iuramento confirmauit, & Propheta prædixit) Malachias vnus ex duodecim Prophetis tale Sacrificium in ea quę ex gentibus conſtat Eccleſia offerendum manifeſte prædixit, Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituũ: & munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum magnũ eſt nomẽ meum in Gentibus & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ eſt nomẽ meum in Gentibus. Malach. 1. Hæc Prophetia de Gentium cultu loquitur reprobatis Iudęorũ ſacrificijs

ſicut

ſicut Gentium nomen bis poſitum clarè cõmonſtrat:Et qui s ille cultus,vel quod ſacrificium?An Gentium illorum qui per idololatriam Sacrificabãt dęmonibus, iuxta Pſal. 95.Omnes dij gentiũ demonia? Non ſanè. Neque enim illorum ſacrificia Deo grata eſſe potuerunt,vti nõ ſibi ſed Dęmonibus exhibita. An Iudęorum inter Gentes vbiq; locorum diſperſorum?Non.Neq; enim diſperſi Sacrificaſſe Deo leguntur inter Gentes, ſicut Daniel.ca.3. conqueritur.Non eſt hoc tempore Propheta:neq; holocauſtum,neq; ſacrificium,neq;oblatio,neq;incenſum,neque locus primitiarum. Et Dauid de ijs teſtatur Pſal.105.Et commixti ſunt, inquit,inter Gentes, & didicerunt opera eorũ, & ſeruierunt ſculptilibus eorum.An fortè nos noſtraque Iuſticia hoc ſacrificium ſumus?Scilicet cùm vt pannus menſtruatę immundi ſumus omnes cum noſtra iuſticia.Iſa.64. mundum aliquid noſtrum tanquam noſtrum Deoque gratum fore ſperemus?An ergo ſpirituales hoſtiæ,de quibus 1.Pet.2. ſcribitur? Ne hęc quidem ſicut nec corporis noſtri illa de quibus Apoſtolus Romano.12. ſcribit. Vtrumque enim genus horum etiam apud Iudęos in vſu fuit.Sicut de ſpiritualibus Leuit. 16.&.Deut.6.præcipitur:& corporis illud Deus in Abel aſpexit. Gen.4.An deniq;

 Cru-

crucis victima? Non certè. Hoc enim in vno tantũ loco extra portas Ieruſalẽ ſemel oblatũ, cum eo quod in omni loco ab ortu ſolis vſq; ad occaſum ſacrificandũ prædicitur, minimè cõuenit. De noſtro igitur ſacrificio in quo panis ille vitæ æternæ, corpus nimirũ ac ſanguis agni immaculati & ſancti ſanctorum offertur. Cuius quidem oblatio tàm munda atq; ab omni corruptione aliena, imò omni ſanctitate tã plena eſt, vt nos quoq; noſtraſque immundicias abluat ac purget, peccataque noſtra quæ erant ſicut coccinum, & rubra quaſi vermiculus, quaſi niuem & lanam dealbat. Hæc ſola eſt, de quà Dominus loquitur, cui ſoli hæc ephiteta cõueniũt, quod publicis Iudæorum ſacrificijs tam multis vnica ſucceſſerit, quod in Gentibus ſacrificetur, quod in omni loco offeratur, quod ſit munda, & quod Deo ac patri domini noſtri Ieſu Chriſti offeratur.

Sacrificium noſtrum Malachias prædixit. *Damaſcenus.*

Sed hóc ipſum etiam Maiorum noſtrorum teſtimonijs confirmandum eſt. Damaſcenus lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. Hæc, inquit, oblatio illa munda eſt, de qua Dominus per Prophetam loquitur, offerri ſibi ab ortu ſolis vſque ad occaſum: corpus & ſanguis CHRISTI ad robur corporis & animæ noſtræ. Irenæus qui Apoſtolos vidit, lib. 4. aduerſus hæreſes cap. 32. de hoc Ma-

lachiæ loco ſic ſcribit: Noui teſtamenti nouam docuit (Chriſtus) oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo Mundo offert DEO, ei qui alimenta nobis præſtat, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic ait: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotẽs, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris. Quoniam ab ortu Solis vſque ad occaſum nomem meum glorificatur inter Gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Quoniam magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifeſtiſsimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo, omni autem loco ſacrificium offertur ei, & hoc purum.

Iuſtinus quoque Martyr & philoſophus in Dialogo, quẽ cum Tryphone habuit aduerſus Iudæos diſputans, eandem Malachiæ Prophetiam de ſacrificio Euchariſtiæ intelligit, his verbis ſcribens: DEVS ipſe ait: in omni loco in Gentibus hoſtias acceptas grataſque immolari: Neque verò à quoquam hoſtias DEVS accepit, niſi, à ſuis ſacerdotibus. Itaque omnia ſacrificia quæ ſuo nomine facienda Ieſus CHRISTVS tradidit, id eſt, In Euchariſtia panis & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiũt præoccu- *Iuſtinus.*

pationem

pationem vſus Deus ſibi grata eſſe teſtatur.
Eusebius Cæsarienſis. Quæ autem à vobis veſtriſq; illis ſacerdotibus fiunt, improbat, &c. Euſebius Cæſarien. lib. 1. ca. 10. de demon. Euan. ita ait: Hęc igitur omnia quę ab initio diuinitus prędicta ſunt, in pręſenti tempore per Euangeliũ Saluatoris noſtri doctrinam ab omnibus gentibus celebrantur, Propheticę voci teſtimonium aſſerente veritate, per quam vocem Deus Moſaicis reiectis ſacrificijs, quod futurũ erat noſtrum ipſorum inſtitutum diuinitus nunciat, dicens: Quoniam ab ortu ſolis vſq; ad occaſum nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & hoſtia munda. Sacrificamus igitur Deo altiſsimo ſacrificiũ laudis, ſacrificium Deo plenum, & ordinem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium ſacrificamus nouo more ſecundum nouum Teſtamentum, hoſtiam mundam. Et mox de ſpiritualibus noſtris omniumq; Chriſtianorũ communibus ſacrificijs, de corde contrito, deque oratione quibuſdam inſertis, mox ad ſolenne Eccleſiæ ſacrificium per Malachiam prædictum rediens, Igitur, inquit, & ſacrificamus & incendimus aliâs quidem *MEMORIAM MAGNI ILLIVS SACRIFICII SECVNDVM EA QVAE AB IPSO TRADITA SVNT, MYSTE-*

STERIA CELEBRANTES, & gratias *Auguſtinus*
Deo pro ſalute noſtra agentes,&c. Auguſtinus quoq; lib.18.cap.35.de Ciuit. Dei. Malachias,inquit,prophetans Eccleſiam,quam per Chriſtum iam cernimus propagatam Iudæis apertiſsimè dicit ex perſona Dei: Non eſt mihi voluntas in vobis,& munus non ſuſcipiam de manu veſtra.Ab ortu enim Solis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus,& in omni loco ſacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus.Hoc ſacrificium per ſacerdotium Chriſti,ſecundum ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à Solis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri, ſacrificiũ autem Iudæorum ceſſaſſe negare non poſſunt.Et lib.20.contra Fauſtum cap.18. Hebræi enim in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & varijs modis,ſicut re tanta dignum erat,Prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdẽ ſacrificij memoriam celebrant,ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Vide eundem lib.19.de Ciuit.Dei cap.23.Et lib.contra aduerſarium Legis & Prophetarum,cap.19.dicit:Eccleſia à temporibus Apoſtolorum per Epiſcoporum certiſsimas ſucceſsiones vſque ad noſtram & deinceps tempora

tempora perſeuerat,& immolat Deo in corpore Chriſti ſacrificium. Et lib. 3. de Trini. cap.4. Corpus Chriſti & ſanguiné dicimus, illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem in memoriam pro nobis dominicæ paſsionis. Et ibidem cap.10. Inter celebrationes Sacramentorum cùm offertur & datur, datur illis authoritate grauiſſima, cuius corpus & ſanguis ſit.

Danielis uaticinium de Sacrificio noſtro.

Iam verò quę in omni loco offerenda per Malachiam Prophetam promittitur oblatio, ea ipſa in Daniele ſuo nomine iugis Sacrificij, ſub finem mundi Antichriſto ſeuiente, certo, licet exiguo, tempore in Eccleſia non celebranda prędicitur. In dimidio hebdomadis, inquit, deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis, Dani. 8. & 9. & 12. Cap. Hanc prophetiam Hieronymus in commenrarijs ſuper Danielem arguens diuerſa opinantem Porphirium, & poſt Hieronymum Nicolaus Lyranus de tempore Antichriſti interprętantur. In quo iuge illud ſacrificium & ſollennè corporis & ſanguinis Chriſti prędicit defecturũ propheta. Neq; enim eſt aliud eius generis in Eccleſia ſacrificiũ, quã Euchariſtia. Spirituales enim hoſtias cordis contriti & ſpirit9 humiliati, afflictiones item corporis, nõ prohibere

Hieronymus.

Lyra.

hibere Antichriſtus,ſed augere poteſt. Verũ & ſi cùm ipſe Dominus apud Matt.24.cap. hunc eundem locum Danielis de nouiſsimis temporibus interprętatur,non videtur opere precium patrum de eadem re huc adducere teſtimonia ad noſtra confirmanda: tamen vt ex vno quid reliqui de eo ſantiant omnes,poſsit intelligi,Hyppolitum Martyrem omnium ore in ea quam de Antichriſto habuit oratione,in medium huc placuit adducere, loquentem. Lugebunt, inquit, Eccleſię luctum magnum,quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus,ſed Eccleſiarum ædes ſacrę tugurij inſtar erunt, pretioſumq́;corpus & ſanguis Chriſti nõ extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit,Scripturarũ recitatio nõn audietur. Tunc dicet his qui erunt à dextris eius: Venite benedicti patris mei,poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: Venite Prophęte propter nomen meum expulſi,Venite põtifices,qui purè mihi ſacrificiũ die noctuq́; obtuliſtis, ac pretioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie. *Hyppolitus. Hunc citat Hierony. in Danielem.*

Ex his omnibus quæ hactenus dicta ſunt, primum illud conſtat, quod tùm Naturæ quàm ſcripta Lege externum aliquod ſemper Sacrificium in Dei cultum adhibitum *Collectio eorum quæ huc uſque ſunt dicta.*

populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt ſemper perſeuerat & viuus. Et Martialis v- *Martialis.* nus ex diſcipulis Epiſtola ad Burdegalenſes cap. 3. ſic ſcribit: Sacrificium Deo creatori offertur in ara, non homini, neque angelo, nec ſolum in ara ſanctificata, ſed vbiq; offertur Deo oblatio munda: Sicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinem in vitam æternã offerimus. De hoc Clemens Petri diſcipu- *Clemens.* lus Epiſtola 3. ad Iacobum fratrem Domini: Non licet in alijs locis ſacrificare & Miſſas celebrare niſi in his, in quibus Epiſcopus ꝓprius iuſſerit. Hæc Apoſtoli à Domino acceperunt & nobis tradiderunt. Huius & Igna- *Ignatius.* tius Ioannis diſcipulus meminit epiſtola ad Smirnenſes. Hãc bona parte Dionyſius de- *Dionyſius.* ſcribit lib. Eccleſiæ hierarch. cap. 3. Hoc Anacletus præſentibus teſtibus vnum idemq́; *Anacletus.* cum ſacrificante ſentientibus celebrari vult. In hoc nihil preſtantius nihilq́; maius offerri poſſe quàm corpus & ſanguinem do. Ale- *Alexander* xander Martir docuit, Epiſtola ſua. 1. Hoc *Martyr.* cum S. Martinus celebraret globium ignis in *S. Martinus* capite geſtare viſus fuit. teſte Sulpitio Seuero lib. 2 Dialog. cap. 2. De hoc Chriſoſtom9 in 2. epiſ. ad Timoth. homil. 2. & homil. 3. ad *Chryſoſtomus.* Epheſ. 1. homil. 17. ad Hebr. cap. 10. homi. 24 in 1. Corinth. cap. 10. & homil. 77. in Ioann.

cap.16.& lib.6. de dignitate Sacerd. cap.4. Tunc, inquit, etiam angeli circumſtant Sacerdotem,& tribunal: atq; Altaris locus cæleſtibus virtutibus adimpletur, ad honorẽ illius qui immolatur. De hoc Tertul. de corona militis, Gregor. Nazianzenus oratione 1. in Iulianum Apoſt. Amb. in 1. cap. Lucæ. Hoc Syxtus fecit miniſtrante Laurentio Diacono teſte Ambroſio lib. 1. officio. cap.41. De hoc Auguſt. in Ioan. Tract. 27. & lib.20. contra Fauſtum cap.18.& ad Renatum. lib.1. capite 11.& lib.3. ca.12. de anima & eius origine,& libro.4. de Trinit. cap.14. quid, inquit hoc loco, tàm gratè offerre & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus offertur ſacerdotis noſtri. Et lib.22. de Ciuit. cap.8. &.10. lib.10. de ciuit. Dei cap.20.&.6. Hieron. ad Damaſum. ad Hedibiam Queſt. 2. De hoc Theophilact. in. Matt. cap.28. In Lucam cap.5. Cyprianus de Cæna Domini Cyrillus contra Neſtorium. De hoc (ne paucorum errorẽ & non potius totius Eccleſię doctrinam tradere me exiſtimes) Nicenum Concil. anno Do.315. celebratũ, ſic loquitur: Iterum etiam hîc in diuina Menſa, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitũ panẽ & poculum, ſed attolentes mentẽ, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illũ Dei, tollentẽ peccata mundi, incruente à ſacerdotibus

Tertulianus. Greg Nazianzenus. Ambroſius. Sixtus cum Laurentio Diacono. Auguſtinus.

Hieronymus. Theophilactus. Cyprianus. Cyrillus. Nicenum Concil.

bus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguiné nos verè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Et Canone.18.vel.24. Peruenit ad Sanctũ Concilium, quod in locis quibuſdã & ciuitatibus prȩsbyteris gratiã ſacrȩ cõmunionis Diaconi porrigant. Hoc neq; regula neq; conſuetudo tradidit, vt hij qui offerẽdi Sacrificij non habẽt poteſtatẽ, his qui offerũt corpus Chriſti porrigãt. Vide Concil. Alexandrinum circa an 467. Epiſt.10. Cyrilli. Concil. Epheſ. vniuerſale an.468. Toletanum.14. circa an. 686. Rurſus Nicenum 2. vniuerſale 7. anno 790. Lateranenſe deniq; ſub Innocentio.3. cap.1. Quin ex ipſis etiam hȩreticorum certaminibus hoc ipſum quod volumus aſſeritur quales ſunt hydroparaſtæ qui ſolam aquã in ſacrificio adhibendã, & Armeni qui ſolum vinum Sacrificandum ſenſebant. ſicut in 6. generali Synodo cap.32. legimus. Et Lutherus in Pſal.109. Quid eſt, inquit, quòd Melchiſedech panem & vinũ obtulit pro Abraham ibi expreſsit ſacerdotiũ Chriſti in hoc tempore vſque ad nouiſsimum diem quod abſconditum ſacramentũ altaris, ſacri corporis & ſanguinis pretioſi ſui offert in Eccleſia. Hȩc ſunt Iacobe, quibus nobis perſuaſum eſt, in Eccleſia Catholica magnum illud atque ſolenne corporis & ſanguinis

Alexand. Conci. Epheſin. Toletan. Lateran. Hereticorũ teſtimonia. Hydroparaſtæ. Armeni.

Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrificium neceſſerio retineri, vt quod olim promiſſum fuit in Prophetis, & voce Dei patris per iùramentum confirmatum eſt, cuius initium medium & finis: in Melchiſedech, in Chriſto, inque Antichriſto ſanctarum Scripturarum, Authoritate oſtenditur; cuius Author Deus, cuius executor & Sacerdos etiamnum hodie in noſtris Liturgis CHRISTVS, Cui omnium Eccleſiæ Doctorum vox totiuſq́ Chriſtiani nominis populus piè ſanctequе aſſentiens teſtimonium dat. Hæc ſunt inquam quę faciunt, vt veſtram iſtam in rebus diuinis vel inſcitiam vel leuitatem vehementer admiremur, & quibus ob vltro quæſitam atque aſſcitam animorum pertinaciam nec Dei honos, nec propria ſalus, nec ipſum Iuſticiæ dictamen ſatis cordi ſit.

Obiectionū confutatio. Sed noſtris defenſis confirmatiſque, reſtat vt tua etiam examinemus. Sanè quod de Moſe Philoſphus, multo rectius in te dicetur, quod cum multa dicas, nihil probes. Nō dubito quarumcumque partium prudentes viros tuis ac ſimilibus ſcriptis lectis, multum ab iſto in Miſſam concepto odio remittere, cum ipſi videant, non iam Scripturarum authoritate, non Maiorum teſtimonijs, non vllis ex vtriuſque deductis argumentis contra eam pugnari, ſed ſomnijs, opinio-

nibus

nibus,ſtultiſque imaginationibus circa eam quaſi per luſum velitari & omnino eiuſmodi robur ad expugnandam eam admoueri; quod vel ſua ipſius infirmitate ante congreſſum collabitur, vel haud magno labore facile repellitur. An enim non conſtans argumentum eſt, deficere tibi vera ac ſolida argumenta contra hoc Sacrificium, quum ſomnijs tuis opinionibusq́ue tete oblectes.

Duo enim cum ſcribis, quorum altero ſocordiam, altero etiam impietatem Eccleſię Catholicę videris obijcere: dic quæſo te, vbi legiſti, ex quoue audiuiſti: primum veniſſe poſt longum tempus (ſic enim ſcribis) *Obiectio. 1.* indoctum aliquem aſinum, qui preces, quas collectas vocamus, tam eas quæ ad populi oblationes vt ſunt anſeres, oua, veſtes, &c. pertinuerunt, quàm quæ ad Cænam directæ fuerunt, in vnum quaſi aceruũ conijciens commiſcuerit, deque vtriuſque vnum fecerit? Vbi etiam alterũ legiſti: nempe per Miſſę Sacrificium negari CHRISTI Domino poſsionem, mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem, inuertique ac lacerari *Obiectio. 2.* ſanctum ipſius Sacramentum? Ah ne mihi hic veſtrum. Quintum Euangelium ex ruderibus ſub ſcamno inuentum & erutum, imò vobiſcum natum, atque vtiquàm etiam

 ſubla-

ſublatum referas: Scatet illud huiuſmodi ſtultitijs atque accuſationibus totum. Sed in tanta re quę Dei gloriam, noſtrum omnium ſalutem contingit, vtendum eſt magnis atq; grauibus cauſis. At video quod cum duo dicas, neutrũ probes. Reſpondeo tamen tibi, quoniam populares tui dixiſſe te fortè aliquid exiſtimãt, quibus ſępe accuſaſſe conuiciſſe eſt. Negoprimum in Eccleſia talem vel ſocordiam vel neglegentiam vnquã fuiſſe, qua licitum factum ſit aliquando, quicquam à veritate fidei Chriſtianę: alienum in ſolenne illud Miſſæ officium impunè inuehere. Sed ſemper magna huius rei cura apud Eccleſiæ Antiſtites fuit. Nam in Concilio Carthaginenſi tertio; cui Auguſtinus interfuit. Canone. 32. diligenter cautum fuit, vt omnes preces ad altare ad patrem Deum fiant: & ne quis patrem pro filio vel filium pro patre nominet: tuum etiam ne quis pro ſuo arbitratu preces à ſeſe priuato compoſitas in Eccleſia ſine fratrum iudicio legat. In Concilio Mileuitano, circa tempora Innocentij primi, Canone. 12. cauetur, vt preces & orationes niſi à Concilio Probatæ & confirmatæ in ECCLESIA non dicantur. Loquens enim de orationibus: Nec aliæ, inquit, omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ,

Refutatio primæ.

Carthag. Concil.

Mileuitan. Concil.

vel

vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel minus ſtudium ſit compoſitum. Poſtea eius nomine primus Galaſius Sanctus Pontifex vniformes preces in omnibus diuerſarum prouinciarum Eccleſijs diſtribuit. Vide reſcriptum Gelaſij ad Epiſcopos Germaniæ Conciliorum Tomo ſecundo foli 161. Poſt quem Gregorius eaſdem preces propter myſterium impari numero in quolibet Sacrificio dicendas iniuxit. In Concilio Laodicenſi Canon. 19. animaduertere Licet, preces ante conſecrationem in Miſſa dicendas in tres claſſes fuiſſe diſtinctas. Primò enim quædam ſub ſilentio dicebantur, quando aderant Catechumeni ad epiſcoporum pedes proſtrati. Et hæc pars Catechumenornm Miſſa dicebatur, Poſt eam abeuntibus Catechumenis alij Cantus ac preces clara voce ſonabant. Quæ pars pænitentium Miſſa dicebatur, quod ij quorum conſcientia aliquo delicto vulnerata eſſet, intererant.

Gelaſius. *Gregorius.* *Laodicen. Concil.* *Miſſa Catechume.*

His quoque digreſſis demum piorum cætus ac qui tantis myſterijs digni habebantur, ſuccedebant, qui & precibus & litationi & communioni cum magna deuotione aderant, earumq; rerum pij ſpectatores erãt. De qua re vide Gregor. Dialo. lib. 2

Miſſa pænitentium. *Miſſa perfectorum.*

Gregorius Agathen. Concil.

cap.23. Deniq; in Agathenſi Concil. ſub rege Alarico Franciæ. cap.21. de Eccleſiæ precibus ſic ſtatutum legitur: Conuenit ordiné Ecclæſię ab omnibus æqualiter cuſtodiri. Itaq; ſtatuendũ eſt(ſicut vbiq; fit) vt poſt antiphonas collationes ab Epiſcopis vel prꝺſbyteris dicantur, & hymni, matutini, vel veſpertini, decantentur diebus omnibus, & in concluſione matutinarum vel veſpertinarum vel miſſarum poſt hymnos capitula de Pſalmis dicantur,& plebs collecta oratione ad veſperã ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur. An ſatis tibi hæc non ſunt ad liberãdos veteres Eccleſiæ Antiſtites ab ſocordiæ incuriæque accuſatione, qua tu eos per inuidiam inſcitiamque grauas?

Gangren. Concil.

At eadem cura ac ſolicitudine erga res offerendas vſi ſunt. Nam cum ſecundum exempla S. Scripturæ 2. Eſdræ.8. vbi die octauo collectam fecerunt, & 1. Corinth.16. vbi Apoſtolus ad faciendam collectam hortatur, ſicut etiam in grangenſis Concilij capite 20. collectarum fit mentio nonnumquam etiam egentium ratio habenda fuit in Eccleſia, & ab habentibus ſubminiſtrabatur non habentibus, tam accuratè collecta à ſolenni ſacrificio ſecreuerunt, vt nec vno loco, nec vno tempore, vtrumque fieri voluerint, ne quis error commixtionis vtriuſque in vnum

Veterum uigilantia & cura.

ſub-

ſubrepere poſset. Qua de re Gregorius S. Pont. in expoſitione odimis Romani, ſic dicit: Quod ſi iuxta exemplum Apoſtolicæ indictionis neceſsario fieri debeant aliquãdo collectæ fideliũ in vſus pauperũ, vel pro reſtauratione Eccleſiarum, oportet hoc fieri oportuno tempore & loco, non inter Miſſarum Solennia. In Carthaginenſi quoq; Cõcil. tertio, cui, vt ſupra dictum eſt, Auguſtinus interfuit, cum Canone 23. de precibus rite atq; ordine perſoluendis diligenter ſtatutum fuiſſet, mox ſequenti 24. Canone de ijs quę in Sacrificio offerantur, concluditur: vt in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, Panis & vinum aqua miſtum. Nec amplius in ſacrificijs offeratur quã de vuis & frumentis. Quin etiã in Apoſtolorum canonibus tertius ſic habet. Si qua Epiſcopus aut prẹsbyter poteſt ordinationẽ Domini, quã ſacrificio inſtituit, alia quæpiã puta mel aut lac, aut pro vino ſiceram aut cõfecta quædam, aut aues, aut aliqua animalia aut legumina ſuper altare obtulerit, vt qui contra ordinationẽ Domini faciat, congruo tempore deponitur. In Dionyſio Gallorum Epiſcopo altare in quo populi oblationes imponebantur, ab altero altari ſolennis Sacrificij diſtantia loci ſecernitur: Et in libel-

Gregorius. *Vbi & quando offeratur.* *Concil. Carthag.* *Quid offeratur.* *Canon. Apoſtolorum.* *Dionyſius.*

lo ordinis Romani Epiſcopus deſcribitur manus lauas vt cæleſtem panem accepturus, à terreno pane, quem iam à laicis acceperat, manus expurget. Hæc ſanè quæ hactenus recitata ſunt Maiores noſtros etiam à minime negligentiæ ſuſpitione, ne dicam, accuſatione magnificè excuſant, vt quę ſummam ipſorum vigilantiam iam in tollendis qui irrepere videbantur, iam, etiam in præcauendis qui tacitè palamúe ſubintrare aut inuadere poſſe credebantur abuſibus, manifeſtè oſtendunt. Quanquam vt inimici homines nihil mali atque inſperati in ea quæ ad CHRISTI fidem Religionemque pertinet attentarint (aduerſario rugientis in morem Leonis circumeunte) in ipſorum certè facultate poſitum non fuit: cum ſæpè optimus pater familias ſuæ vnius domus familiam pro votis in officio continere non poſsit. Atque vtimam noſtra hæc ætas ſimiles haberet ijs qui olim in Eccleſia cultus diuini rationem tradiderunt traditamque auxerunt, & in eam formam (de rerum ſubſtantia loquor) quam etiamnum ritè ſequeremur, conſtitum poſt ſe reliquerunt: profectò ad iſtud quidlibet audendi faſtigium licentia veſtra atque impunitas nunquam excreuiſset. Repreſſa fuiſſet ſtatim initio exurgens flamma, extinctum-

tinctumque fuiſſet incendium, ſicut ſuorum illi temporum imminentes heræſeon ſtrages obiectis non rebus ſolum, ſed & corporibus & vita, ab Eccleſię ceruice aliquoties auerterunt, repercuſſeruntque, Id quod tot Concilia prouincialia vniuerſaliaque, tot itinera longa atque aſpera, tot vulnera mortes exilia piorum Epiſcoporum clarè demonſtrant. Quod cum tu ipſe, (ne nihil tibi tribuam) non ignores, aut certè ignorare non debes, miror equidem quem tu innuere velis ſub indocti aſini apellatione: miror, inquã, cui ex omnibus tantũ in Eccleſia Catholica vnq̃ licuiſſe exiſtimes, vt pro vnius aut alterius arbitrio in tantis rebus quicquam à veri rectiq; ratione alieni vel mutatũ vel conſtitutũ fuerit. Inuenio aũt alias cauſas inditi collectarũ nominis ijs precibus, quibus in liturgia cũ Deo agere ſolent miniſtri. *Collectarum nomen. & ratio triplex.* Primò enim quicunquę in aliqua neceſsitate aduerſitateque poſiti erant, ad liturgum veluti ad ſacram anchoram acceſſum habebant, cui moleſtias ſuas aperiebant, ac interceſsionem pro mitigatione ac liberatione petebant: quicunque etiam aliquo beneficio à Deo affectus aut ex malis liberatus erat, per eundem gratiarum actionem ſolennem, votaq; ſua in conſpectu omnis populi Deo reddebat iuxta quod Pſal. 115. dicitur.

&inde

Remenſe concilium. & inde in Remenſi Conſilio factum legitur, Burchardo Vvormatienſi Epiſcopo teſte, libro 3. cap. 97. Quorum omnium petitiones vota voluntateſque ſacerdos veluti in vnum faſciculum colligebat, atq; pro cuiuſque expectatione ad Deum referebat. Vndè nominis collectarum ratio, quod non vnius generis omnium eſſent poſtulata. Deinde etiam? colligi omnes homines in eam fidei atque Eccleſiæ vnitatem quæ ſola præſtat ſalutem, poſtulabat Sacerdos, quo omnium fieret inter ſeſe cor vnum atque anima vna: ſicut de primis illis ſanctæ Religionis hominibus Actorum liber teſtatur Act. 2. Tertio deniq́ue hoc quoq; ſacerdos orabat, vt Credentium multitudo ſic, vti dictum eſt, ſancto quodam Charitatis atq; vnitatis vinculo inter ſeſe collecta, etiam cũ Chriſto tanquam multorum membrorum capite in vnum myſticum corpus per nexus & iuncturas Col. 2. colligerentur. De qua re Albertum vide in expoſitione Miſſæ.

Refutatio obiectionis. II. Miſſę ſacrificio non obſcurantur Chriſti merita Cæterum quod per Miſſę ſacrificium domini noſtri Ieſu Chriſti paſſionem mortem reſurrectionem & aſcenſionem negari, ſanctumq́ue ipſius Sacramentum inuerti lacerariq́ue lugubri admodum voce quiritaris, vix dignum reſponſo eſt. Oſtendi enim ſupra Sacrificij huius Authorem eſſe Deum, cuius

cuius iuramanto Chriſtus ſacerdos conſtitutus hoc ſacrificium primus obtulerit; etiam eiuſdem mandatu hodie in Eccleſia Catholica celebrari idem atque offerri, quod Chriſtus in Cæna obtulit. Quis verò tàm à ratione alienus vnquam fuit, vt diceret mandati Dei executione DEI Sacramenta inuerti lacerariq́; ? Itane Chriſtus ſecum ipſe pugnat vt ſacramenta quę ipſe inſtituit per cultus ſui perfectionem, & voluntatis ſuæ execqutionem, inuerti cupiat? Scilicet illic IESV Chriſti paſsio mors reſurrectio & aſcenſio negantur: vbi ſecundum paſsi, morientis, reſurgentis, & aſcendentis voluntatem ac mandatum, eadem ipſa paſsio mors, reſurrectio, & aſcenſio, corde, verbo, geſtu, commemorantur vbi Chriſtus ipſemet & ſacerdos eſt qui ſacrificat, & ſacrificium quod offeretur, & Deus cui offertur. Non enim, inquit Chryſoſtomus, homil. 83. in Matthæum, humanæ virtutis ſunt hęc opera: Sed qui tunc in illa Cæna confert, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit: miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui vero hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Et idem hom. 60. ad popu. Antioch. & in Matt. 51. Verum & tu laice, inquit, cùm ſacerdotem videris offerentem, ne tu ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manû inuiſibiliter extenſam. Sicut

Idem Sacerdos. eadem hoſtia offert & offertur.

Chriſoſtomus.

enim

enim cum baptizaris, ipſe te ne baptizat, ſed Deus eſt qui tuum caput iuiſibili potentia continet, & nec Angelus nec Archangelus nec vllus alius accedere & tangere, ita & nũc quoque. Et in poſteriorum ad Timoth. epiſtola Homilia. 2. de Euchariſtia loquens ſic ait: Non habet iſta quam illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed CHRISTVS qui illam antea Sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus Chriſtus eadem ſunt qui Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem eſt. Et Oecumenius ante nongentos annos ſuper locum: Tu es Sacerdos in æternum: ſignificat, inquit, ſermo, quod licet CHRISTVS non obtulerit carentem ſanguine Hoſtiam (ſiquidem ſuum ipſius corpus obtulit) attamen qui ab ipſo fungentur Sacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent: Nam hoc ſignificat in æternum. Neque enim de ea quę ſemel à Deo facta eſt oblatio & hoſtia dixiſſet in ęternum, ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos per quos medios CHRISTVS ſacrificat & ſacrificatur, qui etiam in myſtica Cæna tradidit illis modum huiuſmodi Sacrificij. Rurſum Chriſoſtomus Homil. 17. ſuper Epiſtolam ad hebræas: Quid ergo nos? inquit, Nonne per ſingulos dies offerimus?

Oecumenius

AEternum

Offeri-

Offerimus certè, verùm ad recordationem mortis eius facientes. Et vna hæc eſt hoſtia, nō multæ. Quomodo vna eſt, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, & quidem in ſancto ſanctorum oblata eſt: hoc autem Sacrificium exemplar illius eſt: idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum. Proinde vnum eſt hoc ſacrificium, hac ratione, Alioquin quoniam in multis locis offertur, multi CHRISTI ſunt? Nequaquam: Sed vnus vbique CHRISTVS & hîc plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus eſt, & non multa córpora: ita etiam & vnum Sacrificium: Pontifex autem noſter ille, eſt qui Hoſtiam mundantem obtulit, ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus in commemorationem certè fit eius, quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud Sacrificium ſicut Pontifex, ſed idipſum ſemper facimus: magis autem Sacrificij recordationem operamur. Et Auguſtinus libro. 10. Capite 20. de Ciuitate DEI, de Sacrificio hoc, mentionem faciens: verus, inquit, ille mediator (in quantum formam ſerui, acci-

Vbique vnū ſacrificium.

Auguſtinus

accipiens mediator effectus eſt Dei & homi num, homo Chriſtus IESVS) cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus Deus eſt, tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe quam ſumere: per hoc & ſacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei ſacramentum, quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificiū, cum ipſius cor poris, ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tàm ipſa per ipſum, quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri. Hæc ſanè ſanctiſsimorum patrū teſtimonia longè diuerſum à tua Iacobe tuorumque opinione oſtendunt: Quæ ſi, vt par erat, animaduertiſſes, nunquā tam turpiter in re manifeſtiſsima hallucinatus fuiſſes. Quid enim an fortè tàm deſiderata Eccleſiæ lumina Chriſti paſsionis, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis merita obſcurata per hoc ſacrificium voluerunt, quod & ipſi Deo obtulerunt, & offerendum tàm luculenter docuerunt? An forte Chriſti gloria, & ſacramentorum reuerentia ipſis cordi non fuerunt? cuius tu cum paucis te vindicem tantum non adorari affectas? Meretur ingens illa crucis ſacrificij maieſtas & gloria, vt memoria eius non niſi per ſanctiſſimam actionem Deoque gratam & quæ cū laude Dei coniuncta ſit (qualis eſt ſacrificium) in hominum pectoribus conſeruetur,
quem-

quemadmodum etiam ipſe Deus eiuſdem Sacrificij expectationem deſideriumque olim, non niſi per conuenientia illi Sacrificia in hominum mentes infigere atque inſculpere voluit. Quæ autem laus Dei in in tua manducatione atque bibitione conſiſtere poteſt? Non enim in corporis ac ſanguinis ſui manducatione, ſed in eiuſdem incruenta oblatione memoriam ſui commendauit Dominus, cum manducare panē atq; bibere vinum, cuiuſmodi vos frequentatis, actionis ſint non quæ nos referant in Deum, ſed auocent. In quo igitur Domino placuit ſui memoriam conſeruari ex eo merita ſacramentaque ipſius lacerari corrumpiue, dicere, opinariue ſani, piique non eſt.

Eiuſdem farinæ ſunt, quæ ad opugnandum Eccleſię ſacrificium ex epiſtola ad Hebræos ſcripta in medium profers. Ex nono enim capite dicis: per proprium ſanguinem Chriſtus introiuit ſemel in ſancta, ęterna redemptione inuenta. Et: ſanguis Chriſtus qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. Et: Neque vt ſemetipſum offerat ſępè, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Et: Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Et ex *Obiectionis confutatio. III.*

10.ca.eiuſdem Epiſtolę. Vnam offerens pro peccatis hoſtiã, in ſempiternũ ſedit in dextera Dei. Hæc, inquis, teſtimonia de vna tantum oblatione Chriſti corporis in Cruce facta loquuntur. Quia igitur ſacrifici quotidie offerunt, manifeſtũ fit, ipſorũ oblationẽ cũ his teſtimonijs nõ cõſiſtere, alioqui neceſſe eſt in Epiſt. dici quod bis eſſet oblatus Chriſtus cuius rei tamen nullam mentionẽ facit. Addis deniq; (vt dignum ſit patellæ operculum) ex Chriſtiana fide conſtare, quod Chriſtus ſemel tantum oblatus ſit: Idq; ſub Pontio Pilato. Reſpondeo: primum ſi hæc teſtimonia ſacrificio altaris repugnant, vehemẽter miror atque deplorandam exiſtimo omnium pijſsimorũ doctiſsimorumq; Eccleſiæ doctorum cęcitatem, quorũ nullus hanc repugnantiã vnquã vel animaduertit, vel ſcriptis oſtendit; Miror dei patientiã ne dicã an iram, neſcio, qui tã multis ſeculis tantã rem Eccleſię paſſus ſit manere ignoratã & abſcõditam. Sed quis hîc repuguantiã eſſe dicat, nisi ipſe cum veritate Euangelica repugnet? Dicitur eadem Epiſt. Legem habere ymbrã futurorum bonorum. Vmbra aũt oſtendit lucis locum. Quamobrem ex hac Legis vmbra veritas Lucem docens Apoſtolus, ſacerdoti magno, qui ſingulis annis ſemel in ſancta ſanctorum manufacta cum ſauguine alieno in-

Vmbra legis oſtendit ueritatis locum.

no introire ſolebat, Chriſtum qui ſemel tantum in ipſum cælum cum proprio ſanguine introiuit, confert; ac in quo conueniant, in quibus etiam diſcrepent, per collationẽ manifeſtat. Et veriſsimũ eſt, ſummum ſacrorum in veteri Lege Antiſtitem figuram geſsiſſe Chriſti. Sed quid hæc vtriuſque ſummi, inquam, Pontificis & Chriſti ſummi Sacerdotis collatio ad quotidianum ſacrificij eiuſdemq; miniſtros? niſi vt erudiat nos per hoc ipſum Apoſtolica authoritas, ſimiles collationes vtriuſq; Legis perſonarum atq; rerum quærendas eſſe. Sit ergo ſummus veteris ſcriptæ Legis ſacerdos figura Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri, primi ac ſummi ſacerdotis nouæ Euangelicæ Legis, vobis ipſis, ac Paulo eiuſdem ſeruatoris Apoſtolo, teſtibus. Et ſicut vos ex hac figura ducitis argumentum, ſcilicet, ita Chriſtũ Ieſum ſemel diebus carnis ſuæ per propriũ ſanguinẽ introijſſe in ſancta ſanctorum nõ manufacta, ſicut vetus ſummus Sacerdos ſemel in anno introijt ſancta ſanctorum manu homini facta: Ita eodemq; modo liceat nobis ab reliquis eiuſdem Legis ſacrificis exemplaria ducere ad nouæ Legis ſacerdotes, & integrum ſit, veſtra pace, quotidianum Sacerdotium quotidianoſque Sacerdotes nouæ Legis illius veteris legis Sacrificio quotidiano quotidianiſque

Summus Sacerdos & Chriſtus Pontifex.

Sacerdotibus ſuccedere atque reſpondere. Patiamini rogo Legem quam ipſi facto fertis. Sequetur hinc ſicut veteris Legis quotidiana ſacrificia declaratio & commemoratio quædam annui illius ſummi ſacrificij fuerunt, ita (quod Catholici docemus) quotidianum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſacrificium noſtrum, de quo diſputamus, declarationẽ commemorationemq; eſſe magni illius cruenti ſacrificij ſemel in cruce peracti? Sequetur etiam ſicut quotidiana legis ſacrificia quotidie peracta ſolennis illius annui ſacrificij ſummi Pontificis maieſtatem non obſcurarunt non lacerarunt, non inuerterunt, ita neque quotidianum ac iuge Sacrificium cruenti illius atque ſolennis Crucis ſacrificij merita, effectus, ſacramentaque obſcurare lacerare aut vllo modo inuertere. Ex eodemque ſacrarũ ſcripturarũ fundamẽto te falſam iniquamque accuſationẽ contra Eccleſiæ de hoc noſtro Sacrificio confingere atq; intentare. Eccleſiã vero ſolidis rationibus atque argumentis aduerſum te tuoſque omnes pro veritate, pro iuſticia, proque Chriſti voluntate atq; inſtitutione inſiere, conuincemus. Cum enim vtrinque eadem ratio eſt, aut peruertunt vtriuſq; Legis quotidiana Sacrificia ſolenne illud atq; annuum aut non peruertũt. Si peruertunt, iam ipſe

ipſe Deus peruerſionis huius cauſam eſſe di ces neceſſario, qui tam quotidiana quam annuum illud inſtituit: Si non peruertũt, accuſatio tua in vitio eſt, quia reprehẽdis ea quæ reprehenſionem non merentur, & ordinis Eccleſiaſtici odio diuinorum inſtitutorum cenſorem te correctoremque contra Deum atque Eccleſiam offers. Verum enim vero ſi abſurdum tibi videtur quod ſacrificij illius magni in cruce ſemel peracti memoriam reuerentiamque per quotidianum hoc ac iuge conſeruandam renouandamq; docemus, in 12. cap. Exodi reſpice, Hoſtiam agni paſchalis diligenter conſidera, inuenies vnum eundemque agnum & ſemel immolatum in pretium & ſingulis annis repetita ſolennitate frequentatum in memoriam.

Quam obrem nec illud ob eſt quod Chriſtus æternam redemptionem inueniſſe dicitur: Id quod omnes gratis animis cõfitemur. Neq; enim eſt ſub cælo aliud nomen, in quo oportet nos ſaluos fieri. Act. 4. Neq; ita hanc æternã redemptionẽ inuenit Dominus, vt nihil iam ad eam conſequendam faciendum patiendumue ſit. Sed qui redemptionẽ inuenit, idem quotidiè orãdum eſſe docuit, vt liberemur à malo. Matth. 6. Luc. 11. Idem alibi pronunciat, ſi velimus ad vitam ingredi, vt ſeruemus mandata Matth. 19. Idem etiam

cominatur niſi pænitentiã egerimus omnes perituros, Luc. 13. Sicut de cælo idem quoq; ipſe deſcendit, nõ ſolum quęrere & ſaluum facere quod perierat, Lu. 19. verum etiam vt in nomine ipſius futuris temporibus prędicetur pęnitentia & remiſsio peccatorũ, Act. 5. Itaq ſicut inuenta ęterna illa redẽptio neque orationẽ neq; pęnitentiã, neq; mandatorum exequutionẽ excludit, ita neq; mortis reſurrectioniſq́; commemorationem, qualis ſit in iuge ſacrificio. Quoniã in Matth. 13. deſcripta parabola de inuento theſauro atq; Margarita precioſa nos docet, non ſatis eſſe inueniſſe theſaurum margaritamq́; ſed vendenda omnia & emendum eſſe agrum illum theſauri inuenti. Ita hic quoq; cum Chriſtus dicitur inueniſſe æternam redemptionem, intelligendum eſt ſecundum ſufficientiam de qua ſequenti dicetur Articulo. Sanguis enim Chriſti ſufficiens eſt pretium æternæ redemptionis, licet innumeri ſint qui redẽtionis eiuſdem fructum non recipiunt, quoniam ſe nõ accommodant ad accipiendum. Quid enim profuiſſet inueniſſe theſaurum margaritamúe, vt parabola docet, in alieno agro, niſi venditis omnibus comparatus fuerit ager?

Sufficientiã meritorum Chriſti.

Sic quod in eadem quoque Epiſtola ſcribitur, quod ſanguis Chriſti emundabit con

ſcientiam

ſcientiam noſtrã ab operibus mortuis: Quis negat? Nemo noſtrum eſt, qui non palàm ac libẽter confiteatur, merita Chriſti ſanguinis in quibus etiã conſcientiæ emundatio comprehenditur, per Baptiſmũ communicari Et quidẽ ſi ſuſcepto lauacro emigraremus, non eſſet neceſſaria emũdatis vllius ſacrificij aut cultus actio. Verũ ſic emundatis purificatiſque accidit id, quod Petrus Apoſto. iuquibuſdam deplorat, 2.Pet.1.vt obliuionẽ accipiant purgationis veterũ ſuorum delictorũ. ideoq; neceſſe habeãt vt per bona opera certam vocationẽ & electionem ſuam faciant, quo introitus in ęternum regnum Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti miniſtretur illis; neceſſe, inq̃, habent, vt etiamnũ manus emundent, & corda purificent, ſicut alius Apoſtolus docet, Iac.4. Quæ quidem purgatio ſiue purificatio non ſemel tantummodo in ſanguine Chriſti fit, verum etiam quotidie idque per fidem, ſicut Act.15. ſcribitur. Quod verò niſi hanc ipſam purificationem in iugi hoc ſacrificio circa ea quę oculis non cernuntur nec ratione comprehenduntur, tantũ fide intelliguntur, inquirimus? Semel oblatus eſt Chriſtus ad multorũ exhauriẽda peccata. Quid ergo? Nihilnẽ opus iam eſt, vt peccata exhauriantur, deleãtur, dimittãtur? Verũ ipſe Do. orandũ docuit patrẽ: vt dimit

tat nobis debita, id eſt, peccata noſtra Matt. 6. Et Apoſtolus Chriſti Ioannes 1. Ioan. 1. ſcriptum reliquit, quod ſanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato, verum tamẽ addit eodem contextu: ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. Itaque peccatum habentes, quantumuis per ſanguinem Ieſu à peccato emundati, & per peccatum à ſocietate Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti excidentes, neceſſario Apoſtolicę acquieſcimus voci, cohortãtis nos, vt Deo reconciliemur. 2. Corinth. 5. & vt appropinquemus Deo appropinquanti nobis, Iacob. 4. Sed quomodo aut qua ratione Deo reconciliabimur, ipſique appropinquabimus? niſi in communione corporis filij eius Ieſu Chriſti ſanctam cum ipſo ſocieatem, tanquam vnius corporis, cuius ipſe ſit caput nos membra, colentes: in quo ſanctus quidam panis æternę vitæ, & calix ſalutis perpetuę effecti, patris æterni Dei conſpectui ſiſtimur.

Semetipſum obtulit Chriſtus.

Semetipſum obtulit, Rectè. Ideo ne ſequitur, à nemine offerendum eſſe. Pater dedit illum, Ioan. 3, & tradidit illum, Rom. 8. Imò in Chriſto pater mundum reconciliat ſibi 2 Corinth. 5. Quanquam autem Deus verbum recõciliationis in miniſtros ſuos poſuit, tamen, in diuiniſsimo illo ſacrificio altaris

taris non ipſi ſunt qui corpus & ſanguinem ſacrificant,ſed ſicut vna eademq; caro, vnus idemq; ſanguis cũ in cruce tùm in altari eſt, ita vnus idemq; Dominus Ieſus Chriſtus eſt qui ſeſe cùm in Cruce viſibiliter,tùm in altari inuiſibiliter offert: vnum vtrobiq; ſacrificium,vnus vtrobique ſacrificans,ſicut ſupra etiam ex Chryſoſt. Oecumenio,& Auguſtino docuimus.Itaque ne hoc quidem, quod ſemetipſum obtuliſſe ſcribitur, quicquã facit ad tollendum iuge Eccleſiæ Cath. ſacrificium.

Sed inquis,ſi bis Chriſtus oblatus eſſet, ſemel in Cæna ſemel in cruce,Eccleſia vtriuſque oblationis neceſſario meminiſset. Quid audio ? Nihilne fecit Chriſtus niſi qđ in Epiſtola ad Hebræos ſcriptum Legimus? Tollantur ergo reliqua noui Teſtamenti volumina, quoniam vna Eccleſia ad Hebræos omnia complectitur omnibus ſufficit. Quid vero ſi iſthæc Epiſtola vel nunquam ſcripta, vel nunquam in Sacrarum ſcripturarum ordinem ac numerũ ſuſcepta fuiſſet? Sed quod in iſta Epiſtola non inuenis,in Luca.22.& in Paulo.1.Corinth.facere,hoc eſt,offerre:mãducare bibereque;& mortem ſuam commemorare : Cur relictis duobus primo & poſtremo,quod medium eſt ſolum perficitis? Atque hæc quidem de eo quod offertur ha-

Refutatio obiect. IIII.

ctenus dicta ſint. Finis verò, propter quem offertur, ſequenti Articulo declarabitur.

ARTICVLVS SEXTVS DE MERITO AC FRVCTV SACRIFICII.

DIctum eſt ergo ſacerdotẽ, ſacrarũ literarum authoritate inductũ, Deo viuo ac vero ſacrificiũ laudis ad altare in Eccleſia Catholica perſoluere: corpuſq; ac ſanguinẽ Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri pretiũ redemptionis noſtrę ſecundũ id qd' in nouiſsima Cæna ipſe fecit, & faciendũ exẽplo atq; dictis præcepiſſe legitur, eidẽ Deo ac patri domini noſtri Ieſu Chriſti ſiſtere: Ipſum verò Accuſatorẽ nihil niſi ficulneũ ad reprehendendum hoc Sacerdotis officiũ proferre in medium. Imò corpus ac ſanguinem Chriſti ſacrificium eſſe neceſſario fateri, quantumuis non niſi in Cruce oblatum manibus pedibuſq; contendat. *Summa huius articuli.* Itaq; cùm conſtet, quid ſit illud, quod in ſacrificium adhibetur: nũc porrò in quem finem idipſum offerrat quidque hac ſua litatione ſibi velit cupiatúe Sacerdos, inquirendum eſſe exiſtimo.

Ac principio quidem etſi paucis tibi Andrea, reſpondere ad tua poſſem: ſacerdotem in iſtis ſuis precibus, Arciculo Quinto recitatis, neque corporis neque ſanguinis Chriſti vllam facere mentionem, quod tamen tu

nefariè illi aſſcribis: loqui autem de Laudis ſacrificio tantum: Deinde etſi in ijſdem precibus non profutura animarum redemptione, ſed pro iam adepta nec pro futura ſpe ſalutis, ſed pro iam ante concepta ſacrificium perficit: neque iam pro deſiderata peccatorum remiſsione obtinenda, ſed pro iam antea obtenta, & pro acceptis à Deo beneficijs litare videtur, iuxta illud Pſalmi 115: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: intelligamus tamen precantis verba etiam de futura animarum redemptione deq; ſpe ſalutis ac reconciliatione cũ Deo: ita vt iam non ſolum gratias agat pro acceptis, ſed litet etiam pro expetitis ac deſideratis. Sitque firmum huius Articuli fundamentum atque profeſsió. Sacrificium corporis ac ſanguinis Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri quotidiana litatione Deo ac S.S. Trinitati pro conſequenda redemptione, ſpe ſalutis, ac reconciliatione noſtri cũ Deo poſse offerri ſine derogatione meritorum Chriſti Crucifixi vlla: nec extare vllum in ſacris literis teſtimonium huic facto repugnans. *Conceſsio.* *Propoſita.*

Hoc vt omnibus conſtet, primũ de Chriſti meritis dicendũ eſt. Hęc enim duplici ratione conſideranda ſunt, nempe, quantũ illa va- *Meritorum Chriſti duplex ratio.*

leant,& quantum etiam perficiant: quorum alterum ſecundum ſufficientiam alterum di citur ſecundum efficatiam. De primo, hoc

Sufficientia eſt,de eo quantum valeant, ſic accipe. Etſi horrenda quædam res ſit peccatum vt quod hominem & à Deo auocat diſtrahitque, & ad creaturas conuertit Etſi etiam Chriſti paſsio in humana illa tamen natura, quam aſſumpſit,perfecta abſolutaque ſit: quia tamen ea ipſa humanitas,in qua paſsio illa abſoluta eſt,filij Dei caro propria eſt:rectè eiuſdem paſsionis mortiſque ac reſurrectionis merita peccati magnitudini opponũtur, delendoq; totius Mundi peccato ſufficientia æſtimantur. Tanti enim quælibet res valere iudicantur, quanti ea cùm ab accipiente tũ à dante æſtimatur.De paſsionis autem Chriſti meritis inter exhibentẽ Chriſtũ & acceptantẽ Deum patrem cõuenit,ſufficere ea redimendis animabus, ſpe cõſequendæ,& reconciliandis nobis cũ patre. Hãc ob cauſam omnes gratis animis ac meritò confitemur, per eiuſdẽ ſeruatoris noſtri mortem &c.nos redẽptos,ſpe ſalutis imbutos, ac cũ Deo recõciliatos eſſe,Id quod ſuccinctè de Chriſti meritis ſecundum ſufficientiam ſit dictum.

Efficatia. Verum quantumuis hęc ita conſtent,ſitque Chriſti paſsio redimendis animabus, &c. abunde ſufficiẽs quia,tamen cũ hominibus Deus

Deus tanquã rationalibus creaturis, ſenſu intelligentiaq; præditis, agit, atque paciſcitur: non debet (ſicut nec poteſt) hæc ipſa paſsio plus aliquid in hominibus operari, qđ quãtumq; homines ipſi volunt, cum virtuti atq; efficatiæ paſsionis Chriſti obicẽ in mentibus ſuis nõ opponũt. Deus enim, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire, 1. Timoth. 2. omnibus gratiam ſuã offert, proponens Chriſtum Ieſum propitiatorem omnium, Rom. 3. complacere ſibi in ipſo atteſtans. Matth. 17. Itaque quicunque & quandocunq; vult, ſuſcipere eum poteſt: Maximè quando ſeipſum Chriſtus omnibus obuium offert, fons ipſe perennis aquę vitę: Si quis ſitit, inquiens, veniat ad me & bibat, Ioan. 7. Oſtendenſq; ſe omnium refugium atque quietis aſylum clamet: venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, Mat. 11. Et Paulus eiuſdẽ nomine in hodiernum vſque diem ad nos clamat: Reconciliamini Deo. 2. Corinth. 5. Noluit Hieruſalem ſub vmbra alarũ Chriſti Ieſu requieſcere, quantumlibet Chriſtus voluit, Luc. 13. Multi credunt quidem, ſed in tempore tentationis recedunt, atque retrorſum abeunt. Luc. 8. Ioan: 6. Alij ad excuſandum ſe ſolertes ſunt. Luc. 22. Sunt qui per indignationem dicere Deo non vereantur: Recede à nobis: Scientiam

Deus Chriſtum omnibus offert.

Oblatum Chriſtum nõ omnes ſuſcipiunt.

tiam

tiam viarum tuarum volumus. Iob.21.&.22. Omnis multitudo regionis Geraſenorum rogauerunt illum,vt diſcederet ab ipſis. Lucę.8.Itaq; paſsio Chriſti omnium ſaluti ſufficiens,in eiuſmodi hominibus nihil efficit.

Incertitudo ſalutis quã-tum ad nos.

Cum autem iudicia Dei abyſſus multa ſint, Pſal.35.neſciatq; homo vtrum odio an amore dignus ſit,Eccl.9.ſcriptum ſit vero:Iacob dilexi,Eſau aũt odio habui, Ro.9. Cum, inquã, Paulus ſe huius rei exemplũ proponit, qui cùm alibi dixiſſet:Scio cui credidi & certus ſum.2.Tim.1. rurſus alio loco teſtetur,ſe nondum accepiſſe,neq; perfectũ eſſe,ſed ſequi,ſi quo modo cõprehẽdat,ſicut & à Chriſto cõprehenſus ſit.Philip.3.Cum deniq; idẽ Apoſtolus Rõ.3.dicat Chriſtum propoſitum quidẽ propitiatorẽ;ſed propter præcedentium peccatorũ remiſsionẽ: Et Heb.9.mediatorẽ eundẽ eſſe noui teſtamẽti ſed vt morte intercedente in redemptionẽ earum præuaricationũ,quę ſub priori teſtamento erãt, repromiſsionẽ accipiãt qui vocati ſunt ę ternæ hæreditatis: Chriſtus verò palàm edicat multos quidẽ vocatos eſſe,paucos verò electos,Mat.20.tum etiã alius quidã Apoſtolus nos moneat, vt per bona opera vocationem noſtrã certam faciamus.2.Pet.1. deniq: vt in ſumma dicã)cũ in hac vita promiſsione tantum futurorũ bonorum gaudeamus;hanc ip

ſam

ſam ob cauſam Eccleſia Chriſti catholica nihil ad ſummā diligentiam facit reliqui quo pro toto corpore myſtico, proque omnibus mēbris ſuis gratiā Dei in tēpore oportuno conſequatur, conſecutā ſibi certā efficiat atque retineat, omnes in paucorum electorū numerum aſſociet, promiſſamq; hæreditatem per Chriſti ſanguinem ad ſe recipiat.

Eccleſiæ in ſacrificando intentio ac finis.

Quę cum propria in ſe merita, amouendę iuſtę irę Dei pro quotidianis delictis humeris noſtris imminenti ſufficientia non videat, ac in Michea Propheta interrogantis Dei vox inquirit: quid Deo dignū offerri poſsit, Mich. 6. ipſe etiā Deus per Hieremiam quęrit, in quo propitiari debeat. Hier. 5. cui Petrus quaſi reſpondens ait: non eſſe aliud nomen ſub Cęlo in quo nos oporteat ſaluos fieri, niſi Chriſtum Ieſum. Act. 4. atque alius Apoſtolus teſtatur non aliam præter eiuſdē domini noſtri Ieſu Chriſti hoſtiam pro peccato relinqui, Heb. 10. Pater denique etiam hodie conteſtatur in ipſo ſibi benè complacere: Mat. 17. Ideò præcepto ſeruatoris ſui Chriſti obediens Eccleſia id maximè Deo offert, quod Chriſtus offerendum pręcepiſſe nouit: ſiſtitque corpus ac ſanguinem eius conſpectui patris ac diuinę Maieſtatis, magni illius in nos amoris, quo filium vnigenitum donās propitiatorē Mundo propoſuit, Ioan.

quis bonis operibus habeat. Sed ipſum Accuſatorem audiamus:

Sacerdos, inquit, ex corpore & ſanguine Chriſti Sacrificium reconciliationis facit, quod pugnat cum tota Scriptura ſacra, quæ teſtatur, quòd Chriſtus cum vnico ſuo ſacrificio noſtra ſit recôciliatio, ac eodem nobis vitam æternam meritus ſit. Reſpondeo: Primò teſtamur ſacerdotem corpus ac ſanguinē Chriſti offerre pro redemptione animarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis, atque vt ſit denique tàm offerenti, quam ijs pro quibus offertur, propitiabile. Verum quod nunc demum eadem tale ſacrificium facere intentet, prorſus negamus: nec vnquam vllo id teſtimonio vero in ipſum comprobari poterit. Neque enim hæc eſt intentio ſiue Eccleſię ſiue miniſtri eius ſacrificantis. Vbicúque enim corpus & ſanguis Chriſti eſt, ibidem etiam eiuſmodi ſacrcifiium eſſe intelligitur, vt non ſit neceſſe fieri tandem incipere, quod antea ſemper & vbique eſt, ſiue in propria forma ſiue aliena. Id quod non ſolú Ioannis teſtimonium confirmat 1. Ioann. 2. dicentis: quoniam aduocatum habemus apud patrem, IESVM Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi: Verum etiam ac multo

Obiectio. I.

Dilutio.

Corpus & ſanguinis Chriſti ſemper ſunt ſacrificium non autē de noui fiunt.

maximè patris iuſiurandum Pſal 109. Quem enim ad dextrā ſuam ſedere vult, donec inimicos eius ponat ſcabellum pedum eius, eundem etiam mandat ſacerdotē eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, non ad tempus exiguum ſed in æternum. Si ergo Sacerdos æternus, etiam ſacrificium æternū ſit oportet, non effectu tantum, ſed & officio quanquam diſpari modo: In cælo in propria forma, in altari hîc infra in aliena operatione arcana. Sicut Apoſtolus Hebræ. 13. &. 9. Chriſti oblationem Legis ſacrificijs accommodans, vbi dixiſſet Ieſum vt ſanctificaret populum per ſuum ſanguinem, extra portam paſſum fuiſſe, ſicut in lege animalium, quorum ſanguinis pro peccato in ſancta per Pontificem inferebatur, eorumdem corpora extra caſtra cremabantur, eodem ferè in loco etiam hoc teſtatur, quod idem Chriſtus extra portā paſſus iam nunc futurorum bonorum Pontifex aſſiſtat, peramplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinē hircorum aut vitulorum, ſed per propriū ſanguinem introierit ſemel in ſancta nō manufacta, ſed in ipſum cęlum, vt appareat nūc vultui Dei pro nobis. Et cur appareat? niſi vt corporis ſui ſacrificium pro peccatis offerat: quale cuiuſlibet Pontificis officium eſſe deſcribit

Æternus ſacerdos ſempiternum habet ſacrificium.

ſcribit. Heb. 5. Apoſtolus. Itaque ſicut Chriſtus in cælo non nouum propitiatorium recóciliationis offert ſacrificium, ſed, quod olim tale ſemel factum fuit, quotidie ęternus ſacerdos patri ſiſtit: ita neq; in Eccleſia hac militāti per Sacerdotis miniſterium nouum ſe facit ſacrificium, ſed quod ſemel tale fecit iugiter offert: vt ſit vnus atq; idem vtrobiq; ipſe & ſacrificium & ſacrificans in æternum vnus mediator dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. (1. Tim. 2) verumq; ſit ac perpetuò ſibi conſtet, quod vna oblatione æternā redemptioné inuenerit. Heb. 9. Vnde Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei ca. 5. ſacrificiū definiens: ſacrificium, inquit, viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Nimirū hoc ad illud referens. Non ergo nouum propitiationis reconciliationiſue Sacrificium ex corpore & ſanguine domini facit Sacrificans, ſed æternū illud corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſacrificium, æternam redemptionem operans, æterni Sacerdotis miniſter (ſicut ſupra pręcedente Articulo ex Chryſoſtomo dictum eſt) pro redemptione omnium Credentium omnium Deo offert. Itaq; prima Andreæ plena erroris ac maleuolentiæ hæc tua calumnia eſt, qua non ſolum Sacrificiū, verum etiam Eccleſiā vniuerſam grauare non vereris, dum eum inſimulas

Eccleſia ſacrificando in terris imitatur Chriſtum ſeſe patri ſiſtentem in cælis.

Auguſtinus

quaſi nouum aliquod Sacrificium extra ac preter Chriſtum in reconciliando Deo adhibeat. quod ante te per tuos confictum, in Eccleſia nunquam factum legitur.

De effectu Sacrificij.

Eadem ratio eius quoque eſt quod de effectu Sacrificij huius inferre conaris. Cum enim nos doceamus ipſum hoc corporis ac ſanguinis Chriſti ſacrificium, quod olim ſemel in cruce immolatum, ſemper etiamnum in cœlo conſpectui Dei pro nobis apparet. Hodie in Eccleſia eidem Deo offerri, nõ ſine fructu, exclamas ſtatim, per hoc ſignificari, quod animę noſtræ nondum redemptæ ſint, quod vnica illa oblatio in cruce peracta non perfecte ac plene nos liberauerit, cùm tamẽ nihil horum Eccleſia vel ſacrificando vel docendo velit innuere, Imò nulla vnquã verè Catholico huiuſmodi veſtra deliria atque inſomnia vel in mẽtnm obiter venerint ſed poſsit hoc ſacrificium cum fructu ſacrificantes & eorum pro quibus ſacrificatur, & ſine detrimento cruenti illius in Cruce peracti ſacrificij, ſine etiam abnegatione plenæ illius redemptionis animarum noſtrarũ, Deo rectè exhiberi. Oſtende enim vel vnũ aliquem veterum Scriptorum claſsicorum qui hoc, quod tu vis, vſpiam ſcriptis factisúe ſuis præ ſe tulerit: Et Quoties noſtro hoc tẽpore docendo ſcribendoque ſurdis vobis

Sacrificatur Deo in Eccleſia, ſacrificium non abrogatur. Nouo ſchiſmaticorum, uetus Eccleſiaeademque ſemper opponitur ueritas.

eadem

eadē ac petimus, nouo mandacio veſtro veterē Eccleſię ſemperq; eandem veritatē fruſtra opponimus? chriſti morte omnia omniū ſeculorum atq; hominum, imò totius Mundi peccata abolita eſſe gratiam iuſtificātem collatam eſſe, introitum cæleſtis patrię reſeratum eſſe, noſque ex filijs Iræ filios gratiæ, adoptionis, & ipſius Dei patris hæredes effectos eſſe, non aliud nomen ſub cælo eſſe, non aliam oblationem, Hoſtiam, victimam, non ſacrificium, non holocauſtum vllum ſupereſſe, in quo nos oporteat ſaluos fieri. act. 4: Ideoque hoc noſtrum ſacrificium vnum cum iſto eſſe, ac per eundem eidem, alio quamuis modo, quotidie offerri. Nihil prodeſſe cuiquam, niſi idem quod prius ſit, eidemque per eundem offeratur: & ita offeratur, vt quod foris facto verbisque oſtendimus, mente ipſi ſentiamus. Quid amplius ad ſummam Euangelicæ Confeſsionis in nobis requiris; Cæterum ſic oblatum diuinos in nobis operari effectus qui negat, hūc ego inſanire apertè dicere nō vereor. Cùm enim ſacrificij cuiuſlibet ratio ac finis in hoc conſiſtat, vt profit offerentibus, hoc eſt, impedimenta ſalutis humanæ remoueat, conducētia ad eam promoueat; hoc eſt (vt nihil inuolucris dicere videar) vt Dei irati indignationem leniat ac tollat, gratiam eius in nos au- *Sacrificij finis.*

geat: qua mente hos effectus huic Sacrificio denegare quis poſſit? Si Chriſtus Pontifex atq; Sacerdos huius ſacrificij eſt, ſicut ſupra abundè demonſtratum eſt, imò idem ipſe etiam ſacrificium: cedo qua parte infirmum eum ad præſtandos hos effectus arbitraris: ſacerdotiiue, an vero ſacrificij ratione? quoniam vtrumq; ipſe eſt: Niſi fortè peccator Chriſtus factus ſit, quem pater nõ exaudiat, & alterius ope qui pro ipſo etiã interpellat, eumq́; patri reconciliet, indigeat: Cæterùm ad rem. Quis vnquam ſanus ſcripſit, nos per Chriſtum plenè perfecteúe redemptos eſſe, ita vt ad ſalutem noſtram nihil factum ſit reliqui? Quod enim plenum perfectumq́; eſt, huic nihil ſuperaddi poteſt. Sed redemptioni noſtræ per Chriſtum factæ, & eiuſdem perſonæ reſpectu ſufficienti ſuperaddi reſpectu noſtri poteſt; Teſtis Paulus eſt Col. 1. Chriſtus reconciliauit vos, inquit, in corpore carnis ſuæ per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo: ſi tamen permanetis in fide fundati & ſtabiles & immobiles à ſpe Euangelij quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt, cuius factus ſum ego miniſter. Quo loco Apoſtolus fidei conſtantiam, ſpei immobilem ſtabilitatem palàm in ijs exigit qui iam reconciliati fue-

rant per Chriſtum Deo. Non igitur eo quo tu vis modo Chriſtus nos perfectè redemit: ſed aliquid eſt, quod in nobis etiam Dei iuſtitia requirit. Idemque Apoſtolus ne alijs multa imponere, ipſe nihil facere videatur, ſeipſum exemplum ibidem proponit omnibus. Conſequẽter enim ait: Nunc gaudeo in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea quę deſunt paſsionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Videſné Andrea defectum paſsionum Chriſti, quem adimplet Apoſtolus? At in quo Apoſtolus adimplet? Hoc 1. Corinth. 4. docet: vbi omniũ ſe peripſema factum dicit: Et 2. Corinth. 12. ſcribens: Ego aũt, inquit, libentiſsimè impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus Veſtris. Quid ita ſanctiſsime Apoſtole? Quia, inquit, Rom. 8. ita prædeſtinauit nos Deus cõformes fieri imaginis filij ſui vt conglorificandi cum filio, compatiamur eodẽ. Ideò mortificamur propter ipſum tota Dei, ęſtimati ſicut oues occiſionis: Ideò ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto, Gall. 6. Ideò mortificationem Domini Ieſu in corpore noſtro circumferentes, 2. Corin. 4. per multas tribulationes, ſicut oportet, Act 4. intrare in regnum Dei contendimus. Quę autem perfecta libertas ſeu redemptio eſt vbi quotidie redemptis in acie contra Hoſtes

ſtandum eſt? Hoſtes, inquam non carnis & ſanguinis,ſed principes & poteſtates,rectores mundi huius, &tenebrarũ harum ſpirituales nequitia in cęleſtibus potẽtes. Ephe. 6.quorum ſupremus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.1 Pet.5.Quæ pax quæue ſecuritas eſſe poteſt ijs, qui contra tàm potentem,tamque inſidijs callidum in acie decertant? Non quod Chriſti morte vires hoſtium non ſint fractę,aut noſtrę non valde auctæ,ſed quod in virtutis noſtræ exercitium relicta ſit hoſti in nos pugnandi facultas,quæ ſępè multis reportatis victorijs iugitur,vireſq;ſumit.A cuius metuẽdũ à domino peregrinamur nemo tutus,nemo ſecurus viuit,niſi vbi in nobis completum fuerit quod Iob olim 17.ca.petijt: libera me domine,inquit,& pone me iuxta te,&cuiuſuis manus pugnet contra me. Vides,Andrea,quantum deſideretur ad plenam perfectamque eam redemptionem noſtram? Non porpter inſufficientiam paſsionis Chriſti, ſed propter inefficatiam. Eſt ergo aliquid adhuc ad plenam perfectamq́ue redemptionem neceſsarium,quod ipſum tamen virtuti poſsionis Chriſti ac plenitudini eius adeo nihil detrahit, vt etiam ad illuſtrandam non modo paſsionis gloriam,verum etiam iuſticiæ, *Ambroſius* proprietatem plurimum faciat. De quo Ambroſius

broſius alibi, vt citatur in 58. Opiſculo Cap. 25. Thomæ. ſic ſcribit: Non cauſa ſuæ infirmitatis repetitur, ſed noſtræ, quia quotidiè peccamus. Quod cum ita ſit, nec extat vllum S. Scripturæ teſtimonium, quod vetet, idem corpus CHRISTI quod in Cruce ſemel immolatum fuit, quotidie in Eccleſia offerri, ſicut nullum etiam extat, quod oblationi eiuſdem corporis, quæ in cælo per ipſum filium Dei coram patre ſemper fit, repugnet (Alioqui enim ſi ideo idē corpus offerri nō debet, quia ſemel tantū in cruce pro redemptione, recōciliatione, propitiationeq́; oblatum æternam redemptionē, inuenit: eadem ratione Chriſtus in cælis ſemper pro iiſdem effectibus offerens ſemper oblatū ſuſcipiēs, tibi & accuſandus & condemnandus eſt, qua ſacerdotem in terris hoc facientem accuſas atq; condemnas, maximè cum vterq; tā Chriſtus quā Sacerdos vnum idemq; facti ſui finem habent, nempe animarum noſtrarū redemptionē, reconciliationem cum patre, & propitiationē. Ipſe enim, inquit Ioannes, eſt propitiatio noſtra: eſt, inquit, non dixit, fuit ſemel tantum. 1. Ioan. 2.) qua ratione igitur accuſatio tua contra hoc ſacrificium, eiuſque effectus conſtare ſibi, aut, quum multa alia ad plenam noſtram redemptionem reconciliationem, propitiationemque perti-

nentia cum vna illa corporis Chriſti oblatione concurrunt, cur ſola Sacerdotis litatio cum eadem oblatione niſi cum eiuſdem negatione conſiſtere non queat, tu videris.

Collatio Adæ & Chriſti

Sed per exempla Eccleſiæ factum illuſtremus. Opponantur contra ſeſe vterq; Adam, de terra terrenus, & de cælo cæleſtis. 1. Cor. 15. Stetq; à parte terreni damnatio: Verùm à parte cæleſtis ſaluatio, ponderentur ſingula.

Bona originalia.

Et quæ damnatio terreni eſt? Cõſtat hæc duabus rebus: nempè in priuatione acceptorum bonorum originalium, & accumulatione malorum tàm animæ quàm corporis. In anima agnitio Dei ac ſuipſius: tùm etiã plurimarum, pulcherrimarumque rerum perfecta ſcientia: voluntas ad omnia honeſta prompta atq; expedita erant. In corpore ac corporis ſenſibus conſonãs harmonia & immortalitas: His bonis ſublatis ac debilitatis

Mala originalia.

inuaſerunt hominẽ in animam quidem cęcitas, ignorantia, boni tędium, mali appetitus, & multa alia: In corpus morbi, egeſtas, fames ſitis, nuditatis pudor, mors deniq;: In vtroq; culpa & pœna. His iam oppone Chriſtũ cum ſaluatione ſua: atq; è quibus malis animę corporiſq́; nos redemptos in originaliũ bonorum perfectionem aſſeruerit. quæ vtriuſque bona reſtituerit, quæ mala etiamnum ſuperſint, quę noua deſint diligenter cõſidera; inuenies

uenies certè vnde clamare etiamnũ ad Deũ habeas: Imperfectum meum viderunt oculi tui Pſal. 138. Quantę enim hodie adhuc ignorantię, tenebrę, quanta ad malum inclinatio, ad bonum tarditas? Quã fędę concupiſcentiarum appetituumq́; affectiones? In corpore quot morborum ærumnarumq́; genera, quorũ omniũ finis Mors eſt? Adeòq; vel animę vel corporis conditio melior effecta non eſt, adeò nihil infractæ vires Satanæ ſunt vt niſi ſingulari clementia S. Sanctus cuſtodierit intelligentias noſtras; & corpora corpus Chriſti ad immortalitatẽ ſua pręſentia præparauerit, viréſq; Satanæ in quotidiana nobiſcũ ſtatione pugnando infregerit: parũ vel in anima vel in corpore Chriſti paſsio non obtemperantibus ſibi pręſtitiſſe videri poſſit. Hæc luce meridiana intuẽti clariora ſunt, nec vlla confirmatione egent, cùm nemo noſtrũ ignoret, quã ſibi domi ſit curta ſuppellex, omneſq́; ingemiſcentes quotidie ad cõmunem patrẽ Chriſto præeunte clamemus: Pater libera nos à malo. Non hîc dico quantũ & quomodo Chriſtus ſua paſsione nobis contulerit per ſufficientiã: ſed quantũ relictum ſit, quantnm non acceptũ ſit per efficatiã. Ac miror ſanè tàm pleno ore de perfecta abſolutaq; redemptione nobis occinere te cùm non ignores (vt quidẽ mihi perſuadeo)

præ-

præceptores tuos aliam cantilenam toties nobis occinere reliquias ſcilicet originalis peccati,quæ etiam poſt ſuſceptum Baptiſma nobis in hærent,eſſe peccata.Et Paulus, imperfectam redemptionem noſtram animo conſiderans,hortatur,ſedulo caueamus, ne circumſtans nos peccatũ,Heb.12.in mortali noſtro corpore regnet Dominiũue vſurpet, vt obediamus concupiſcentijs eius, vel mẽbra noſtra exhibeamus arma iniquitatis peccato,Rom.6.Si enim perfecta eſt, eo quo tu vis modo redemptio noſtra,à peccato,à pœna,à diabolo.&c.quo iure tantam in nos tyrannidem exercent,ac plurimos in ſua regna retrahunt?Neque enim hoc ius in liberos competit Dominis.

Redemptio triplex. Itaq; cum de redemptione noſtra loquimur in triformi illa redemptione libenter acquieſcimus;quarũ prima animæ noſtræ per virtutes à peccato liberantur,ſecunda per Chriſti ſanguinem à culpa redimimur:tertia vero ab huius vitæ miſerijs tandẽ aliquando nos ereptos iri ſperamus.De prima harũ Pſal.71. dicitur:Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorũ:De ſecunda Pſal.129.ſcriptum legimus:quia apud Dominũ miſericordia, & copioſa apud eum redemptio eſt. De tertia deniq; Iſaię 35.Et redempti à Domino,conuertentur, & venient in Sion cum Laude, &

Lætetia

Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & læticiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. De hac ergo nouiſsima Apoſtolũ audiamus, Rõ.8. dicentẽ: Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatẽ glorię filiorum Dei liberabitur dixit. Et: Scimus aũt quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſq; ad huc. Non ſolum aũt illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei expectantes redemptionẽ corporis noſtri. Et: quod non videntes ſperamus, per patientiam expectamus. Ex quibus facile eſt videre quid cum eodem Apoſtolo deſideremus in hiſce precibus, cum pro redẽptione animarum noſtrarum, pro Spe ſalutis & incolumitatis ſupplicamus. Nam cum in hoc Sacrificio omnia mẽbra corporis Chriſti myſtici tàm triumphantis quàm militantis Eccleſię (cuius pars in Mũdo, pars in purgationis loco) conueniunt, quod Chriſtus futurum videtur innuere Matth.24. cum dicit: vbicunque corpus, illic congregabuntur & aquilæ: non hic quicquam pro triumphantibus ſicut nec pro æterna pœna detentis mẽbris petimus: ſed pro in hoc Mundo atq; alibi militantibus tantum ſacrificamus atq; ea quę huic ſtatione neceſſaria ſunt poſtulam9. (Quamquam etiam & illorum in hoc ſacrificio

Omnes partes ac mẽbra myſtici corporis in hoc ſacrificio conueniunt.

ficio fit memoria, de qua dicetur in ſequentibus.) Cum ergo pro redemptione animarum noſtrarum offerimus vel preces vel Sacrificia, hoc ſecundum primam redemptionem deſideramus, vt per gratiam Chriſti virtutes in nobis augeantur; vt per gratiam gratis datam, gratiam, quæ gratos nos Deo facit, conſequamur; vt ſine timore de manu inimicorum ſemel liberati, ſeruiamus Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Luc.2. capite. Deinde cùm pro ſpe quoque ſalutis offerentes precamur, hoc poſtulamus, vt quoniam, Apoſtolo teſtante, Spe ſalui facti ſumus, Rom.8. qui regenerauit nos in ſpem viuam, lauans à culpa in ſanguine ſuo.1.Pet.1. idem ſpem noſtram firmam faciat, vt fructum ſpei noſtræ quem arando in agro Dominico per patientiam expectamus, conſequamur 1. Corinth.9. hoc eſt, ſalutem quam ſpe tenemus, re ipſa adipiſcamur, nec noceat culpa per ſanguinē Ieſu Chriſti dimiſſa. Tertiò deniq; pro incolumitate ſacrificantes, hoc poſtulamus, vt à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei liberemur. Rom.8. Atq; in ſumma plenam perfectamq; redemptionem, deſiderātes exui malis omnibus, impleriq; bonis cœleſtibus, cupimus. Quod cum in crucis illo ſacrificio inchoatum ſit, perfici eiuſdem virtu-

Quid ſacrificando ſacerdos petat à Deo.

Pro redemptione animarum.

Pro ſpe ſalutis.

Pro incolumitate.

virtute quotieſcunque ſacraficamus, precamur, offerentes nos Deo tanquam capiti noſtro annexa membra, anhelantes illuc, vbi Chriſtus Ieſus caput noſtrum in noſtræ carnis ſubſtantia æternus Sacerdos ſempiternum patri perpetuò offert ſacrificium.

Habet enim gradus quoſdam ſalus noſtra perfecta, per quos ab imo ad ſumma tranſcendimus. Aliud enim eſt gratiæ infuſio aliud peccatorum remiſsio, quæ duo in iuſtificatione concurrunt: aliud eſt per perſeuerantiam hæc bona in finem vitæ per bonam conuerſationem cuſtodire. Quæ omnia ex Chriſti quidem merito fluunt: Sed Scriptura diſtinguit peculiaribus Chriſti factis peculiares ac proprios cuiq; effectus tribuens. Vt Rom. 4. morti eius peccatornm tribuitur remiſsio. Reſurrectioni vero eiuſdem iuſtificatio. Mortuus eſt, inquit Apoſtolus, propter delicta noſtra. Sicut etiam idẽ 1. Cor. 15. repetit. Sed nunquid ſatis hoc ad plenã ſalutẽ eſt? Addit ergo: ſed ſurrexit propter iuſtificationem noſtrã. Nunquid vel hoc ſufficit? Sed tertium adhuc gradũ Apoſtolus oſtendit. Aſcendit in altum, hoc eſt, in ipſum cęlũ, vt appareat nũc vultui dei pro nobis Heb. 9. ac det dona hominibus Eph. 4: Atq; hęc aſcenſio adeò neceſſaria eſt nobis ad donorũ Dei participationẽ, vt nõ dubitauerit dicere *Gradus perfectæ ſalutis.*

Chri-

Chriſtus: Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: Nimirum, qui vos cæleſtium amore imbuat (quo dicere poſsitis: Noſtra conuerſatio eſt in cælis, philip.3. Et: non habemus hic manenté ciuitatem ſed futuram inquirimus. Heb. 12.) qui nos per patientiã ad perſeuerantiam erudiat. Etſi enim magnum ſit remiſsio Peccati, magnum iuſtificatio, magnũ vitę æternę deſiderium: tamé qui hic in multis illis tribulationibus per quas nos oportet in regnũ dei in trare, perſeuerauerit in finé, hic ſaluus erit. Mat. 24. hoc perſeuerantię donũ a deo ad ſaluté neceſſarium eſt, vt ſine eo neq; peccatorũ remiſsio neq; iuſtificatio nec alia huc pertinentia quicquã proſint. Huiuſmodi enim hominis poſteriora fiũt deteriora prioribus, ipſo chriſto Mat. 12. teſtante, & Apoſtolo 2. Pet. 2. repente, Si enim, inquit, refugientes coinquinationes Mundi in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eius poſteriora deteriora prioribus: Et: Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſticię, quã poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato. &c. Itaq; cum ſcripturę loquendi more peccatorũ remiſſio morti ac paſsioni Chriſti: iuſtificatio vero reſurrectioni: patientię donum (ſicut etiam

alia

alia eius generis)aſcẽſioni tribuitur:ſi mors ac paſsio omnibus ſufficit;quare igitur ſcriptura Sacra hæc ipſa diſtinguit, quare Chriſtus qui paſſus & mortuus eſt,reſurrexit, atque in cælos aſcendit:Imò quare ſecundum ſacerdotij ſui æternitatem ęternum etiam nunc ſeſe patri in propria ac viſibili forma offert?An fortè quia iuſtificatio noſtra nihil eſt,quia donorum cæleſtiũ participatio nihil eſt,quia gemitus ſuſpiriaq́ue noſtra,quibus ab cęleſtem illam patriam aſpiramus,nihil ſunt?Sed propter hęc ipſa reſurrexit, in cęlos aſcendit,& conſpectui patris æternum ſacrificium ſemetipſo offerendo pro nobis apparet. Itaque qui membra eius nos gratanter agnoſcimus, à corporis proprietate non recedimus:quod in capite fieri intelligimus,membra imitamur. Ille ſeipſum offert in cælis in propria forma corã aſsiſtens patri;nos eundem ſub aliena ſpecie in terris illic idem qui hîc;ſed illic in gloriam beatorum,hic in propitiationem ſaluandorum.

Sed inquis:Vnus eſt mediator Dei & hominum,homo Chriſtus IES VS. qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, vt ſuis temporibus prędicaretur. Cum ergo ſeipſum dat ſeu offert,vt ſacrificus eum offerat,neceſſe non eſt:1Timoth. 2. Sicut ipſe etiam in Ioanne dicit:panis quem ego dabo *Obiectio ſecuuda.*

caro mea eſt ꝓ mundi vita. Ioan. 6. Reſpon.
Dilutio: primùm ꝙ ad teſtimoniũ Apoſtoli pertinet,
Iacobus ci- neq; Grçcus, neq; Latinus, neq; etiã Germa-
tat ex ſcrip- nus contextus huius epiſtolæ habet: vt hoc
turis, quæ no ſuis temporibus ꝑdicaretur: ſed, cuius teſti-
habentur in moniũ temporibus ſuis confirmatũ eſt. Mi-
ſcripturis. rùm ꝙ iſti homines omnia in vnũ ac ſolum
prędicandí officiũ pertrahere cupiant: quaſi
Obiectionũ nullũ ſupſit in Eccleſia præter Euangelizan-
diuiſio. di officiũ. Sed ad rem. Omnia arguméta qui
bus contra Eccleſię iuge hoc ſacrificiũ vtunt̃
iſti, tribus comprehẽdi poſſunt, vt ducta in-
telligantur, vel ab ipſo ſacrificio ꝙ offertur,
vel ab eo ꝗ offert, vel à fine ꝓpter q̃ offertur:
Perſona ob- Nam de quarto, ſcilicet: cui offertur; quęſtio
latum ſuſci- inter nos nulla eſt, cùm conſtet ſoli Deo of-
piens. ferenda ſacrificia, ſicut nemo vnq̃ hominum
vel angelorũ paſſus fuit hanc ſibi actionem
Perſona of- impẽdi, niſi qui hoc ipſo ſeſe Deũ eſſe mun-
ferens. do vẽditare voluerit. Hoc igitur loco anſam
Andreas arripit, contra offerentis perſonã,
pugnandi: quaſi ideò corporis & ſanguinis
Chriſti ſacrificiũ offerri nũc non debeat, q̃a
Chriſtus ſeipſum obtulerit: nec poſsit eſſe a-
lius Mediator Dei & hominũ, niſi qui vnus
hac Epiſtola ad Hebræos deſcribitur. Itaq;
Nomen of- aut nomẽ Mediatoris inuidet Sacrificio, aut
ferentis. officium: Si de nomine lis tantũ eſt: age lega
tur Deu. 5. vbi Moſes ſeipſum mediũ atq; ſe-
queſtrem

queſtrē inter Deū atq; homines vocat. Si ergo in figura atque vmbra Moſi licet, quantò magis in veritatis Euangelicę luce ſacerdoti cōuenit nomē? Maximè quādo nō ipſe ſacerdos ſeſe hoc nōis titulo dignatur, verū ab alijs illi inditur: nō vt Chriſti officiū obſcuret, ſed illuſtret. Vide Chryſ. 2. ca. Mala. Ho. de verbis Eliæ. Et lib. 6. de ſacerdotio. Amb. in 1. oratione præparatoria. Qui Gregorius Nazian. in Apolo & ad Simpl. de Baſilio Epiſtola 88. Cęleſt. Epiſtola 1. cap. 11. Cyprianus lib. 1 epiſto. 3. Nemo indignatur, omnes nos Chriſti & fratres & cohęredes eſſe, nomenq; filiorum Dei cū ipſo participare: Et quæ cauſa eſt, vt ſuper Mediatoris nomine tantopere furijs nonnulli agantur? Eſt enim fratris & cohęredis, & filij Dei nomen multo præſtantius, illa Mediatoris appellatione. Roma. 8. Heb. 1. & 2. Ioā. 1. 1. Ioan. 3. Si verò de officio inſtituitur quęſtio: legatur. 2. Cor. 5. vbi Paulus teſtatur ſibi alijsq; nō verbū ſolummodo reconciliationis, verum etiam officium concreditum fuiſſe. Quid verò tu, Andrea, cum plebi tuæ ex editiore templi loco loqueris: cuius hic muneris nomen atque perſonam refers? An Chriſti? Sed idem vt ſemetipſum obtulit, ita per ſemetipſum populis prædicauit. Quid omnes piè Chriſtiani quādo alter, alterius onera portans, hic pro illo preces ad

Chryſoſt. *Ambroſius* *Greg. Nazianzenus.* *Cæleſtinus.* *Cyprianus.* *Officium offerentis.*

Deum fundit, vt omnes ſaluentur? Sed Chriſtus patrem pro omnibus orauit & pro reuerentia ſua exauditus eſt. Heb. 5. Si denique de nomine ſimul atq; officio litigas: quintũ caput ad Hebræos legas. Quid enim aliud Pontifex niſi Mediatoris munus ſubit ac perficit, non ſolum orando, ſed & ſacrificando. Et de Nöe. Eccleſi. 44. quod tempore iracundiæ factus ſit reconciliatio. Si huic viro non obfuit reconciliatoris nomen, & nõ reconciliatoris modo, ſed ipſius etiã reconciliationis munus quo minus & pius & ſanctus haberetur & diceretur, non oberit ſacerdoti nouæ legis, ſi Mediatoris inter Deũ & homines nomen ſuſtineat, vtique veri & magni & vnici mediatoris miniſter.

Vnus mediator. Sed mouet te diſcretiua particula, vnus mediator Chriſtus, Ergo plures eſſe non poſſunt. At idem Chriſtus Ioan. 10. ſingularem ſeſe paſtorem illũ vocat. qui etiam Heb. 13. magnus, & 1. Pet. 5. Princeps paſtorum dicitur: Niholominus Epheſ. 4. Deus Eccleſiæ paſtores quoſdam dediſſe, ſcribitur. Si ergo diſcretiua illa particula VNVS in mediatoris munere ac nomine tàm multum honori ac dignitati Chriſti officit detrahitque: Cur non etiam in paſtoris officio idem facit? At nominis officijq; participationem, non ſtatim ſequitur honoris quoque dignitatiſque *Chriſtus baptizat.*

præ-

prærogatiua. Chriſtus baptizat & baptizandi caput tenet, vt ſuprà ex Chryſoſtomo dictum eſt, idem in altari & conſecrat & ſacrificium offert; Noſtrum miniſterium tamen eſt. Sine ipſo neq; baptizantis neq; ſacrificantis actio quicquàm poteſt. Ac nomen dignitatis prærogatiua vni Chriſto ſecundum excellentiã conuenit, quæ homini per gratiam cõmunicantur, ſcundũ participationem: Et hoc ipſum nõ niſi quatenus in officio hoc inter Deum & homines in his quę ſunt ad Deum perſtat. Nec reſpicienda in his nominibus atque officijs miniſtri perſona eſt, ſed multo magis eius, cuius illi miniſtri ſunt, & nomen ſuſtinent, officiumq; in populo explent, ſicut ſcriptum eſt: Miniſtri Dei excelſi vocabimini. Ad Galathas enim ſcribens Apoſtolus, cap. 3. teſtatur Deum cooperari miniſtris ſuis, qui ipſi etiam 1. Corint. 3. Dei cooperatores dicuntur. Neque verò Deo quiſquàm repugnare poteſt, vt certè nec debet, in eo, quod opera ſua per homines aliquando perficit, & non per ſe ſolum, qui in miniſterium & voluntatis ſuę exequutioné lingua & voce vſus eſt aſini. Numeri 22. Chriſtus vnus ille mediator Dei & hominum eſt, nos homines ſumus diuina dignatione ex hominibus aſſumpti in ipſius vnici Mediatoris ſeruulos. Si verò ideò Chriſtus per ſa-

Chriſtus ſacrificat.

Chriſtus mediator ſecundum excellentiam.

Sacerdos ſecundum participationem

cerdotem dari exhiberiúe Deo hominique non debet,quod ſeipſum dedit, vel ex tuis, Andrea verbis contra argumentor.Bis enim vt tu dicis ſeipſum dedit,ſemel in Cæna,deinde etiam in Cruce: cur datis in Cęna veſtra eum, qui ſeipſum dedit in ſua Cæna: ſi iniuſtum eſt à Catholico ſeruulo dari in altari,qui ſemet dedit in cruce?Sed argumentum hoc tuum:non dandum ab alijs qui ſemetipſum dedit:idem eſt ac ſi dicat quiſpiã: Rex in regni ſui ſubditos vehementer iratus eſt:filius ſeipſum reconciliatorem inter patrem & gentem obtulit:Ergo nemo illum in reconciliationem adhibere poteſt, vt pax inter regem & gentem conſtet. Egregium ſanè ſuperexcellentis ingenij atque acuminis iudicium hoc.Pater dedit Chriſtum mundo Ioan.13.Chriſtus ſeipſum Patri dat.Lucæ 23. Pater in manus tuas cõmendo ſpiritum meum.Sacerdos Chriſti mandato munitus eundem Patri ſiſtit. Verum non, ſicut ſeipſum Chriſtus,ſed tamen ſicut Chriſtus,faciendũ imperauit. Ideò verò ſeipſum tradidiſſe legitur,ne non voluntariam eius mortem fuiſſe quiſpiam opinetur:ſicut Manes à quo Manichæi,aliquando ſenſiſſe iudicatur.

Cum igitur ſacerdos ex corpore ac ſanguine Chriſti non iam primum reconciliationis nouum ſacrificium facit,ſed eum,qui

iam

ſam olim talis & factus & datus eſt, pro noſtra neceſſitate ad altare in reconciliationē noſtri cum Deo adhibet; vt pro ſacerdotali ſuo munere, quā Chriſtus inuenit (Heb. 9.) redemptionem nobis applicet, & in eodem vocationem noſtram certam faciat (2. Pet. 1) Sicut Paulus dicit ſe alioſq́ue non verbum modo, ſed miniſterium etiam reconciliationis pariter accepiſſe: eoq́; ad nos clamans rogat, vt reconciliaremur Deo (2. Corint. 5.) Cùm nō ſolum ſacris literis Rom. 8. verumetiam quotidiana experientia diſcamus, multa in nobis ad plenam perfectamq́ue noſtri redemptionem deſiderari, nec poſſe nos ad noſtra merita aut quamcunque etiam aliam rem tutò prouocare. Cùm falſo dicitur Chriſtum ſolum in cruce & nuſquam alibi oblatum, cum ſit etiam ſacerdos in cælo æternus, Hebręorum. 6. & 9. & 13. capit. denique cum mediatoris ſacrificantis officium, Chriſti vnici Mediatoris muneri nihil derogat, nec vſquam ſcriptum ſit, ita Chriſtum ſeſe obtuliſſe, vt non poſſit etiam quotidie offerri Deo, ad impetrandam propter ipſius mortem animę atque corporis ſalutem realem. Has ob cauſas non dubito apud pios ſacrarum Scripturarum teſtimonia, quàm paucorum deliria pluris fieri: dignumq́ue iudicari, vt reiectis quibuslibet

accuſationibus,in eo acquieſcamus perſiſta muſque, ꝙ ſancta Eccleſia mandato Chrſti accepto ſemper inde ab initio Chriſtianæ ſacroſanctę Religionis noſtræ fecit, & ad omnium piorum ſalutem profuturum credidit atq; confeſſa eſt. Legantur veteres qui de effectu tanti ſacrificij id tradiderunt, ꝙ ab Apoſtolis traditum acceperunt. Alexander ſummus Pontifex in ea quam primam ad vniuerſos fideles ſcripſit Epiſtolam de ſacrificio hoc diſputans,ſic ait: Crimina enim atq; peccata oblatis his Domino ſacrificijs delentur. Idcircò & paſſio eius in his commemoranda eſt,qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda,atq; hęc Domino offerenda. Talibus enim hoſtijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt,quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt,ſed hęc omnes pręcellit: quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt,& pura mente ſumenda,atque ab omnibus veneranda: & ſicut potior eſt cęteris, ita potius excoli atque venerari debet. Hæc Alexander,qui ſanguine ſuo hanc fidem ſuam atque vniuerſam Eccleſiam confirmare non dubitauit. Addatur huic Chryſoſtomus in liturgia,in qua ad Deum his verbis orat: Gratias agimus tibi Deus virtutum, qui dignatus

Alexander.

Sacrificium peccata delet

Chriſoſtomus.

gnatus es nos etiã nũc ſancto tuo altari ſiſte re,& ad miſerationes tuas ꝓ peccatis noſtris, &populi ignorantia ꝓcidere: Suſcipe Deus deprecationẽ noſtram, & fac nos dignos vt offeramus tibi p̃ces ſupplicationes, *ET INCRVENTA SACRIFICIA PRO TOTO POPULO TVO*: & fac nos idoneos. quos in hoc miniſterio poſuiſti, vt in poteſtate Spiritus ſancti citra condemnationem & offenſionem in puro noſtrę conſcientiæ teſtimonio, te inuocamus in omni tempore & loco, vt nos exaudiens ſis nobis ꝓpitius in multitudine tuæ bonitatis. Idem Homi. 77. in Ioan. Ideo, inq̃t, in myſterijs inuicẽ ſalutamus, vt multi vnũ efficiamur, & cõmunes ꝓ nõ initiatis preces effundimus, *ET PRO INFIRMIS, ET TERRAE ET MARIS ET UNIVERSI ORBIS FRVCTIBVS SACRIFICAMVS*, Et lib. 3. de ſacerdot. cũ maieſtatẽ huius ſacrificij contemplandã ab exemplo Hęlię ꝓpoſuiſſet, ſic porrò ait: Ab illis ergo ſacris ad noſtratia ſacra te tranſ ferre, nec ea mira modo videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim ſacerdos, non ignem geſtans, ſed ſpiritum ſanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma cęlitùs delapſa ſacra appoſita abſumat. *SED VT GRATIA IN SACRIFICIUM INFLVENS PER ILLVD*

Sacrificium incruentum pro toto populo.

Sacrificio Deus propitius redditur.

Sacrificio omnis generis conſeruantur.

Sacrificio animi noſtri inflammantur. IPSVM OMNIVM ANIMOS INFLAMMET. ET PVRIORES REDDAT ARGENTO IGNE EXCOCTO PVRGATOQVE. *Ambroſius* Ambroſius in Pſal.38. vidimus principem ſacerdotum ad nos venientem; vidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinē ſuum, ſequamur vt poſſumus Sacerdotes, *Sacrificium pro populo.* VT OFFERAMVS PRO POPVLO SACRIFICIVM, & ſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio, quia etſi nunc Chriſtus non videatur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando corpus Chriſti offertur: Imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur. *Martialis.* Quin Martialis diſcipulus, qui Chriſtum in carne vidit, Epiſtola ad Burdegalenſes cap. 3. De hiſce effectibus Sacrificij pleno ore teſtatur dicens: Sacrificium Deo Creatori offertūr in ara, nō homini, neq; angelo nec ſolum in ara ſanctificata, ſed vbiq; offertur Deo oblatio munda, ſicut teſtatus eſt, CVIVS CORPVS ET SANGVINEM IN VITAM AETERNAM OFFERIMVS, *Sacrificium offertur in vitam aeternam, & cauſa ſalutis noſtra.* dicentes: Spiritus eſt Deus & eos qui adorant eū, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ipſe enim corpus habēs & immaculatum & ſine peccato, quia cōceptus eſt de ſpiritu ſancto natus ex Maria Virgine, ipſum in ara crucis

permiſit

ꝑmiſit immolari. *QVOD AVTEM IVDAEI PER INVIDIAM IMMOLAVERVNT, PVTANTES SE NOMEN EIVS A TERRA ABOLERE, NOS CAVSA SALVTIS NOSTRAE IN ARA SANCTIFICATA PROPONIMVS: SCIENTES HOC SOLO REMEDIO VOBIS VITAM PRAESTANDAM ET MORTEM EFFVGANDAM. HOC ENIM IPSE DOMINVS NOSTER IVSSIT NOS FACERE IN SVI COMMEMORATIONEM.* Gregorius Nazianzenus oratione 1. in Iulianum apoſtatam: Max, inquit, incruenti ſacrificij oblatione manus commaculat. *PER QVOD NOS CHRISTO VNIMVR NEC NON PASSIONIS AC DIVINITATIS EIVS PASTICIPES REDDIMVR.* Ambroſius etiã: Ante, inquit agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nũc Chriſtus offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſsionem. & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, *VT PECCATA NOSTRA DIMITTAT*, hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit, Paſchaſius quoque ſicut citatur in 58. opuſculo cap. 25. Thomæ de eo ſcribens,

Sacrificio, demõſtratur uita, mors fugatur.

Greg. Naz.

Sacrificio Chriſto unimur & paſsionis diuinitatisq; eius participes efficimur

Ambroſius

Sacrificio dimittuntur peccata.

Paſchaſius.

ſcribens,ſic ait:Licet omnia peccata in Baptiſmo ſint donata,infirmitas tamẽ peccati id eſt,fomes in carne remanet. Et quia ex hoc quotidie labimur ſaltem in venialibus:ideò

Sacrificio recidiua delictorum relaxantur. Chriſtus pro nobis quotidie immolatur, vt qui ſemel moriendo mortem deuicit, quotidie recidiua delictorum per hæc ſacramenta relaxet.

Pontianus. Pontianus ſumus Pont. & Martyr ad Felicem Succribonem(quære in decretis Synodalibus)ſcribens: De ſecerdotibus verò Domini,inquit,quos vos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorumque cauſas portare, ſcitote vos in eo valde Deo placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſciuit,& familiares in tantum ſibi eſſe

Sacrificio peccata donantur,& reconcilianur Deo. voluit *VT ETIAM ALIORVM HOSTIAS PER EOS ACCEPTARET ATQVE EORVM PECCATA DONARET, SIBIQVE RECONCILIARET.*

Apollonius Denique & Apollonius Abb. vt in vita ipſius legitur,Sed & ipſa commemoratio,inquit,dominicę paſſionis cum aſſiduè fit à Monachis,plurimum vtilitatis eis confert. Sed quid opus eſt ex innumeris tàm paucos receuſere? Denique ipſe Dominus in Euangelio Ioann. 6. de multis fructibus manducati huius corporis & ſanguinis ſui loquitur vt ſuut,vnum cum ipſo fieri, vitam æternam habere,non mori. Quos vos ipſos

etiam

etiam in Cænæ veſtrę manducatione cum peccatorum remiſſione quærere, non obſcurè fertis. Verùm vt Auguſtinus in Pſalmos dicit, nemo manducat hanc carnem, niſi prius adoràuerit. Quod cum etiam ad oblationem eius referri poſſit; vt intelligatur, neminem manducare hanc carnem, niſi oblatam prius Deo; non inconuenienter fructus qui ex manducando ſunt, etiam ex ſacrificando haberi creduntur. Sed & Dauid Pſalmo 22. Cibum ſibi paratum eſſe aduerſum omnia aduerſa exclamans: Paraſti, inquit, in conſpectu meo menſam aduerſus omnes qui tribulant me. Et ſicut Dauid de auertendis malis per hunc cibum, ita Zacharias de conſequendis bonis ex eodem hoc cibo teſtificatur: Quid enim bonũ eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi vinum germinans virgines. Horum omnium ſententiam cum Euſebio de demonſtratione Euangelica. Lib. 1. capite 10. concludo, qui de calice pręclaro & inebriante loquens. Quum ergò inquit, huius ſacrificij memoriã ſignis quibuſdam in menſa celebrandam, corporiſq; item illius, ſalutiferique ſanguinis, vt Noui Teſtamenti inſtitutum habet. acceperimus: rurſus à Propheta Dauid inſtruimur ad dicendum: paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Pingue feci- *Euſebius.*

ſti

ſti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quam prẹſtantiſsimus. Palàm igitur in his ſignificat myſticam vnctionem, & odorum offerentiam, menſæ Chriſti ſacrificia, quibus operantes, incruentas, & rationales, eique ſuaues, victimas in tota vita ſupremo Deo oferre, per eminentiſſimum omnium ipſius Pontificem edocti ſumus.

ARTICVLVS SEPTIMVS, DE SANCTORVM MERITIS.

IAM hoc porrò Articulo alia etiam liturgicæ orationis pars quẹdam in diſceptationem reuocatur. Etenim Sacrificans, vbi ſanctorum Dei in cẹlis memoriam ad altare celebrauit, eorundemque nomina, non omnium quidem indifferenter, ſed certa electione paucorum tantum in Synaxi fideliũ recitauit: conſequenter mox his verbis Deum precatur dicens: Quorum meritis (Domine) precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per Chriſtum Dominum noſtrum. Hic magnis, Faber clamoribus vociferatur: Si ſacrificans inquit, Chriſtianam aliquam Sanctorum in cẹlis memoriam celebraret, qualis in veteri olim

olim Eccleſia frequentata fuit,nemo illi iraſci poſset.Sed confirmat ea ipſa oratione duos errores,quorum alter de Sanctorum meritis,alter de eorundem Inuocatione eſt. hæc ille. Et hæc quidem vt probet,aliquot Scripturæ locos adducit in medium:tùm ex orationis dominicę verbis: Dimitte nobis debita noſtra,atque ex Apoſtolorum Symbolo de peccatorum remiſsione aſtruere, quòd vult adnititur.

Huius controuerſionis dijudicatio tribus ſolum Quæſtionibus abſolui poterit. Primum enim queritur: An ſint vlla Sanctorũ merita: Deinde an ijs tantũ proſint quorum ſunt merita,& an alijs quoque acommodari queant. Tertiò denique ſi alijs quoq; accommodentur, an ij quibus accommodantur ea apud Deum pro ſe allegare poſsint, In his quoniam cardo rei ac ſumma conſiſtit, ordine de ijs videbimus.

Diuiſio dicendorum.

Sed priuſquam ad primam Quęſtionem reſpondeamus, initio gratias merito agimus Deo Optim. Max. qui non paſſus eſt amplius defraudari,à deſiderio ſuo animas ſanctorum ſuorum, introeundi in ęterna cæli tabernacula.Etenim fuerunt etiam noſtro hoc ſeculo,qui cum ipſi inregnũ iſtud beatum introeundi, vllam neqùe ſpem

Sancti in cælo ſunt cum Chriſto.

haberent

haberent, prçcedentium ſeculorum ſanctis viam eius prçoccupare atque intercludere voluerunt, alium quendam eis locum determinantes, quem vocationem appellârunt, de quo tamen neque ſacra ſcriptura, neque Eccleſia Catholica hactenus quicquam nouit. An non hoc eſt negare Chriſtum mediatorem, & quod Apoſtolus Galathis ſcribit, dicerẽ: quia gratis mortuus eſt Chriſtus? Qui tamen inter alia ideo etiam mortuus & reſurrexiſe dicitur, vt regni cœleſtis iter ante nos pandat Mich. 2 Galath. 2. cap. Quid ergo Chriſtus perfecit in inferno, ad quem deſcendiſſe eũ confitemur in Symbolo? Quid expectarunt expetiueruntque tantopere in lymbo patres aduentum redemptoris, ſi non per eum liberati ſunt de manu exactoris? Aut in quo melior eſt noſtra à prçcedentium patrum conditio, ſi depoſitis corporibus etiamnum fruſtramur à cœleſtis regni introitu? Sed Dominus & hçres regni illius declarauit, quid nobis de eodẽ regno ſperandum tenendumq; ſit. Latroni enim dixit: Hodie mecum eris in Paradyſo, Luc. 23. Non dixit, poſt iudicij diem, ſed hodie. Et de diuite epulone loquens, Mortuus eſt diues, inquit, & ſepultus eſt in inferno, Lucæ, decimoſexto capite. Et in Apocalypſi. Capite. 2. Vincenti dabo edere de ligno

vitæ

vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. Et Paulus 2.Cor.4.& 5. Id quod in prȩſenti momentaneum eſt,& leuè tribulationis noſtrȩ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, ſed æternam in cælis. Audentes igitur ſemper & ſcientes, quoniam dum ſumus in hoc corpore peregrinamur à domino. (per fidem enim ambulamus & non per ſpeciem) audemus autem & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & prȩſentes eſſe ad dominum. Atq; ideo fidem hanc, quam alios docuerat, in ſeipſo exprimens, Philip.1. Cupio, inquit, diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ex quibus manifeſtum eſt, ſtatim vbi à corporibus ſolutæ fuerint beatorum animas eſſe cum Chriſto, ſine interpoſitione moræ. Quemadmodum & impiorum animæ ſtatim ſolutæ ad inferna detruduntur. Id quod in Iob etiam 21. Cap. legitur: Ducunt, inquit ille, in bonis dies ſuos & in puncto ad infernum deſcendunt. Hinc Baſilius, lib. de Spiritu ſancto ad Amphilo-

chium rectè concludit, An non extremi ſtuporis eſt, inquiens, ſanctos fateri cum Chriſto non eſſe, quandoquidem Paulus peregrinans à corpore præſens eſt ad dominum, & reſolutus iam eſt cum Chriſto: iſtos verò non concedere Spiritui Sancto quantum in ipſis eſt, vt vel eodem modo quo homines cum Chriſto ſit. Neque ideò tamen generalis Iudicij vſus nullus eſt, quia animas ſanctorum iam nunc cum Chriſto eſſe confitemur: In iudicij enim conſeſſu animabus coniungentur, propria cuiq; corpora, quæ nulli niſi Chriſto eiuſquè virgini matri iam data ſunt immortalia, nec ante illum diem cuiquã dabuntur, ſine nobis. Sicut. Heb. 11. & Apocal. 9. ſcriptum legimus. De qua re, qui vult, Chryſoſt. Hom. 28. in Epiſtolam ad Heb. & Greg. lib. 4, dial. ca. 24. Origen. Homil. 7. in Leuiticũ, & Theodoretum de prouidentia. ſerm. 9. Legat.

Cauſa iudicij extremi.

In meritis Sanctorum quatuor conſiderantur.

Iam quod ad primam Quæſtionem attinet, qua de ſanctorũ meritis quæritur, quatuor conſideranda veniunt, operans, & præmians, opus & pręmium. Hęc quatuor Apoſtolus vno eodemque loco 2. Timoth. 4. ſimul poſuit. Operantem quidem ſeipſum ſcribit: Ego, inquit, iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Pręmiantem verò inſinuat, cum Dominum nominat. Reddet

det mihi Dominus in die illa, iuſtus iudex. Opus etiam declarat cum ait: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Prẽmium deniq́ue cum ait: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Quod ergo ad operantem hominem & prẽmiantẽ Deum attinet, manifeſtum atque omnium Theologorum voce in confeſſò eſt, hominem à Deo ſimpliciter ſanè nihil poſſe mereri, neç vllum eſſe poſſe vel præmium vel meritũ inter Deum & hominem: quòd homo iam omnia quẽcunque vel poteſt vel habet, imò ſeipſum etiam antea Deo debeat, à quo accepit viuere & eſſe, & omnia ſua: tùm verò prẽmium reddere alicui, actus eſt iuſtitiæ, quia reſpicit meritũ, quod prẽmio remuneratur & compenſatur. At cum iuſtitia ſit ẽqualitas quẽdam, neceſſe eſt vt ſit Iuſtitia inter eos qui ſint ſimpliciter æquales. Sed homo & Deus minimè ſimpliciter æquales ſunt. *Meritum.* *Præmium.* *Deus.* *Homo.*

Quare rectè concluditur non poſſe ſimpliciter eſſe hominis meritum vllum ad Deum ſicut nec Dei prẽmium vllum ad hominem. Veruntamen S. literẽ hominis aliquod eſſe meritum apertè teſtantur, quando de mercede, quam Deus dat loquuntur. Quamobrem vt & ratio meriti ſimpliciter conſtet, & ſacrarum literarum autoritas conſeruetur dicendũ eſt, meritum, quod (ſimpliciter lo-

quando) nullum inter Deum & hominem eſt, eſſe tamen ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum diuinam ordinationem, qua pro immemſa ſua benignitate cum omnes habe ret debitores, debitorem ſeipſum tamen eſſe quorundâm voluit, promittens hęc atque illa facientibus ex obedientia, ſe eandem hãc obedientiam, quam iuſtè requirere poſſet ab omnibus ex iuſtitia, remuneraturum ex liberalitate. Itaq; promiſsio, ſeu pactum Dei, fundamentum eſt meriti hominis, quo ſine nullum poſſet inter Deum & hominem meritum intelligi, ſicut inter Dominum & ſeruum eſt. Etſi enim ipſo iure domini ſunt, quæcunque ſeruus lucratur, nec vllum contra Dominum ius meriti ſeruus allegare poſſit: Si tamen Dominus ſeruo promittat libertatem, paciſcaturque cum eo ſuper certo aliquo facto, vt ſi hoc fecerit, vel ſi alacriore animo, aut rectius atque in tempore fecerit, quod ſine pacto aut promiſsione faciendum erat, iam Dominus ſeruo ex ſua voluntate ac imperio quod demandatum eſt operanti, ex pacto obligatur ad præſtandum id ſeruo, quod pacto promiſit, & ſeruus iure optimo exigere promiſſam libertatem poteſt: Hoc igitur modo inuenimus S. literis teſtantibus Deum multa promiſiſſe homini daturum, non doni ac muneris, ſed

Meriti fundamentum ſunt Chriſti pactum & promiſsio.

prẹmij

prӕmij ac mercedis nomine. Itaq; prӕmij harum rerum in homine meritum aliquod ſit oportet, ſine quo prӕmium vel merces nequit intelligi. Vt Gen.15. Deus loquitur ad Abrahã: Ego ſum merces tua magna nimis. Iſa.40. Ecce dominus veniet, & merces eius cũ eo. Mat. 20. voca operarios, & redde illis mercedem. Apo.22. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, dare vnicuiq; ſecundum opera ſua. Quibus ſacræ Scripturæ locis manifeſtè conſtat, mercedem eſſe apud Deum, atq; ideo etiam meritum apud homines. Verùm ne quis exiſtimet, Deũ ſimpliciter obligari ad reddendam mercedem, ideò alijs Scripturæ locis pactum atq; promiſsio extant. Abrahæ promittitur merces magna nimis, ſed ex pacto. Faciam te, inquit Dominus, in gentem magnam. Hanc promiſsionẽ præcedit pactum: ſi egreſſus fuerit de terra ſua: Geneſ.12. & 15. Multiplicabo, inquit ad eundem Dominus, ſemen tuum ſicut arena maris: ſed prӕcedit pactum circumciſionis. Gen.17. Et in immolatione filij Iſaac. apertè dicitur: Quia feciſti hanc rem, & nõ peperciſti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, Geneſ.22. Vtique non benediceret ſi Abraham non obedijſſet. Sic Exod.24 apertè ſub conditione populo promittitur terra Chanaan, ſi in præceptis Dei ambula-

uerit. Seruauit Abraham pactum, & à Deo obtinuit promiſſum: Fregit populus Iſraël pactum, & eorum nemo prẹter Ioſue & Caleb terram, quæ ex pacto illis debebatur, vidit. Deut. 32. Sic in nouo Teſtamento, conuentio inter dominũ vineę & operarios facta deſcribitur, quibus etiam ex conuentione denarius diurnus redditur Matt 20. Mar. 16. capite. Apoſtolis dicentibus; Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me: ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnie qui reliquerit domum, vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam ęternam poſſidebit. Et Marci 9. Si quis dederit calicem àquæ frigidæ in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam Matt. 5. Qui videt in abſcondito, reddet tibi Matt. 25. venite percipite regnum &c. Et 1. Cor. 3. vnuſquiſque propriam mercedẽ accipiet ſecundum laborem ſuum. Hoc ſciens olim Dauid, palam de fine ſuarum actionum loquitur, dicens: Pſalmo. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem dicens, mercedem reſpicit. Itaque qui meritum ſanctorũ negat, etiam mercedem apud Deum neget neceſſe eſt, contra tot

tra tot S. ſcripturarum tam aperta teſtimonia: & ordinationem Dei Opt. Max. euertat, qua diſpoſuit, hominem ad prēmium meriti ratione tanquam ad finem ſuum præſtitutum peruenire.

Et quæ impudentia eſt merita negare ſanctorum? cum conſtet, ſacrarumq; ſcripturarum exemplis demonſtrari poſsit, etiam eos qui in peccato exiſtunt mortali, operum ſuorum merito non omninò fraudari. Publicanus enim pectoris tonſione & oratione veniam quodammodo peccatorum ſuorum impetrauit. Luc. 18. Obſtetrices AEgyptiæ propter Dei timoré ſeruantes infantes Hebręos placuerunt Deo. Quamobrem etiam ipſis benefecit Dominus & ædificauit eis domos. Exod 1. Et regi Nabuchodonoſori datur per Danielé conſilium, vt peccata ſua eleemoſynis redimat. Daniel. 4, Eidemque impio Deus miniſterij ſui ratione decernit prēmium & mercedem: Nabuchodonoſor, inquit Dominus, rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſum Tyrum, & merces ei reddita non eſt, neque exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. *Operum ante fidē ratio.*

Et mox operi quo ſeruiuit mihi aduerſus eam, dedi terram AEgypti, pro eo quod laborauerit mihi, accipiet multitudinem

AEgypti & depredabitur manubias eius,& diripiet ſpolia eius,& erit merces in circuitu eius Ezec.29. Et ad Iehu dominus ait: Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat, placebatque oculis meis, filij tui vſq; in quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael 14.Reg.10. Quin etiam diſponunt eiuſmodi merita hominem ad ſuſcipiendam gratiam,& ad emundandum cor à peccatorũ ſordibus. Sicut Act,10.de Cornelio legimus, qui eleemoſynis & orationibus ſuis ante fidem anteque baptiſma Deum ſibi demeruit, ad vberes gratiæ fructus percupiendos. Quanquam & hoc verùm eſt, quod nemo primam gratiam mereri poſsit.

Merces meritorum non temporaria ſolũ ſed æterna datur.

Imo ſanctorum merita non ſolum temporarijs bonis ac viſibilibus, verumetiam ac maximè æternis compenſantur, ſi non ex cõdigno (quod Paulus negat Rom 8. Non ſunt inquiens, condignę paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis) ſaltem ex congruo. Congruum etenim eſt, vt homini ſecundum ſuam virtutem ex libero arbitrio operanti, Deus recompēſet ſecundum excellentiã ſue virtutis, quantumuis nulla ſit vtriuſque æqualitas, Auſim etiam ex condigno dicere, ſi meritum reſpiciatur non quaſi ex libero noſtro arbitrio, ſed ex gratia Dei procedens, mouente nos

ad opus

ad opus in habitante Spiritu Dei.Etenim ſi cooperantes ſpiritui ſancto indigni ſumus qui cęleſtis glorię præmium accipiamus,dignus tamē eſt operans in nobis ſpiritus Dei. Vnde illud Chriſti Ioan.4. poteſt intelligi. Aqua quam ego dabo fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternā.Hinc paulus Rom. 8.vbi de conſortio noſtri cum Chriſto propter in habitantem Spiritum non nulla diſſeruiſſet,addidit:ſi tamen compatimur,vt & conglorificemur. Nā quos pręſciuit,& prędiſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus eoſdem & iuſtificauit & magnificauit. Quare hic ipſe primogenitus multos fratres in illa die ad ſe in regni conſortium vocabit. Matth.25. Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine Mundi.Et Matth.5.Gaudete & exultate,quia merces veſtra copioſa eſt in cælis.Et Apoſtolus de ſeipſo 2.Timoth.4.Repoſita eſt mihi corona Iuſtitię,quam reddet mihi iuſtus iudex in illum diem. Hanc ob cauſam veteres quemadmodum tria in merito conſiderantur ſcilicet habitus gratiæ & charitatis, actus ex gratia & Charitate procedens,& conatus liberi arbitrij ita etiā tria in præmio,merito correſpondentia notarunt,vt habitui gratie reſpondeat prēmium

Tria tribus in merito reſpondent in præmio.

eſſentiale, quod eſt viſio & fruitio diuinę eſſentiæ: Actui ex gratia procedenti, prȩmium accidentale, hoc eſt, gaudium de illo bono opere: Conatui denique voluntatis, deletio reatus & pœne & ſatiſfactio. Ex quibus conſtat eſſe aliquod meritum hominis apud Deum quod ipſum quidem pacto Dei innititur ex liberalitate eius confirmato. Et quia ſine pænitentia ſunt dona Dei, Romanorum 11. capite. qui in omnibus ſuam vult firmam eſſe promiſsionem Rom. 4. ca. ideò veteres meritum hominis etiam Iuſtitiæ dei inniti ſcripſerunt, non quia debitor ſit hominis Deus, aut iniuſtus ſit ſi non reddat prȩmium: ſed quia ad conſeruationem ſuæ ipſius Iuſticiæ pertinet, vt quod ex pacto ratum eſſe voluit. atque promiſit, præſtet.

Meritũ innititur Iuſtitiæ Dei.

Vnde cum peccata dimittit, aut pęnam condonat, aut boni aliquid largitur, ait: Propter me, & propter nomen meum, id eſt, iuſtitiam hoc facio. Iſa. 43. cap. 4. Reg. 19. cap. Deinde etiam quia ſpiritus ſanctus mouet nos, atque vt & velimus & poſsimus operatur. 1. Corinth. 12. rectè quoque patres meritum gratiæ attribuerunt, vt intelligatur præmiũ, non eſſe velle autem poſſe noſtrum, ſed Dei donum. Chryſoſt. Hom. 1. de Adam & Eua. Tanta eſt, inquit, erga omnes bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, &

Meritũ gratiæ Die innititur.

Chriſoſtomus.

na,& pro his quæ ipſe antea largitus eſt,æter na prçmia ſit daturus. Auguſt.lib.13.Confeſ. capite.1.Tu inquit, Domine deleuiſti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis, in quibus à te defeci. Et præueniſti omnia bona merita mea, vt retribueres manibus tuis, quibus me feciſti. Idem libro decimo quarto. cap 15.de Trinit. Quid inquit, animam faciat beatam niſi meritum ſuum,& præmium Domini ſui? Sed & meritum eius, gratia eſt illius, cuius præmium erit beatitudo eius. Et Epiſtola,106.ad Bonifacium, contra Pelag. Ipſum,inquit, hominis meritum donum eſt gratuitum. *Auguſtinus*
Et rurſus ad Laurent.in Enchiridio capite 107.Ipſam vitam æternam, quæ certa merces eſt operum, gratiam Dei appellat Apoſtolus,dicens. Stipendium peccati Mors,gratia autem Dei vita æterna in CHRISTO IESV Domino noſtro. Stipendium pro opere militię debitum redditur, nõ donatur. Ideò dixit:Stipendiũ peccati Mors: vt mortem non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia vero niſi gratis fit,gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita eſſe Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? Et Epiſtola.105. ad Sixtum. Quid eſt, inquit, meritum hominis

minis ante gratiã, quo merito percipiat gratiam, cum omne meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia. Et cũ Deus coronat merita noſtra nihil aliud coronat niſi munera ſua. Et mox: Vnde & ipſa vita æterna, quę vtiq; in fine ſine fine habebitur, & ideò pręcedentibus meritis redditur: tamẽ quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiã etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis datur, nec ideò quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur. Et rurſus in ſermone. 2. dominica poſt octauam Epiphanię. Etenim cum hinc exieris, inquit, recipies pro meritis, & reſurges ad recipiendum quæ egiſti: Tunc Deus coronabit non tàm merita tua, quàm dona ſua. Huic conſentit etiam Hieronymus in dialogo contra Pelagi. 1. part. Epiſtola. 7. Quid, inquit, coronat in nobis Deus? Quod ipſe operatus eſt, voluntatem noſtram, quæ obtulit omne qđ potuit: & laborem quo contendit vt faceret; & humilitatem, quæ ſemper reſpexit ad auxilium Dei. Vnde etiam Gregorius lib. 24. Moral. cap. 6. Iuſtitia noſtra, inquit, non noſtra, ſed Dei eſt. Bernardus ſerm. 1. de Annunciatione Dominica: Neq; talia ſunt, inquit, hominũ merita, vt propterea vita ęterna de-

Bernardus.

na de-

na debeatur ex iure; aut Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Nam vt taceam, quod merita omnia bona Dei ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quā Deus homini quid ſunt merita omnia ad tantam gloriam? Habes ea per illum, & de vita æterna habeas neceſſe eſt teſtimonium Spiritus: quod ad eam diuino ſis munere peruenturus. Ipſe enim peccata con donat, ipſe donat merita, & præmia nihilominus ipſe redonat. Idem in ſerm. de D. Benedicto: Iuxta radicum quantitatem, inquit, rami prodire noſcuntur. Et quot radicibus arbor innititur, tot ramis eadem decoratur. Ita confertur gratia (ex qua ſuam efficatiam habent opera noſtra) gloriæ. Eſt enim gloria gratia conſummata. Quæ cum ita ſint, commodè nos idem Bernardus docet, quomodo conſeruari merita noſtra poſſint ne pereant. In Cant. ſerm, 68. Merita, inquit, habere cures: habita, data noueris: fructum vero Dei miſericordiam ſperaueris: & omne periculum euaſiſti; paupertatis videlicet & pręſumptionis. Perniciosa enim eſt paupertas, penuria meritorum. Habeas vnde pręſumat: ſed non merita. Habeas merita: ſed ad promerendum, non ad præſumendum. Et longè antè eam Chriſoſt. hom. ſuper Mat. 3. Caueamus inquit, de nobiſmet ipſis

Merita quomodo conſeruanturne pereant.

Chriſoſt.

ipſis dicere glorioſa: hoc enim nos & hominibus & Deo abominabiles facit. Et idcirco quantò maiora fecerimus bona, tantò de nobis minora dicamus. Hoc enim modo maximam & coram Deo & coram hominibus gloriam conſequemur: nõ ſolùm gloriam quæ à Deo eſt, verum etiam mercedem retributionis pleniſsimam. Noli ergo mercedem repoſcere: vt merearis accipere. Tu ſaluari te Dei gratia confitere: vt ſe ille tibi debitorem fateatur. Nec modo operibus tuis, verumetiam pro hac gratia humilique ſententia. Virtutum enim omnium merita, bonum humilitatis exuperat.

Hactenus demonſtratum eſt, eſſe & valere merita ſanctorum apud Deum Quam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam etiam à contrario aſtruit Diuus Hieronymus. Scribens enim contra Iouinianum libro 2. Epiſtola 6. Capite. 32. Reuera grandis eſſet Iuſtitia Dei, inquit, ſi tantum peccatum puniret: & bona opera non ſuſciperet. Neque enim Iuſtitiæ Dei eſt vt obliuiſcatur bonorum operum, & miniſterij, quod propter nomen eius exhibuiſtis & exhibetis in ſanctos, & tantum meminerit peccatorum.

Hieronymus.

Merita prodeſſe etiam alijs.

Iam porrò ad ſecundam Quęſtionem abſoluendam accingamur. in qua aſſerimus merita Sanctorum, non modo ijs quorum ſunt,

ſunt,verumetiam prodeſſe alijs. Principiò enim manifeſtum eſt,Sancti ſanctorum domini ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti merita omnibus Credentibus prodeſſe ad ſalutẽ æternam.Nobis enim natus,nobis datus eſt, & liuore eius omnes ſanati ſumus, ſicut Iſaias olim futurum prædixit.Cap.9.53.& Apoſtolus Heb.5. teſtatur, quod omnibus obtẽperantibus ſibi ſit factus cauſa ſalutis æternæ.Sicut enim in corpore naturali fit à capite deſcenſus ad inferiores partes , ita etiam in corporeEccleſiæ myſtico,à Chriſti capite fluunt omnia bona in reliqua membra. Cuius ſane Pſal.133. figura deſcribitur. Nam cum de vnitate corporis huius myſtici exclamationem præmiſiſſet Propheta : Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum : continuò de meritorum gratiarumque capitis in membra deriuatione ſubiungit:Sicut vnguentũ in capit quod deſcendit in barbam barbam,Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Syon. Etenim CHRISTVS in nobis & loquitur (ſicut exempla Pauli & Stephani 2 Corinth . 13. capite. Actorum.7.capite,docet)& operatur,(ſicut Pſalmiſta Pſalmo.67 capite.precatur,Paulus vero Gall.2.cap. de ſeipſo teſtatur) imò etiam pati-

am patitur (Act.9.) Quis autem dicat Chriſti actiones ipſę tantum mereri, cum iam ſedeat à dextris Dei. Neceſſe eſt ergo ea quæ in capite abundant redundare in reliqua eiuſdem corporis membra.

Quod verò etiam aliorum Sanctorum tanquã nobiliorum membrorum corporis myſtici merita proſint nobis, primùm hoc docet fidei noſtræ Confeſsio, in qua credimus & confitemur Sanctorum communionem, hoc eſt, omnium bonorum communicationẽ fieri inter eos qui ſunt mẽbra huius corporis myſtici. Deinde ipſa etiam corporis ratio: que hoc habet, vt vnius membri bonum ſit quoque ad vſum & vtilitatem totius harmoniæ. Sicut Apoſtolus. 1. Cor. 12. ſcribit; Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra; ſi gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et Epheſ. 4. idem teſtatur, quod vnicuique noſtrum data ſit gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, ad conſummationem ſanctorum, & ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Hæc autem gratia efficiens & cauſa eſt meriti, ſicut ſuperius dictum eſt. Stultum verò eſſet dicere, Deum dediſſe cauſſam alicuius rei,

lus rei, cuius non vellet effectum largiri. Quamobrē vt gratia veluti meritorum omniumque bonarum actionum cauſa, ita etiam ipſa merita atque actiones ex gratia procedentes in commune omnibus Eccleſiæ membris commodant. Adde quod quum Paulo.1. Corinth.12. teſte, omnia bona vnus atque operatur Spiritus in omnibus, non vni priuatim, ſed omnibus vult commodare in vniuerſum, Vnde ſicut alteri pro alteris precamur, ita & operamur, & ſuſtinemus. Tertiò expreſſum eſt mandatum Apoſtoli, Gall.6. vt alter alterius onera portemus, & ſic Chriſti legem adimpleamus. Et Apoſtolus, 2. Corint.10. Ex æqualitate in pręſenti tempore veſtra abundantia illorū inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopię ſit ſupplementū, vt fiat æqualitas. Quibis verbis apoſtolus ad illud Chriſti, Luc, 16. videtur reſpicere: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cū defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula. Quo loco ſanè vt quorundam defectum inſimuat in bonis operibus, ita ſanè cū ipſum defectum ſuppleri aliorum diuitijs oſtendit: Vt recipiant, inquit, vos in æterna Tabernacula. Quomodo autem æternorum Tabernaculorum facultas data eſt quibuſdam, & non omnibus, niſi quod illi gratiæ

munus ad meritum impenderunt, & lucrati ſunt, hij verò in terram fodientes abſconderunt? Matt. 25. vnde Anſelmus in prædictum Apoſtoli locum: Reſtat ergo, inquit, vt nunquam elatio ſurgat ex munere, quãdo videlicet diues ex eo quod pauperi tribuit, agit vt in perpetuum pauper non ſit. Qui enim viuunt in ſeculo, non habent merita ad vitam æternam ſufficientia. Sed quia pauperes Chriſti quorum eſt regnum cælorum, Matt. 5. per eleemoſinas amicos & debitores ſibi fecerunt, per merita eorum conſequentur, quod per ſe non merentur: vt tunc fiat æqualitas vtrorumq;, non quia non differunt, ſed quia omnes idem regnum habebunt, & vnicuique ſufficiet quod habebit, Vel æqualitas eſt, vt quia iſti in hoc tempore miniſtrant ſanctis, reddantur eius vices ab illis in futuro, quia debitores illi faciunt ſanctos. Hæc ille.

Anſelmus.

Sed & ipſe Paulus de ſeipſo Coloſſ. 1. ſic ſcribit: Adimpleo ea quę deſunt paſsionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Quibus verbis duo docet, primùm ſe cõmunicare paſsionibus, Chriſti in carne ſua. Deinde has ipſas paſsiones prodeſſe Eccleſiæ. Ex quibus duobus tertium cõcluditur, nempe Apoſtoli paſsiones eſſe meritorias. Hinc primò quidem oſtenditur, vnde

vnde ipſius paſsiones virtutem habeant, nempè ex eo quod communicent cùm paſſionibus Chriſti, imò quod ſint pàſsiones ipſius Chriſti, ſed in carne non Chriſti ſed Apoſtoli, non capitis propè ſed membri. Nō quod capitis paſsiones delendis peccatis minus ſufficiant, quę ſanè mille mundis abundè ſufficere poſſent: ſed quod ita diuina ordinatione ſit diſpoſitum, vt quod in capite pręceſsit ſemel, hoc fiat in membris myſtici corporis quotidiè, dicente Paulo: Si compatimur, etiam conglorificabimur. Prædeſtinauit enim nos DEVS conformes fieri imaginis filij ſui. Rom. 8. non quidem redimendo aut ſaluando; ſed tamen, quod Ioannes ſcripſit, animas pro fratribus ponendo. 1. Ioan. 3. Quoniam ille animam ſuã pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. De qua re Anſelmus. cuius etiam ſuprà memini luculenter in Col. 1. ca. ſcribēs teſtatur: Gaudeo, inquit in Apoſtoli perſona, in paſsionibus pro vobis confirmãdis in veritate Euangelij: & adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne mea id eſt, ea quæ CHRISTVS in carne ſua minus pertulit, ego in carne mea perfero pro multiplicando corpore eius, quod eſt Eccleſia. Paſsiones enim Chriſti non ſunt in ſolo Chriſto, imò paſsiones Chriſti non ſunt

niſi in Chriſto. Si enim Chriſtum intelligamus caput & corpus, paſsiones Chriſti non ſunt niſi in Chriſto. Si autem Chriſtum intelligamus ſolum caput, paſsiones Chriſti non ſunt in ſolo Chriſto. Nam Apoſtolus, adimpleo, inquit, ea quæ deſunt paſsionum, non mearum, ſed Chriſti, in carne non iam Chriſti, ſed mea. Patitur, inquit, ad huc Chriſtus paſsiones, non in carne ſua, in qua aſcendit in cælum, ſed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Quiſquis ergò es in membris Chriſti quicquid pateris ab eis qui non ſunt mēbra Chriſti, hoc deerat paſsionibus Chriſti. Ideò additur, quia deerat, menſuram adimplens, non ſuperfundens. Tantum pateris quantum ex paſsionibus tuis conferendum erat vniuerſę paſsioni Chriſti, qui paſsus eſt in capite noſtro, & patitur in membris ſuis, id eſt, in nobisipſis. Ad communem hanc quaſi Rempubl. noſtram quiſque pro modulo noſtro exoluimus, quod debemus, & paſſionem virium noſtrarum inferimus. Paritio plenaria non erit paſsionū omnium niſi cum ſeculum finitum fuerit. Adimpleo inquit, ea quę deſunt. Cui deſunt? paſsionibus Chriſti. Et vbi deſunt? In carne mea. Nam in carne Chriſti quam virgo peperit, nihil paſſionum deeſſe, ſed omnes in illa paſsiones ſunt impletæ: ſed adhuc reſtat pars paſsionum

num eius in mea carne,quas quotidie tolero pro vniuerſali corpore eius,quod eſt Eccleſia,. Hæc Anſelmus. Ex quibus conſtat Sanctorum paſsiones,ſicut& actiones,vti in carne fiunt membrorum & tamen ſunt capitis etiam paſsiones,ita etiam prodeſſe ac cómodare membris reliquis. Paſsiones enim quæ tanquam pœnę infliguntur,Chriſti paſſiones eſſe non poſſunt. Propterea nec meritoriæ. VtChriſti vero paſsiones toleratę,& glorię Dei ſeruiunt & aliorum ſaluti. Quid enim,ſi tanti apud Deum iudicantur ſanctorum paſsiones(haud dubiè etiam bonę actiones) vt ipſe quoq; Deus ſuam in eis gloriam manifeſtet,quomodo non reliqua etiam membra ex eijſdem aliquod emolumentum quærant? quoniam tàm reliqua membra,quantumúis minus ſancta,ſunt commēbra (vt ita dicam) ſanctorum membrorum, quàm ipſum caput. Vnde Propheta intelligens hanc ſanctorum communionem quaſi exultans fiducia quadam clamat: participes ſunt omnium timentium te, cuſtodientium mandata tua Pſal,118. Quid ni verò? Legerat enim iuſtitiam decem ſaltem iuſtorum non vnam ciuitatem ſed totam terram Sodomorum à cæleſtis ignis incendio potuiſſe ſeruare, paucorumque gratiam apud Deum pluribus obtinere miſericordiam.

Pœnæ non ſunt paſsiones Chriſti.

Geneſ.18. Si inuenti fuerint decem iuſti ibi, non delebo propter decẽ iuſtos, inquit Dominus. Et propter vnum Zachæum tota ipſius ſaluatur familia. Luc.19. Sicut quondam propter Iacob Dominus benedixit Laban, Geneſ.30. Et propter Dauid regis confeſsionem toti peperit populo Dominus. 2. Reg. 24 Sic amicis Iob imperatur: ite ad ſeruum meum Iob, ipſe offeret holocauſtum pro vobis faciem eius ſuſciqiam, vt non imputetur vobis ſtultitia Iob.42. Et Paulo donatæ ſunt connauigantium animæ, Act. 27. Non ergo fraudantur meritorum fructu ſancti Dei, cũ ijſdem patrocinantur etiam alijs.

An quibus proſunt ſanctorum meritа, ipſi eadẽ pro ſe apud Deum allegare utiliter poſſint.

Reſtat igitur vt videamus an ij quibus proſunt aliorum ſanctorum merita pro ſeſe eadem apud Deum allegare poſsint. Et quidem Sacris literis conſtat, Deum reſpectu meritorum, ac certorũ ſanctorum, ſiue propter certa merita ac Sanctos non modo in hac vita degentes, verum etiam in altera illa cæleſti triumphantes, ijs qui in hac miſeria laborant ſæpè propitium fuiſſe, ac multa bona contuliſſe. Id quod per exempla probare poſſumus. Cùm enim Salomon Domino peccaſſet, ac ſeſe indignum regno feciſſet, Deus propter Dauid patrem eius teſtatur, ſe illi quantumlibet indigno regnũ quoad viuerit,

ueret,relinquere.In diebus tuis,inquit,Dominus ad ipſum Salomonem,non faciã propter Dauid patrem tuum.Et rurſus per Ahiam Silonitiden prophetam ad Ieroboam: vna tribus remanebit ei propter ſeruũ meum Dauid,eò quod non ambulauerit in vijs meis,& faceret iuſtitiã coram me &precepta mea & iudicia mea, ſicut Dauid pater eius 3. Reg.11. Eodem modo poſtea Deus Aſſyrijs obſidentibus ciuitatem Ieruſalé, ad Ezechiam Regem per Iſaiã promittit, dicens : protegam vrbem hanc & ſaluabo eam propter me & propter Dauid ſeruum meum,4.Reg. 19.Iſa.37.Huius generis exempla obuia ſunt in ſacris literis, quibus teſtatum facit Deus quantum ſanctorum ſuorum valeant apud ſe merita.Et cur tàm manifeſtè Dauidis allegat perſonam?Niſi vt intelligamus Deum velle , vt de ipſorum gratia Dei nobis benignitatem polliciamur, & quos ipſi placuiſſe nouimus eoſdem pro nobis apud communem patrem allegemus . Hoc intelligentes alij Sancti cùm in magnis eſſent periculis,de ſuis diffiſi meritis,Deo eorum, quos charos habuit, memoriam renouauerunt,ac pro ſe allegauerunt. Fecit hoc Moſes vir Deo charus pro populo Iſraël.Quieſcat, inquit, ira tua & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham

Iſaac,& Iſraël, ſeruorum tuorum quibis iuraſti per temetipſum. Nec ſanè fruſtra Moſes horum memoriam reducit apud Deum. Teſtatur enim textus, placatus eſt Dominus ne faceret malum quòd loquutus fuerat aduerſus populum ſuum. Exod.32. Sic Dauid quoque Pſal.73. Memor eſto Domine congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio: Vtique ad Abraham, Iſaac & Iacob, omneſque alios quos Deo ab initio conditi orbis placuiſſe nouerat, reſpiciens. Quòmodo ipſius etiam Dauidis memoria apud Deum allegatur Pſal.131. Memento Domine Dauid, & omnes manſuetudinis eius. Quanquam autem non vbique dicatur qua in re tantopere ſancti illi placuerint Deo, tamen vt in hoc Pſalmo.131. Manſuetudo Dauidis, ſic alibi etiam quędam recitantur virtutes illorum, quas per Dei Gratiam operati ſunt. Vt Nehemię.8. quod ſingulari fide excelluerunt fideles dicuntur, & Sap.3. Deo digni. In Daniele verò 3.cap. tres illi ſanctiſſimi Patriarchę ſinguli ſuis proprijs celebrãtur epithetis, vbi Abrahã dilectus, Iſaac ſeruus, & Iacob ſanctus deſcribitur. Etſi autem Deo dilectum eſſe, & ſeruum eſſe & ſanctum eſſe dona Dei ſint, à quo omne donum perfectum deſcendit, Iac.1. & dat vnicuiq; prout vult 2.Cor.12. tamen ea ipſa dona etiam eorum

Vnde Sancti Deo placuerunt.

eorum hominũ ſunt, quibus donata à Deo leguntur. Quis vero Deo repugnare audeat, quòd quibuſdam differenter, ſibique charis non omnibus, ex æquo dona ſua elargitur, eadeq́m; dona ſua eorumq́; pium vſum tàm magnificè liberaliterque coronat? Act.13. & Pſal.88. de Dauid ſcriptum legimus, quod vir fuerit ſecundum cor Dei. recitaturque promiſsio Dei, de miſericordia eius perpetuò eiuſdem ſemini exhibenda. Itaque cùm his S. ſcripturę exemplis apertè cõſtet, apud Dei clementiam ſanctos gratia tantum vo-lere, vt ipſorum in altera vita triumphantiũ cauſa etiam alijs in Mundo etiamnum militantibus multa condonet & largiatur; cumque manifeſtum ſit, Moſen & Dauid alioſq; veteris Teſtamenti pios in hac vita defunctorum gratiam apud Deum communẽ Patrem pro ſe ſuiſq; cum fructu allegaſſe: quid quęſo impedit ſacerdotem noui Teſtamenti pro ſe ſuiſque etiamnum idem atque eodem modo facere: hoc eſt, noſtrorum ſanctorum gratiam & ex ea prouenientia merita apud communem Deum ac patrem allegare? Sanè multò id rectius ac maiore etiam fructu hodie à noſtris fieri poſſe atque debere videtur, quando ij quorum merita ac gratia apud Deum per nos hodie allegantur, cũ Deo ac Chriſto in Cœlo ſint, in quod

ſuprà etiam demonſtratum eſt, veteris verò teſtamenti quorum Moſes Dauid & alij memoriam apud Deú allegârunt, apud Deum in cælis, tunc quidem non fuerint ſed eius qui ianuam illius patrię reſerare potuit, aduentum in inferno expectarint, ardentibuſq́; votis ac ſuſpirijs expetierint. Quamobré Iacobe cum eiuſmodi in Eccleſia ſancta ſanctorum memoriam, qualis in primitiua ac veteri Eccleſia celebrata fuit, modo quoque tolerandam cenſes (vt ſcilicet quod hactenus propter ſummam & antiquitatis & religionis authoritatem maieſtatemq́ue eius omnes pij atque docti ſanctiſsimè & coluerunt & venerati ſunt, te Cenſore veniam mereatur) age perueſtigemus veterum monumenta, ac qualem illi ſanctorum memoriam celebrarint (quoniam aliquam celebraſſe te quoque confitente conſtat) ex ipſis diſcamus. Ac ſi noſtra hæc quam hodie in Liturgia Occidentis celebramus Sanctorum memoria à veterum illa diſcrepare in eo, quo de diſceptatur, inuénta fuerit: tunc iuſtam quæremoriam tuam omnes libenter fatebimur: Sin vero, & cônſentiens reperta fuerit, tunc quoq, calumnias ſtruere te non vni alicui homini, ſed piorum, vniuerſitati, nugatoremque eſſe omnes diijudicabunt, vt qui vel de rebus quas non intelligis ſtultè ſen-

Teſtimonia Patrum de allegandis ſanctorum meritis in Eccleſia Catholica.

tè ſententiam dixeris: vel certè de cognitis contra animi ſententiam mentitus fueris.

Primò itaque veterum Liturgias perquiramus, deinde Scripta teſtimonia eorũ, qui Dei ordinatione Eccleſiæ aliquando præfuerunt, proferamus. Dionyſius Areopagita Gallorum Apoſtolus, & Pauli Diſcipulus in Theoria capitis de Sacramento Collectionis, qualis ſuo tempore ſanctorũ memoria celebrata fuerint explicat his verbis: ſanctorũ autem animorũ, quę poſt pacẽ adhibetur, prædicatio, eos qui piè ſanctèque vixerunt, atque ad vitę virtuti conſentaneæ perfectionem conſtanter peruenerunt, laudibus afficit, dum & nos ad beatiſsimam diuinamq; ſortem eorum ſimilitudine ac imitatione hortatur, & quaſi manu ducit, & illos vt viuos prædicat, non mortuos, vt Theologia ait, ſed vt eos, qui à morte ad vitam diuinam maximè migrauerunt. Sed animaduerte eos in ſacris etiam memorijs ineſſe, non quod more hominum diuina memoria in ea parte memoriæ, quæ viſa recipit ineſſe declaretur, ſed vt aliquis dicat pro DEI dignitate pretioſam immutabilemque in Deo eorum, qui diuinam ſpeciem perfectè prætulerunt, ſcientiam ſignificat, &c. Ex hoc Dionyſij teſtimonio manifeſtum eſt, primùm: quod illo etiam tempore Sacerdos in ſacrificio ad altare

Dionyſius.

Memoria ſanctorum tempore Apoſtolorum.

altare Deum precatus ſit, vt meminerit ſuorum ſanctorum, qui ipſi placuerint ab initio Mundi. Nam ne quis ea oratione Deo memoriam humano more tribui opinaretur, ideò qua ratione vox illa, memoriæ, in Deo intelligenda ſit, exponit & interpretetur: Nō enim hoc dicitur quod quaſi oblitus eorum ſit Deus memoria illi refricatur, ſed qa certa immutabiliſq; in Deo ipſorum ſit ſcientia ſignificatur. Deinde etiam quod Dionyſius tabularum duplicatarum quibus nomina Sanctorum inſcripta fuerunt eorundemq; nominum recitationis meminit, hoc ipſo teſtatur eodem etiam tempore, vti hodie fit, quorundam ſanctorum nominatim meminiſſe ſacrificum. Ex quibus duobus tertium ſequitur, ſcilicet, in quem finem hęc ſanctorum recitatio ac memoria ad altare illo tempore, celebrata fuerit: Nimirùm non ſolum vt ſancti propter virtutem ſuam laudibus celebrarentur, & aſtantes ad eorum ſimilitudinem imitationemq; excitarentur, verumetiam vt ipſorum cauſa Deus nobiſcum benignè ac miſericorditer ageret. Si enim vel ipſi ſancti ea recitatione laudem vel circumſtantes populi ad eorum imitationē tantummodo excitandi fuiſſent, certè ipſam recitationem ad Deum fieri eoſdemq; apud ipſum in memoriam reuocari neceſſe non fuiſſet,

Memoria ſanctorū cur olim celebrata.

fuiſſet. ſuffeciſſetque ad duos illos priores fines obtinendos, recitatio ad populum facta. Sed ad Deum facta recitatio, oſtendit includi in ea ipſa petitionē à Deo, quæ Sanctorum meritis inniti, duplici ratione intelligi poteſt. Nempè vt oratio noſtra ſiue petitio communionem ſanctorum, quæ orationes & merita tanquam ex vno illo Chriſti ſpiritu in omnia myſtici corporis eius membra emanantia, ac ſempiternā ſanctæ Charitatis vnionem nunquam ne quidem morte naturæ dirimendam in ipſo conſeruantia reſpiciat. Sicut in Baſilij Liturgia precamur; Non omnes de vno pane & calice participātes coadimarj inuicem in vnius ſpiritus ſancti communione, & nullum noſtrum ad iudicium aut condemnationem facias accipere ſanctum corpus & ſanguinem Chriſti tui: ſed vt inueniamus miſericordiam & gratiam in cœtu omnium ſanctorū qui à ſeculo tibi placuerunt, Auorum, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Doctorum, & omnes Spiritus iuſtorum, finem in fide habentium præcipiuè ſanctæ & intemeratæ benedictæ dominatricis noſtræ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ. S. Io. præcurſoris & Baptiſtæ, Sancti illius cuius memoriam facimus, & omnium ſanctorum

Baſilij liturgia.

tuorum

tuorum,quorum poſtulationibus viſita nos; Deinde etiam,vt quoniam omnium ſanctorum merita Dei ſunt dona (ſicut Cęleſtinus ad Carthaginenſe Concilium ſcribens teſtatur) recitatione meritorum illa; hoc eſt,donorum Dei, ipſum qui ea illis elargitus eſt, nobis reddamus beneficũ & liberalem, admonentes eum,quoniam ſanctos,qui & ipſi eiuſdem naturæ nobiſcum, fratres quoque & domeſticę fidei in hac peregrinatione fuerunt,tam multis gratiæ ſuæ muneribus beatos reddidit,nobis quoq; partem aliquam & ſocietatem cum illis hic in gratia,&illic in gloria donare dignetur.Solet enim liberalis & diues animus grata ante acceptorũ beneficiorum ſuorum commemorationẽ, ad ſimiles beneficentię actus libẽter allici. Ideò quæ ſanctis data ſunt,tanq̃ nobis vnius eiuſdemq; corporis membris donata, gratá cõmemorationẽ celebramus, & Deũ ex bona naturę humanę inclinatiõe metiẽtes, reſpectu ſanctis exhibitę beneficentiæ ſuæ,ꝙ benignè in commembris noſtris incepit,in nobis perfecturũ credimus atq; ſperamus. Sic

S.Iacobi Liturgia. in D.Iacobi Apoſtoli liturgia orauerunt veteres vt ſancti effecti aſſequamur partem & hæreditatem cum omnibus ſanctis, qui tibi ab æterno accepti fuerunt in lumine vultus tui per miſericordiã vngenti tui,&c.Quam-

obrem

obrem virtutes etiam Sanctorum à Dionyſio & alijs recitantur, vt quod piè & ſanctè vixerunt, & ad vitæ, quæ virtuti conſentanea eſt, perfectionem peruenerunt: qua recitatione dona Dei agnoſcimus & nos gratos Deo oſtendimus. Vnde etiam in quibuſdam Liturgijs offertur ſacrificium pro ſanctis, non vt ipſi à malo per id liberentur ſicut pro cęteris defunctis immolatur (iniuria enim eſt, inquit Auguſtinus ſerm. 17. de verbis Apoſtoli, pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari) ſed vt Deo omnium largitori munifico ſacrificiũ laudis pro ipſis perſoluatur. Vt in Græcorũ liturgia, quę, D. Chryſoſt adſcribitur, ſacerdos precatur: Offerimus tibi rationale hoc obſequiũ pro ijs qui in fide requieſcũt, maioribus, patribus, interueniẽtibus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Prędicatoribus, Euangeliſtis, martyribus, confeſſoribus, continentibus, & quouis ſpiritu, qui in fide conſummationem & perfectionẽ accepit: præcipue ſanctiſsima, impolluta ſupra omnem modum benedicta glorioſa domina noſtra deipara & ſemper virgine Maria, &c. Hac ratione intelligendæ ſunt orationes quæ in diuerſis liturgijs de ſanctis eorumq́; vel precibus vel meritis, vel interuentu, vel interceſsione leguntur. Vt in Baſilij quoque liturgia, qua

Sacrificium pro ſanctis, cur offertur.

Chryſoſtomi Liturgia.

qua Syri vtuntur, Sacerdos orat his verbis: Quia tu in vitam & mortem habes poteſtatem, dignos nos facito, vt eos commemoremus, qui indeà ſeculo placuerũt tibi: Patriarchas, Prophetas, Ioã. Baptiſtam, Stephanũ primũ Martyrem, ſanctamq́; genitricem, omneſq́; ſanctos: fac nos conſortes cum illis in Eccleſia primogenitorum tuorũ, &c. Aſsiduè ſupplices preces pro illis offerimus tibi, & in ipſa eorum commemoratione & interceſsione latentes, & per eos ad te accedere peragereq́; officium hoc ſacerdotale audentes, tibi laudem tribuimus, tibi gratias agimus, &c. In hac oratione Eccleſia per id, quòd conſortes nos cum ſanctis fieri atque in ipſa eorum commemoratione & interceſsione latere, perq́; eos ad Deum accedere, petit, non aliud magis quam meritis eorum à malo cuſtodiri & ſaluari precatur, conſortij nomine omnim bonorum participationẽ ſanctorumq́; communionem intelligẽs. Quòd vt euidens fiat, ac merita Sanctorum ſiue in hac ſiue altera illa vita ſint nobis, prodeſſe intelligamus, veterũ ſententias de ea re huc proferre non pigebit, Origenes hom. 10. in Num. ſic ſcribi: Quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus venerit, vt tolleret peccatum mundi, & morte ſua peccata noſtra deleret, nullus qui Chriſto credit, ignorat. Quomodo au-

Origenes.

do autē & filij eius auferant peccata Sanctorū, id eſt, Apoſtoli & Martyres, ſi poterimus ex ſcripturis diuinis, probare tentabimus. Audi primùm Paulū dicentē: libenter enim, inquit, expendā & expendar pro animabus veſtris. Et in alio loco: Ego enim iam immolor & tempus regreſsionis ſiue reſolutionis meæ inſtat. Pro his ergo quibus ſcribebat, expendi ſe & immolari dicit Apoſtolus. Hoſtia autem cum immolatur, ad hoc immolatur vt eorū ꝓ quibus iugulatur peccata purgētur. De Martyrib. autem ſcribit Ioānes Apoſtolus in Apocalypſi: Quia animæ, eorū qui iugulati ſunt propter nomen Domini Ieſu aſſiſtant altari: qui autem aſsiſtit altari, oſtenditur fungi ſacerdotis officio. Sacerdotis autem officium eſt, pro populi ſupplicare peccatis. Et in eodem lib. Hom. 24 in Num. Vide, inquit, ne forte ſicut Dominus & ſaluator noſter quaſi agnus ad occiſionē ductus, & in ſacrificium altaris oblatus peccatorum remiſsionem vniuerſo præſtitit muudo: ita fortaſsis cæterorum ſanctorum & iuſtorum ſanguis effuſus eſt, ad expiandum pro parte aliqua populum. Ac mox, cum Paulùm aliosq́ue ſanctos ſeſe ad iugulandum obtuliſſe docuiſſet, addit: Sed in his omnibus, inquit, vnus eſt agnus, qui totius mundi potuit aufferre peccatum: & ideò ceſſauerūt

2. Cor. 12.
2. Timoth. 4
Apoca. 6.

cæteræ hoſtiæ, quia talis hæc fuit hoſtia, vt vna ſola ſufficeret pro totius Mundi ſalute. Hæc ille. Ex quibus manifeſtum fit, aliorum meritis iuuari alios ac veniam conſequi, etſi non ſaluari, quod vni Chriſto ſeruatum eſt. Et hoc eſt quod Geneſ. 18. capite ſcribitur: Si decem iuſti Sodomis reperti fuiſſent, quod propter eos non fuerit Deus ciuitatem regionemq́ue deleturus. Sic etiam de hac vita defunctis patres idem teſtantur, quod ſcriptura de ijs qui in hac vita
Chryſoſt. deguntaſſerit. Chryſoſtomus, homil. 4. in Matth. Quoniam ſeipſos ad impetrandam populo veniam ſufficere non credunt, ad patrum MERITA confugiunt, ipſi verò ſi nihil amplius profitentur afferre, quam humiliatum Spiritum, ac dolore contritum. Et apertius adhuc in Geneſin ſcribens: Sæ-
Homil. 41. in Geneſ. 18. pe quando non eſt inuentus iuſtus in præſenti vita, propter defunctorum *VIRTVTEM*, viuentium Deus miſeretur & curam
Iſa 37 & Reg. 19. habet, vnde clamat dicens: Portegam ciuitatem hanc propter me & propter Dauid puerum meum. Quaſi dicat, Licet ipſi indigni ſint, & nullam ſalutis habeant occaſionem, verum quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſericordiam promptus ſum, propter me ipſum faciam, & propter puerum meum Dauid, qui antè hos annos è
vita

vita migrauit: Hic erit autor ſalutis ijs, qui ſua ſeſe perdiderunt deſidia Vidiſti domini miſericordiam? Quomodo eos, qui *VIRTVTE* pollét, toti multitudini oponit & repen-dit. Denique in Pſal. 50. hom. 2. ſcribens, ait: Hic Sanctus Dauid, non ſolum cum eſſet in corpore Deo placuit, ſed & poſt mortem ſuam viuis grande præſtitiſſe ſolatium inue-nitur. Contigit namq; Ezechię regi inimicas in temporibus Iudæorum gentes Ieroſoly-mam circumuallaſſe, & cum eſſet Ezechias iuſtus vir, rogauit DEVM, & proſtratus la-chrymis deprecabatur, vultionem de ad-uerſarijs poſtulans: venit ad eum Iſaias Pro-pheta, & dicit: Ne putaret ille quia iuſtitia ſua exauditus eſſet. Et certè iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requie-ſcens. Quid ergo dicit ei? Protegam hanc ci-uitatem propter me, & propter Dauid ſeruũ meum. Dauid mortuus aſt, & merita eius vigent. O rem admirandam, ò ineffabilem Dei clementiam; Homo mortuus viuo pa-trocinatur. Et iterum Homilia vigeſima ſe-ptima in Mathæum. Adeò poſt illa vulnera Dauid refulſit, ſic ſe à maculis abluit, ita mundum effecit animum, vt vel mortuus precantibus ſuccurreret.

Idem rurſus in ſermone de Iuuentio & Ma-ximo, ſub finē, ſcribit: Sicut milites vulnera,

quæ in prælijs ſibi inflicta ſunt, regi monſtrantes fidenter loquuntur, ita illi in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæq; voluerint apud regem cælorum impetrare poſſunt. Idem in Gen. 19. Hom. 43. ſcribens, oſtendit ſuo tempore fidem meritorum in ſanctis etiam in abuſum quodammodo abijſſe. Reprehendit enim eos, qui ipſi deſides in hac vita ſalutem ſuam nimiùm crediderint Sanctorum meritis: Quod ſi ipſi, inquit, negligentes fuerimus, & ſpem in illis ſolis collocauerimus noſtræ ſalutis, nihil amplius nobis prodeſt. Non quod infirmi ſunt iuſti ſed quia propter noſtram deſidiam noſipſos perdimus. Et in Mat. cap. 1. Hom. 5. Non igitur quaſi oſcitantes & deſides ex aliorũ meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidẽ maximam, orationes ſupplicationeſque Sanctorum, ſed tunc profecto cum nos ipſi quoque idipſum per pænitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus. Et in eundem Hom. 8. Quod ſi negligentes fuerimus ac deſides, nec per aliorum quidem merita ſaluari poſſumus. Baſilius quoque ſermone in Quadraginta Martyres: Beneficium hoc fratres chariſsimi, inquit, gratiamq; minimè deficientem, ac ſine inuidia ex Deo obtinemus, *VT PARATVM SIT NOBIS ET ECCLE-*

Baſilius.

ECCLESIAE PER HOS AVXILIVM

Hieronymus quoq; Dial.2.cõtra Pelagian. In multis Regibus, inquit, legimus de ſtirpe Dauid quod non ſuo merito, ſed Dauid Patris virtutibus cõſeruati ſunt. Idem in ſerm. cap.15. docet ſanctorum merita ad poſteros deſcendere, ſicut Dauid & cæterorum. Et in Thre.cap.2. Dei pietate, inquit, & patrum ſuorum merito Iudæi defendebantur, Et Quæſt. Hebræ. de ſacrificio Abrahæ. Abrahę, inquit, merito ſępè de anguſtijs liberatus eſt Iſraël. Sed audiamus etiam Auguſtinum de conſenſu Euangeliſtarum lib.1.cap.10. Credo inquit, quod pluribus locis ſimul Petrum & Paulum cum Chriſto pictos viderint (Ethnici) quia merita Pauli & Petri etiam propter eandem paſsionis diem celebrius & ſolennius Roma commendat. Idẽ Quęſt. ſuper Exod.cap.149. Cum merita noſtra nos grauant, ne diligamur à Deo, ſciamus nos illorum meritis releuari poſſe, quos Deus diligit. Et rurſus de cera pro mortuis gerenda, cap.16. & in Pſal.108. Deus ſuorum merita Martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximè duæ per eorũ memorias (quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti pro cuius illi confeſsione ſunt paſsi) mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate commendet. Rurſus idem

Hieronymus

Auguſti.

lib.20.cap.21.contra Fauſtum ſcribens: populus, inquit, Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandum imitationem, & vt meritis eorum conſocientur & orationibus adiuuentur. Et lib.21. de Ciuit. Dei cap.27. ſuper illud: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: Sancti homines, inquit, iuuant ſuffragio & meritis, vt ſaluentur per illos, qui alioqui miſericordiam non erant conſecuturi. Magnus quoq; Gregorius ille lib.5.in 1.Reg.capite.4. Aliorum, inquit, bono opere alij adiuuantur, ſicut ad peccantē Regem Salomonem à Domino dicitur. Quia non cuſtodiuiſti præcepta mea, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo, verumtamem in diebus tuis non faciam, *PROPTER DAVID PATREM TVVM.*

Gregorius.

Habes igitur in his, Iacobe, cui fundamento quibuſque Sacrarum ſcripturarum, ac eorum, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam paſcendam concredidit, teſtimonijs, Eccleſia nitatur atq; inſiſtat oratio, qua petit membra ſua alia aliorum cauſa ac meritis in omnibus vitæ huius actionibus ac paſsionibus protectionis diuinæ muniri auxilio. Fecerunt enim hoc veteris teſtamenti homines Moſes, Dauid, & alij. Idque non ſine magno

ſuo

ſuo commodo. Promittitq; Deus cùm inter hîc viuentes nullum reperit iuſtum, cuius reſpectu benignè cum reliquis agat ſe propter defunctorum virtutem nobis benefacere. Et quod promittit etiam præſtat. Nec patietur Eccleſia ſe vnquam ab hac fide in Dei opt. Max. beneficentiã, vllius hominis, nedum tuis vociferationibus deterreri, quã ſemel amplexa hactenus ſeruauit cõſtantiſſimè, & ſępè in maximis periculis ſuo commodo obſeruauit religioſiſsimè.

Sed ordine inſpiciendæ ſunt etiam obiectiones tuæ, quibus hanc fidem religionemque laboras ex Eccleſia ſuſtollere. Præcipit Chriſtus, inquis, cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: ꝙ debuimus facere, fecimus. Luc. 17. *Obiectionũ refutatio.* *Obiectio prima.*

Hîc te primũ compello, exiſtimeſúe quenquam Chriſtianorum eſſe, qui hæc verba aliquando dixerit, idque in veritate? Si eſt qui dixit: ſequitur eundem etiam omnia feciſſe quę pręcepta ſunt nobis: niſi enim hęc feciſſet, mẽtiretur cum diceret ſe feciſſe quæ debuit. At ſi fecit, parodoxõ tuum ſeptima tuo Art. dicentis nullum hominẽ vnquam potuiſſe ſeruare, quę deus pręcepit, hoc ipſo ſcripturę loco per tete adducto mendacij arguitur. Contraria enim ſunt, non poſſe ſeruare quæ Deus præcipit (quod tu dicis) & poſſe *Refutatio. Serui inutiles.*

Finitur lex Euangelica ſit lata.

ſeruare,ſeruaſſeq;,ſicut hoc exemplum docet. Deinde alterum quoque paradoxon tuorum Magiſtrorum de finibus promulgatæ Legis Euangelicæ per Chriſtum hoc ipſo Scripturæ loco confodis imprudens: Dicũt illi & ſcribunt præcepta Dei non eſſe data vt impleantur,ſed vt in ijs cognoſcatur peccatum,& humanarum virium imbecillitas. Contra Chriſtus hoc loco homines debitores eſſe oſtendit præceptorũ ſuorum. Quod debuimus facere fecimus. Sed hæc miſſa nunc faciamus. Certùm eſt autem Chriſtum nuſquam dixiſſe contraria ſibiq; pugnantia. Dixiſſet autem ſi hoc loco meritum bonorũ operum tolleret. Nam alibi meritum ijs operibus tribuit: Matt.5. Gaudete & exultate: Ecce merces veſtra copioſa eſt in cælis. Matt.10 Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ,mercedem Prophetæ accipiet,& qui recipit iuſtum,in nomine iuſti, mercedem accipiet. Et quicunq; potũ dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ,tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Matt.25. Iuſti ibunt in vitam æternam. Hinc Ioannes Apoſtolus ab ipſo edoctus ait: 1. Ioan.3. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Itaq; alius ſit ſenſus verborum Chriſti in Luca oportet. Cum enim dona Dei ſint ſine pænitentia, Rom.11. qui

mercedem promiſit,non fallet. Sanè nemo pius huic ſententiæ Chriſti aduerſatur: omnes etiam in omni opere bono confitemur nos ſeruos eſſe inutiles: imò ſi non dixerimus ſcimus quia veritas in nobis nõ eſt. Sed cui inutiles ſumus?Nobis? Minimè. Non enim inutilis eſt obedientia, ſeruitus, obſequiũ,per quę regnum cælorũ conſequimur, & cui ergo inutiles?Deo & Chriſto Ieſu ſeruatori noſtro.Huic certè (fatendũ enim eſt, & verè)nullum ex omnibus omnium hominim atque angelorum ſeruitutibus atq; opéribus lucrum accedit. Vnde omnes cũ Pſalmiſta meritò clamamus:Bonorum meorum non eges,Pſal.15. Ait enim Dominus: Non accipiam de domo tua vitulos,neq;de gregibus tuis hircos. Si eſuriero non dicam tibi: meus eſt enim orbis terrę,& plenitudo eius. Si quid tamen illius honori ac gloriæ impendimus, ſatis magno illi hoc ipſum conſtat. 1.Corinth.6.Empti eſtis pretio magno,nempè ſanguine Ieſu Chriſti quaſi agni immaculati,1.Pet.1.Etenim redemit nos Chriſtus vt à peccatis liberati,ſerui autem facti iuſtitiæ & Deo, habeamus fructum noſtrum in ſanctificationem, finem, vero vitam æternam, Rom.6. Vides ergo cui inutiles ſerui ſimus?Deo,non nobis. Et hoc ipſum ſequentia verba confirmant: Quod debuimus fa-

cere, fecimus, Luc 17. Iuſtitię enim hoc ratio poſtulat, vt illi obediamus & ſeruiamus, cuius ſumus ſerui, ſicut idem Apoſtolus eodem loco oſtendit. Serui ergo Chriſti facti, qui pro nobis & mortuus eſt & reſurexit, nó nobis ſed illi viuere debemus, qui nos morte liberauit, & reſurrectione ſua iuſtificauit 2. Cor. 5. & Rom. 4. Itaq; Chriſtus his verbis, Luc. 17. Serui inutiles ſumus, ſupercilium & ſuperbiam carnis & ſanguinis domare, & intentionem corrigere, non præmium tollere voluit. Sicut etiam Chryſoſtomus in eundem locum ſcribit: Non negat mercedem, inquit, bonis operibus, ſed docet ſeruũ non debere extolli vel gloriari, eò quod iuſſa ad amuſsim ſeruauerit, ſed ne in ſuperbiam intumeſcamus, ſed potius humiliemur. Sicut ſuprà etiam ex eodem Chryſoſtomo & Bernardo docuimus. Humilitate enim conſeruantur bona opera, ne pereant, amittuntur ſuperbia. In hanc eandem ſententiam Apoſtolus Rom. 11. Noli gloriari non tu radicem, ſed radix te portat. Noli altum ſapere, ſed time.

Chryſoſtomus.

Obiectio ſecunda.

Sad alteram etiam obiectionem audiamus: Si ex operibus ſalui ſumus, inquis. Ergo non ex gratia. Sed ſcriptura teſtatur nos gratia ſaluos eſſe. Itaq; non ex operibus ſiue meritis. Rom. 4. & 11. Epeſ. 2.

Facilis

Facilis eſt reſponſio. Loquitur enim Paulus de iuſtificatione & ſalute quam initio conuerſionis noſtræ ad Chriſtum conſequimur. quam Theologi primam ſeu præuenitem gratiam vocāt, ideò quod hac ipſa prę-ueniat nos manus Dei, & à perditionis maſſa ſegregans ad regnum fidei & ſalutis ſuę vocat, ſecundum beneplacitum propoſiti ſui. Epheſ.1.capite. Et ſi enim opera, quæ hanc primam gratiam iuſtificantem præcedunt, & merita congrui alicubi à Doctis dicuntur non iudicentur digna, vt Deus propter ea Infideli cuiquam primam gratiam impertiatur, tanquam meritis præmium reddens; credimus tamen Dei paternæ bonitati non eſſe inconueniens, voluntatem hominis, vnde opera iſta proficiſcuntur non prorſus aſpernari atque reijcere, quemadmodum in Cornelij etiamtum infidelis eleemoſynis & orationibus, quæ ſurſum in memoriam & conſpectū Dei aſcenderunt, videre eſt. Act. 10. Verùm ne quis propterea ex meriti vocabulo Pelagianiſmi occaſionē arripiat erroremq; imbibat, Apoſtolus vocationē noſtrā ad ſalutē non prçcedētibus operibus ſeu meritis deberi, ſed ex gratia in nos Dei proficiſci ſupra adductionis locis præcauet. Gratia inquit, ſaluati eſtis per fidē, nō ex operibus ne quis glorietur. Epheſ.2. Sic. Tit.3. Non ex operi-

R·futatio. Gratia ſaluati.

operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos non fecit. Loqui aũt Apoſtolũ de initio ſalutis, & operibus primã iuſtificationem pręcedentibus, ipſe docet vtroq; loco per te adducto. Nam ad Epheſios.2.cap. ſcribens præmiſit, vnde & ex quo vitę ſtatu ſaluati ſimus, ea quã prædicat, gratia: cum eſſemus mortui peccatis, inquiens, conuiuificauit nos Chriſto. Et initio eiuſdẽ capitis: Conuiuificauit vos cũ eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principẽ poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ facientes voluntatẽ carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. Quæ ſanè non niſi de ſtatu hominis ante ſuſceptam fidem Chriſti poſſunt intelligi. Nõ enim ij qui in fide Chriſti ſunt filij iræ Dei ſunt. Eundem ad modum idem Apoſtolus ad Romanos ſcribens 3.cap. non de quibuſlibet operibus loquitur, ſed de operibus Legis: Ex operibus Legis, inquit, non iuſtificatur omnis caro coram illo. Hęc verò Legis opera antè ſuſceptam fidem Chriſti facta erant, per eos qui poſtea crediderunt poſt fidem ſuſceptã facta non erant.

Quando iam antea pleno Apoſtolorũ Concilio ea opera Legis abrogata erant, Act.15. Diſputat igitur Apoſtolus contra eos qui legem Legiſq; atq; alia opera tanquam ad ſalutem vel neceſſaria, vel quicquam facientia, cum Euangelio ſeruanda arbitrabantur; cõtra fidei & Charitatis opera non diſputat. Nam qui his Locis gratiam iuſtificantẽ tantopere prędicat, idem alibi de mercede bonorum operum ſententiã ſuam pronunciat. 1. Timoth.5. Dignus eſt operarius mercede ſua, Et 1. Corinth.3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborẽ. Et mox vnde opera digna mercede iudicentur oſtendens, ſubdit: Dei enim ſumus adiutores. Deus enim & Spiritus Chriſti in nobis loquens Matt.10. 2. Corinth.13. & operãs Pſal.67. Galath.2. cauſa eſt, vnde omnim dictorum factorumq; Chriſtiani hominis dignitas deſcẽdit. Hinc idem Apoſtolus de ſe ipſo teſtatur 1. Cor.15. Gratia Dei ſum id qđ ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. non aũt ego, ſed gratia Dei mecũ. Et 2. Tim.4. Bonũ certamen certaui, curſum conſummaui, fidẽ ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa, iuſtus iudex: non ſolum mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentum eius. Ex his manifeſtum

Ex his manifeſtum eſt ergo, Paulum bonis piorum operibus mercedem dari affirmare, ſeq; ipſum ſuorum certaminum atq; laborũ mercedem à Chriſto expectare, ac cum pſalmiſta dicere: Pſal. 118. Particeps ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Et ſi alicubi operibus mercedem præmiumúe derogat, loqui eum de operibus fidei CHRISTI præcedentibus.

Itaque ſicut diſtinctè ſcripſit Paulus de operibus & operantibus, ita etiam diſtinctè ex eodem loquendum eſt. Ad Infideles loqués, ait: Non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis Caro. Et omne quod non eſt ex fide peccatum eſt. Ad fideles verò loquens, aliter ait: Operamini bonũ ad omnes. Hinc ſancti patres noſtri de operibus fidem conuerſionemq́; pręcedentibus cum Paulo docuerunt: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Auguſtinus Tract. in Ioan. 86. capite *Auguſtinus* Quid inquit, eſt boni operis ante fidem? Quo in loco præcedentia fidem opera ne quidem vocare bona dignatur, quamlibet rectè laudabiliterq́ue facta. Et libro de præ deſt. capite 10. Non ſunt bona opera, inquit, niſi ex fide. Nemo computet bona opera ſua antè fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat, Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Crede in

eum,

eum, qui iuſtificat impium, vt poſsint & opera tua eſſe bona opera. Hinc Chryſoſtomus de fide & Lege naturæ, Cornelij opera bona quidem vocat & admiranda, ſed mortua tamen, eò quod fidem non haberent. Mittit igitur, inquit, Deus Angelum operibus ad acquiranda præmia miniſtrantem, ita vt benè certando ob fidem coronari poſsit. &c. Hinc Auguſtinus Apoſtolo conſentiens, de fide & operibus capite 14. dicit: Sciat ſe quiſque per fidem iuſtificari etiamſi Legis opera non præceſserint. ſequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum. Quare factum eſt vt etiã in Concilio Tridentino noſtra memoria celebrata iuſtificationem pręcedentia opera bona, diſpoſitiones præparationesúe ad gratiam & nõ cuiuſumq; generis merita vocare placuit. Sicut verè de prima iuſtificatiõe illa, dicitur ab Apoſtolo: Si ex gratia, iam non ex operibus, ne quis glorietur. Proinde Iacobe, cũ Apoſtolus de prima iuſtifitatiõe loquitur: tu vero de ſecunda (dictũ eſt enim Apocal. 22. Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc) ſomnium tuum dicis, nihilq́ue ad derogandum bonis operibus præmium hac etiam obiectione, efficis: niſi quod pios eò magis admones vt in ſeipſos diligenter (ſecundũ Apoſtoli Iohannis Epiſtola 2. cohortationem anim-

Chryſoſtomus.

Auguſti.

Concil. Trident.

animaduertant,ne perdant quę operati ſunt ſed vt mercedem plenam accipiant.

Obiectio tertia. At inquis, ſancti haud dubiè orare nouerunt id,quod in oratione Dominica ſcriptũ eſt:Dimitte nobis debita noſtra: Si pro dimittendis debitis orauerunt,nullum meritũ habuerunt.Debitum enim & merces ſibi repugnant.

Refutatio. Remiſsio debiti, Eiuſdem farinę hæc cum ſuperiore obiectione eſt. Quis vnquam Catholicus dixit aut ſcripſit ſanctos ac iuſtos non habere peccatum?Hoc enim dicere, mentiri eſſet.1.Ioan,1.Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.Iob.15.Quid eſt homo, vt immaculatus ſit,& vt iuſtus appareat natus de muliere?Sed inter peccatum & peccatum magna differentia eſt. Non enim omne, ſed quoddam peccatum eſt ad mortem, 1.Ioan.5. Si ergo in ſanctis peccatum fuit, certè non ad mortem fuit:ſed de eo genere,ſine quo non poteſt eſſe mortalis infirmitas. Quamobrē hoc ipſo beati ſunt,quòd deprecando ab eo ipſo peccato ſeſe exuerunt:quòd non, quales hodie multi ſunt, tàm ſecuri de ſua ſalute videri voluerunt: quòd etiam minima magnopere timuerunt: quòd cũ magno timore & tremore ſalutem ſuam procurauerunt, Philip.2.Quemadmodum in Dauid Pſal.18. præfigu-

præfiguratum fuit,dicente: Delicta quis intelligit,ab occultis meis munda me Domine,& ab alienis parce ſeruo tuo. Ideóne verò inter ipſos ac DEVM de gratia ac beneplacito in ſe Dei actum fuit? Dauid certè enormiter in mortalibus lapſus fuerant,adulterando, occidendo, numerando. Verumtamen idem ille lapſus occaſio illi maioris timoris feruentioriſque dilectionis in DEVM fuit, ex quo poſt velut Sol poſt deliquium nitidior euaſit, atque admirabilior factus fuit. Vnde & cecinit Pſal. 88. Miſericordias Domini in æternum cantabo Vt verùm inueniatur quod in Paulò legimus, Romano.8. Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vſque adeò, vt ſi qui horum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis Deus faciat in bonum proficere. Vnde Prouerb.24.ſepties in die cadet iuſtus & reſurget. Et Pſal. 36. Iuſtus cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.
Haud dubiè & Abraham & Iſaac & Iacob in nonnullis delinquerunt, verumtamen gratiam Dei & operum ſuorum merita non ſtatim amiſerunt, imò ne nomen quidem iuſtorum perdiderunt. Sicut de Abraham clarè dictum eſt, Geneſ.22.per memetipſum iuraui,dicit Dominus. Quia feciſti hanc

rem,& non pepercisti filio tuo, benedicam tibi. Et antea Geneſ.15.cap. Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Nuſquam vero ſcriptum eſt, quia nunquam cadet iuſtus, ſed ſi ceciderit non collidetur, ſed reſurget: quia Dominus ſupponit manum ſuam. Quia ergo dicitur ſanctos pro remiſsione debutorum ſuorum oraſſe, intelligimus de venialibus, cum quibus gratia dei in nobis conſtare poteſt. Sicut hiſce exemplis Abrahæ & aliorum commonſtratũ eſt. Quòd ſi de mortalibus intelligendum quis dixerit, conſideret ſanctos in commune orare, nõ pro ſe tantum, ſed pro omnibus myſtici corporis Chriſti membris in genere, ſicut ipſa orationes qualitas efflagitare videtur, in qua nihil in ſingulari, ſed totum in plurali pro omnibus poſtulatur. Quotquot enim vnquã ſancti fuerunt, ſeſe corporis Chriſti membra agnouerunt & confeſsi ſunt: propterea & in cõmune conſuluerunt, omniũ curã habentes, & Apoſtoli præceptũ adimplentes, Gall. 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis Legem Chriſti. Et Iacob. 5. Orate pro inuicẽ vt ſaluemini. Adimplendo verò hoc Apoſtoli prçcepto, hîc inceperunt, quod modo in cælis perpetuò faciunt. De quo ſequẽti dicetur Articulo. Quanquam etiam alius

huius

huius petitionis ſenſus efficitur, ſi verba quę ſequuntur coniuncta proferantur: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Filius etenim Dei patris nomine, fœdus pepigerat nobiſcum, ex pacto promittens dimiſsurũ ſe nobis, ſi nos quoq; dimitteremus alijs. Mat. 6.18. capite. Marc. 11. Luc. 6. Certi itaq; ſancti ex teſtimonio conſcientiæ ſuæ, quod ſuis debitoribus ex animo dimiſiſſẽt, rogãt ſibi quoq; dimitti: non tàm ſuorum delictorum (ſi quę erant) remiſsionem, quam Dei promiſsionis veritatem præſtolantes: vt quoniã ipſi feciſſent, quę Chriſtus præcepiſſet, ipſe quoq; pręſtaret, quod orantibus daturum promiſiſſet, vt iuſtificaretur in ſermonibus ſuis, & vinceret cum iudicaret. Sed vide obſecro abſurditatem conſequentiæ: Si merita eorum qui ipſi fortè non ab omni peccato liberi fuerunt alijs ſuffragari nequeuunt, ſequetur etiam ne orare quidem alios pro alijs poſſe: cum omnibus incumbat, vt pro ſeſe quiſquam DEVM exoret: Quod ſi verum eſt, fruſtra CHRISTVS in commune pręcepit orandum, ſine cauſa de portandis mutuo oneribus, deq; inuicen orando pręceperunt Apoſtoli Galath. 6. Iacob. 5. Illud verò iam nimis craſſè contra S. Scripturas dictum eſt, pręſertim à Theologo, quod debitũ ꝑ quo
 dimit-

dimittendo Sancti Deum orauerunt, interpretatur impoſsibilitatem implendæ Legis. cum ipſe autor Legis teſtatur Matth. 11. iugum ſuum ſuaue & onus leue eſſe. Et Apoſtolus eius 1. Ioan. 5. clamat, quod mandata Chriſti grauia non ſint, Rurſus ipſe Chriſtus Marc. 9. Credēti omnia poſsibilia eſſe. Cuius rei ſe Apoſtolus exemplar exhibet, Philip. 4. Omnia, inquiens, poſſum in eo qui me confortat. Sicut & Dauid olim Pſal. 118. Seruaui mandata tua Domine, & cuſtodiui Legem tuam. Et de Zacharia atq; coniuge eius Elizabeth. Luc. 1. teſtimonium extet, ambos fuiſſe iuſtos coram Deo, ambulaſſeque in omnibus mādatis & iuſtificationibus domini ſine querela.

Obiectio quarta. Quarta obiecto tandem procedit. Scriptum eſt in Symbolo: Crede remiſsionem peccatorum, hoc eſt condonationem. Si ſancti quicquam meriti eſſent ſatiſfactio peccatorum diceretur. Tùm etiam Paulus Philp. 3. dicit probitatem ſe ſuam dicere ſtercora & detrimentum, vt Chriſtum lucrifaciat.

Refutatio. Primùm remiſsionem in Eccleſia Catholica credere, eſt ſecundum normá fidei credere. Sed quo modo hanc remiſsionem peccatorum conſequamur ac applicemus nobis, hîc non explicatur. Infantes in Baptiſmo regenerationes originalis peccati remiſsionem

nem conſequuntur, ſine ſatisfactione, eo quod liberi arbitrij quod clauſum ac latens in ipſis eſt, vſum non habent. Adulti quoq; eandem remiſsionem per idẽ lauacrum vrgente mortis articulo paratam habent. Excuſante eos ineuitabili neceſsitate vbi hæc neceſsitas non eſt, ibi alia herba eiuſmodi peccatorum vulneribus medendis adhibenda eſt, ſine qua veluti præſenti medicamine, nullum id genus animę mortale vulnus ſanatur: μετάνοιαν dico. Etenim remiſsio peccatorum ſine pręcedenti pęnitentia in S. Literis nequit intelligi, ſiue poſt ſiue ante Baptiſmum. Nam quod etiam ante Baptiſmum pęnitentia in ſaluandis exigitur, ipſe Chriſtus ſeruator teſtatus eſt, Matt. 4. Pænitentiam agite, inquit, appropinquabit enim regnum Dei. Cuius pulcherrimũ extat exemplum, Act. 2. cap. vbi interrogantibus hominibus: quid faciendum eſſet; reſpondit illis Petrus, vt pænitentiam agerent, & Baptizaretur vnuſquiſque in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, Et quidem hij nondum regenerati erant, ad quos Chriſti & Apoſtoli ſermo factus eſt, vt pęnitentiã agerent. Sic etiam Act. 5. Petrus in eandem ſententiam concionatur de Chriſto: Hunc, inquit, principem & ſaluatorem Deus exaltauit dextera ſua, ad dandam pænitentiam

Iſraeli,& remiſsionem peccatorum. Audis hîc quoque remiſsionem peccatorum, ſed exigitur antè in adultis pænitentia. Quòd ſi antè Baptiſma pænitentia, exigitur in ijs, qui remiſsionem peccatorum deſiderant, quantò magis eadem præſtanda erit ſuſcepto lauacro relapſis in peccata, per quæ nouiſsima hominis deteriora fiunt prioribus? 2. Pet. 2. capite. Petrus, Magdalena, Zachęus, remiſsionem peccatorum adepti ſunt, ſed non ſine prǫeunte pænitentia. Petrus enim amarè fleuit. Matth. 26. capite, Magdalena ſimiliter, Luc. 7. capite Zachæus ſua diuiſit pauperibus, Luc. 19. Sed & Latro pænitentiam præ ſe tulit in patibulo, confitens primùm peccatum ſuum, deinde & Chriſtum Dominum ſuum. Luc. 23. Non nego equidem opera pęnitentię noſtrę ſine Chriſti ſeruatoris ſanguine minora eſſe, quam vt propterea remittantur nobis peccata: Sed quis Deo contradicere auſit, quòd pro ſua benignitate, vt qui in Chriſtũ Baptizati, Chriſtũ induimus. Chriſtiq; membra facti ſumus, cõtritioni atq; pro peccatis ſuſcepto dolore ſuum quoq; locum in remittendis delictis cõcedit? Sicut olim in Ezechiele 18. Pſalmo. 11. 50. & 101. teſtatur. Peccauerat Achab. & iam per Eliam Prophetam pæna illi pro peccatis denuntiata erat. Sed pænitentiam Achab quan-

quantum DEVS delectatus fuerit, verba eius ad Eliam manifeſtāt.3.Reg.21.cap. Non enim tempus aut ſimiles pænitentiæ circumſtantias reſpicit Deus, ſed cordis compunctionem & gemitus. Quod ergo ſatisfactionem ridet Faber, non ipſius eſt inuentum, aut ab eo primùm in Germania diſſeminata Zizania. Fecerunt hoc antè eum, & cum eo multi alij, omnem pro commiſsis eliminantes ſatisfactionem, ſufficere dictitantes paululum contritionis, & nouæ vitæ inchoationem: de reliquis Deo curam eſſe. Quibus ſi quis opponat Eccleſiæ doctrinam quam Auguſtinus de pænit.medicina cap.5. tradit videret quantum iſti homines aberrant à vera Catholicæ Eccleſiæ ſententia. *Auguſt.*
Non ſufficit, inquit, mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de his quæ iam facta ſunt, ſatisfiat domino per pænitentiæ dolorem, & humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus ieiunijs & elemoſynis
Et Chryſoſtomus Homilia quarta de pænitentia: Pænitentiam, inquit, exhibuit Dauid, ita dicens: lauabo per ſingulas noctes lectum meum: & lachrymis meis ſtratum meum rigabo: & olim perpetratum peccatum quaſi nuper accidiſſet, lugebat & dicebat: Vide humilitatem meam *Chryſoſt.*

& laborem meum, & dimitte omnia peccata mea, hoc eſt pœnas peccatorũ, quorum culpa remiſſa erat. Et Cyprianus ſerm. 5. de lapſis: Agite pænitentiam plenam doloribus & lamentis animi, probate mæſticiam: nec vos commoueat quorundam aut error improuidus, aut ſtupor vanus: Qui cum teneantur in tam graui crimine, percuſsi ſunt animi cęcitate, vt peccata cognoſcant nec plangant. Hîc ſi denuò obijcias, etſi præter nouam vitam etiam alia opera ad dolendum peccata requirantur, non poſſe cuiuſquam ſancti merita in pœnitentiam connumerari: cõſiderato tria genera operum pænitentiæ ſeu ſatiſfactionis eſſe: quibus Deo pro commiſsis ſatisfieri dicimus; nempe orationem, ieiunium, & eleemoſinam. Si ergo demonſtrare hîc poteſt, neminem in hac vita orando, ieiunando, ac eleemoſinas largiendo pro quopiam quicquam efficere poſſe, ſiue ad declinandum malum, ſiue etiam ad conſequendum boni quippiam; fatebor te aliquid poſſe ac noſſe, quòd neque Eccleſia Catholica, neque ſcriptura Sancta hactenus nouit. Nam. Scripturæ verbis Eccleſia docuit ſemper, docetque etiamnum tribus illis pęnitentiæ operibus alios alijs prodeſſe. Nam quod ad orationem attinet, Iacobus præcipit cap. 5. Orate pro inuicem vt ſalua-

Cyprianus.

Pænitentiæ opera tri- plicia.

Oratio.

ſaluemini. Et Exod.32. capite orat pro populo Moſes & indulgentiam à Deo impetrat. Sed & ieiunare alios pro alijs docent S. Literæ Ioel.1.&.2. Daniel.9. Quid enim in Ioele lactentes infantes commiſerunt, vt pro ſe ieiunare neceſſe habeant? quia ſanè vt ieiunent in commune omnibus præcipitur. Et Daniel pro vniuerſo Iſraël ieiunauit. Quin in Iona etiam iumenta cum hominibus, & fortè etiam pro hominibus ieiunant, quæ non peccauerunt. Taceo interim quod ipſe CHRISTVS docet Matth.18. capite orando & ieiunando non modo peccatum, ſed etiam Dæmonem autorem peccati fugari. De eleemoſyna ſimilis eſt ratio. De qua Tob.4. capite. Daniel.4. capite & Luc.11. capite ſcribitur. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda mundis. Sed non modo ijs qui faciunt eleemoſynam prodeſſe, verum etiam alijs propter eum qui facit, oſtenditur Cornelij exemplo Act.10. capite Aſcendens enim in cælum eleemoſyna eius cunctæ ipſius familiæ commodat ad æternam ſalutem. Et quid pietas illa mulieris Sunamitidę in Heliſęum, cum hoſpitio eum ſuſcipit, poſito lectulo, ſella, menſa, candelabro. niſi eleemoſyna fuit? Verum hæc ipſa pietas non vni mulieri, ſed & filio profuit, & alijs. Itaque hæc tria pænitentiæ bona opera

Ieiunium.

Eleemoſyna

proſunt etiam alijs. Atque idem iudicium de alijs etiam pijs operibus eſt. Facit enim ſocietas & coniunctio membrorum vnius corporis Chriſti myſtici, vt vno membro patiente, compatiantur & alia membra 1. Corinth. 12. capite. Ipſe Dominus & ſeruator ac caput noſtrum Ieſus CHRISTVS quotidie Eccleſiam ſuam mundat, adornat in ſtau ratque in hoc templo corporis ſui: quomodo ergo accuſari poſſent nobiliora membra eiuſdem, ſi non & ipſi imbecilliorum imperfectione afficerentur. Certè qui reliquorum membrornm infirmitatibus non tangitur, nec afficitur, ſiue hic viuat, ſiue alibi, de eo auſim pronunciare quod viuum huius corporis Chriſti membrum non ſit.

Stercora Legis Moſaicæ: Sed hoc iam alterum ingenio tuo haud abſonum ſtratagema eſt, quod Paulum nolentem etiam & repugnantem in tuam conaris pertrahere ſententiam Philip. 3. quaſi ad nihil aliud ſcripſerit ſanctiſsimus & Dei ſecretorum conſcius vir, niſi vt tuæ ſe operimentum præbeat nequitiæ. Minimè verò, hic inquit; Non ſum loquutus de Chriſtianę Legis operibus, quæ iam porrò ſectari per Domini Ieſu gratiam propoſitum eſt: ſed de iuſtitia ſeu Operibus Legis, quam in Lege me habere aliquando rebar. Etenim ad meam

meam ipſius Epiſtolam prouoco, in ea loquor de Legis operibus, vt ſunt circumciſio in carne, genus & origo nominis Beniamin, Iudaicę conſuetudines, & vita, perſequutio Eccleſiæ Dei, iuſtitia Legis in genere ſine fide: quæ omnia arbitratus eſſe lucrum: Verũ enim verò per gratiam Dei ſegregatus ab ea fide vitæque genere (quam falſo arbitrabar Deo placere) in Euangelium Ieſu Chriſti, omnia illa, quæ magni faciebam, nunc vt ſtercora & detrimenta proijcio, pedibusque protero: conſtituens iam non Legis ſed Euangelij iuſtitiam veram illam & ſaluificam in Chriſto Ieſu. Vide ergo Paulum hîc, ſicut in omnibus alijs locis, de operibus Legis Moſaicę loqui, nempè eſſe illa impedimenta veræ iuſtitiæ, quæ coram Deo valet. indignaque atque vt ſtercora Euangelij prædicatori æſtimanda. Cuius ſe hîc exemplar proponit. Hîc ſe quiſqnam Euangelij opera legis operibus æqualia dicere præſumpſerit, atque ideò illa ſicut hæc reijcere reijcienda úe eſſe docere auſus fuerit: hunc certè ſimilem & Reipublice Chriſtiane falſarijs magis pernicioſum rectè dixerimus, qui monetam bonam iniqua permutant. Hic dæmon ille qui ſe in angelum lucis transformauit, ponens Lucem ſicut tenebras. Iſa. 5. capite.

Etenim

Etenim hac atque ſimilibus permutationibus imaginem cum veritate omnis Chriſtianæ virtutis multorum perdiderunt animæ, adeóque aurum illud Euangelicæ veritatis in ſcoriam vilem abijt, in omni ſtatu Chriſtianorũ, vt ſi Paulus ſi quis alius è cælo modo ad nos deſcenderet, ignotas facies, corda obſita malis pro ſuis non agnoſceret. Et merito id quidem. diuinæ mentis ſic dictante Iuſtitia, vt qui Chriſtianarum virtutum honeſtarumque actionum detrahunt meritis, ad omnem ipſi etiam virtutem reddantur inhabiles ac deſides, quo quod iniuſtè negant in alijs, iuſtè denegetur etiam ipſis, excluſiq; à virtutum conſortio, ſecludantur etiam à virtutum merito.

ARTICVLVS OCTAVVS DE SANCTORVM INTERceſsione.

SVperiori connectitur hic Articulus, quia natura illi coniunctus eſt, vt enim illic de ſanctorũ meritis, quibus tanquam nobiliorũ membrorum in vno corpore ſocietate reliqua imperfectiora, nos adiuuari confidimus, dictum eſt, ita in hoc porrò de eorundem precibus, interceſsione, interuentuque agemus. vt cum conſtiterit quibus rationibus

bus Eccleſia militans triumphantis opem implorans innitatur, dolos fabricantis reſpondeatur obiectionibus. Eccleſia enim per ſuum miniſtrum ad altare in tremendis miniſterijs Deum implorat, vt cum meritis tùm precibus quoque eorum concedat vt in omnibus pretectionis ſuæ muniamur auxilio: Idque per CHRISTVM Dominum noſtrum.

Oratio Eccleſiæ ſanctorum interceſſionem implorantis.

Piincipiò ergo Lector admonendus eſt, quicunque Sanctorum interceſsionem ad Deũ inuocationemq́; noſtram ad ipſos tanquam Chriſtianis indiguam reijcit aut irridet, eum, iam olim hæreticum declaratum eſſe ab Eccleſia Catholica. Nam primus Baſilides, vel vt alij tradũt Euſtachius fuit, quos ſequuti Vigilantius in Gallijs, Felix olim, & hodie alij in Germania. Et felix quidã magni tempore Caroli Francofurtenſis concilij autoritate hęreticus declaratus, Vigilantius ab Hieronymo viro Sancto ac grauiſsimo Epiſt. 68. erroris conuictus eſt. Bernardus quoq; in Cantica ſerm. 66. de ſuis temporibus teſtatur, Catholicos ſanctorũ ſuffragia poſtulantes irriſos fuiſſe ab hęreticis. Hęretici itaq; ſunt qui Sanctorũ interceſsionem inuocationemq́; irrident. Contra Nicænum Concilium ſecundum, doctrinã de Sanctorum culti, recipit. Quoniam ergo hęreſeon

Iacobi Maioris.

Baſilides hæreticus.

Euſtachius hæreticus.

Vigilant. & Felix.

Concil. Nicænum.

errorum-

errorumque principia demonſtraſſe, conuiciſſe eſt, non ignoro qui cum mihi hoc loco negotium ſit, cum ſanctorum in Eccleſia dei interceſsionem inuocationemque aduerſum te Iacobe, aſtruendam defendamque ſumpſerim. Principiò igitur quòd Sancti in Cælo ſiue triumphans Eccleſia pro nobis in terra ſeu militante Eccleſia ſoliciti ſint atque orent, tu ipſe, ne nega, Vormatiæ Vangionum vrbe cum tuis Magiſtris tua præſentia ac propriæ manus ſcriptura confeſſus es & confirmaſti. Teſtati enim illic eſtis, vos id ſcire: Nec mea modo refert vnde id ſciatis, ſicut ne hoc quidem, quod ſcitis, cui ſatis eſt, quia vniuerſa Eccleſia hoc credit, per ſuaſum habere, quod rectè ita credat.

Colloquium Vormatiæ. Anno 1557.

Neque enim hoc credens & confitens, diuerſum à Sacra Scriptura ſentit. In Apocalipſi enim Ioannes capite. 5. Vidit quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores qui ceciderunt coram agno, habere ſingulos citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Et deinde capite octauo iterum vidit angelum ſtantem antè altare, habentem thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt antè thronum Dei: Aſcendiſſeque fumum incenſo-

Sāctorum interceſſio Sanctis Scripturis aſtruitur.

cenſorum de orationibus ſanctorum de manè Angeli coram Deo.

Ad hæc 2. Machab. 15. capite. Onias ſummus olim Sacerdos cum Hieremia Propheta defuncto iam ex hac vita extenſis atque ad orandum compoſitis manibus Iudæ Machabęo apparent, vterque orans, vterque ad DEVM pro Iudaico populo intercedens, quorum ille de hoc teſtatus in hæc verba loquitur: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël. Hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias Propheta. Etſi autem viſio hæc non hiſtoria eſt, ipſa tamen narratio Sanctorum interceſsioni teſtimonium reddit, creditam eam etiam ante CHRISTVM apud Iudæos fuiſſe. Qua ratione enim qui tantis laboribus Legem defendebat, cõtra legem vel ipſe quicquam crediďiſſet ſperaſſetúe, vel alijs credendi ſperandiúe anſam præbuiſſet? Aut quomodo Machabæi inſomnijs nocturniſúe viſionibus pro Legis defenſione contra Legem ſeſe armari inducique ſuſtinuiſſent? Niſi iam tùm creditum ab omnibus fuiſſent ſanctos in cælo noſtri cura tangi, noſtraſque res precibus interuentuque ſuo apud communem Deum iuuare? Sed libri, inquies, Machabæorum non ſunt in Canone Sacrorum veteris Teſtamenti librorum.

At ab Eccleſia ijdem recepti ſunt, quòd nobis ſatis eſt, & antè nos veteres ex iiſdem teſtimonia in probationem ſui propoſiti ſumpſerunt. Quòd ſi ideò non credendum ijs eſſet quia ab Iudæis non ſunt recepti, ne quidem nouo Teſtamento credendum erit, quoniam neque hos ſuſceperunt pro authenticis. In Hieremia quoque hæc Eccleſiæ fides teſtimonium habet. Nam cum per 14. caput integrum, iram ſuam indignationemq; Dominus aduerſus Iſraël Prophetæ manifeſtaſſet, vetaſſetq; ne oraret in bonum pro populo, ac ne ieiunia quidẽ eorũ ſuſcepturum nec holocauſta nec victimas nihilominus tamẽ Propheta tanq̃ verus Paſtor dolore vehemẽti pro ſalute ipſorũ ad Deũ oraret, tandẽ) quod ſequẽti 15. cap. ſcribitur) ne, ſi etiam ipſe Moſes ipſeq; Samuel, pridẽ defuncti, coram me ſteterint, inquit dominus anima mea ad populũ iſtũ erit. Quo ſanè loco ſanctos etiã in altera vita pro nobis orare Deus ipſe teſtatũ facit, ac defunctorũ in altera illa beata vita orationes pluris ſæpe fieri apud ſe, quam in terra degentium. Eſt enim comparatio inter viuentem hîc Ieremiã, & Moſen Samuelemq; in altera: quando edidit, tantum abeſſe vt propter Ieremię preces quicquam ab ira ſit remiſſurus, vt ne quipropter Moſen & Samuelem id ſit facturus ſed

Vide Concil. Carthag 3. cap 47. Hieron in eundẽ lib. prologo. 2 Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei cap 56. Rurſus Hieron. in dialogo contra Pelagij hæreſi 1. lib. 2. Epiſt. 16. ubi teſtatur Ioſephum Machab. libros ſcripſiſſe.

Sed & Baruch 3. cap. orat Propheta, & ſuis eorũ etiam qui ante deceſſerant preces precibus coniungit: Domine, inquit, Deus omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael & filiorũ ipſorum. Hæc teſtimonia plana & aperta ſunt. Porrò & Angeli Deum pro ijs qui in hac vita degunt precati eorumq; preces Deo offerre exemplis oſtenditur. Tob. 12. Raphael Tobiæ loquitur: Quando orabas, &c. ego obtuli orationem tuam Domino. Zachariæ 1. angelus orat dicens: Domine exercituum, vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es. Et Act. 10. angelus teſtatur, orationes Cornelij aſcendiſſe in memoriam ad Deũ. Iam cùm Chriſtus Luc. 20. teſtatur, angelis nos æquales fore in altera illa vita, quæſo te, qua in facultate æqualitatem hanc conſiſtere exiſtimes? Intellectúne an verò voluntate, aut vero vtroque? Hactenus ſanè ſanctiſsimi doctores æqualitatem hãc facultatem quæ ad interpellandũ pro nobis, Sanctis ſufficiat intellexerunt. Quo in ſenſu etiamnum pij libenter acquieſcimus. Etenim quod ad voluntatem eorum attinet, charitatem eos, qui in myſtico Eccleſiæ corpore ſemel nobis dilectionis vinculo verè coniuncti ſunt, etiam in altera vita erga nos integram ſeruare ſi

A voluñtate erga nos Sanctorum.

negaueris, Apoſtolica os tuum arguet authoritas, dicés: Charitas nunquam excidit, 1. Corint. 13. Quis autem dicat Charitatem erga nos Sanctis in altera vita ineſſe, & Charitatis actus abeſſe? niſi qui fortè ignem alicubi inuenerit ſine calore ac luce. Intellectus etiam cognitio per incrementa augebitur. Nunc enim cognoſco ex parte, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 13. tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Quam intellectus perfectionem comparatione puerilis atque virilis ætatis idem Apoſtolus manifeſtat. De qua ſuo loco poſtea.

Ab intellectus Sanctorũ perſpicacitate.

Quin dæmones mali nos accuſare ſcribuntur. Vnde etiam Apoca. 12. Accuſator fratrũ diabolus dicitur. Si beatorum Spiritus non defendunt nos excuſando intercedendoq;, melior erit damnatorũ quam beatorũ Spirituũ conditio quod nefas eſt cogitare, nedũ dicere. Vt hac in vita alteri pro alijs oremus, præceptũ eſt Apoſtoli, Iacob. 5. Multo ergo magis qui in altera vita ſecuri de ſeipſis ſunt, pro nobis cõmunem Deũ ac patrem precantur. Quo argumento Hieronymus olim Vigilantiũ cõfodit. Et Chryſoſt. hom. vltima in 6. cap. ad Rom. Si Paulus, inquit, cũ hîc eſſet vſq; adeo dilexit homines, vt cũ diſſolui ex animi propoſito & cũ Chriſto eſſe elegerit, hîc eſſe multo magis, illic feruẽtiorem

A dæmonum factis.

A præcepto Dei.

Chryſoſt.

tiorem amorem oſtẽdet. Adde quod Chriſtus Ioan.5. dicit, quod filius faciat quæcũq; videt patrẽ facientẽ. Haud dubiè hãc filij naturam imitantur Sancti, vt quæ vident filiũ facere, eadẽ & ipſi faciant. Maximè cum ſit ſcriptũ Apoc.14. ſequũtur agnum quocũq; ierit. Vidẽt aũt filium pro nobis intercedere apud patrẽ interpellareq;, Rom.8. Quis igitur Sanctos dicat vnius capitis membra ſi idem ipſi non faciant? Vnde Auguſt. lib.9. Confeſs. cap. 5. de Nebridio loquens: Non ſic arbitror Nebridium inebriari ex fonte viuo, vt obliuiſcatur mei, cum tu Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor. Et in Pſal. 85. ſuper verſum. Quoniam tu Domine adiuuiſti me: Dominus, inquit, noſter IESVS Chriſtus adhuc interpellat pro nobis: Omnes Martyres qui cum illo ſunt INTERPELLANT PRO NOBIS. Nõ tranſeunt interpellationes eorũ, niſi cũ trãſierit gemitus noſter Adde quod diuorum pro nobis interpellationẽ Propheta in Pſalmo.141. plane videtur aſtruere, cùm orans, educ, inquit, de cuſtodia animam meã: me etenim expectant iuſti donec retribuas mihi. Hicne dicet aliquis, hanc iuſtorum expectationem eſſe ſine deſiderio, proindeq; cum voto preceque non coniunctam? Habet omnis expectatio deſiderium boni.

Ab exemplo Chriſti

Auguſtinus.

Ab expectatione Sanctorũ in cœlis.

Neque ſanè elingues ſunt ſanctorũ animæ, vt non poſsint deſiderium ſuum apud Deũ effari. In Apocalypſi etenim cap. 6. leguntur ſub altari clamare: Vſque quo Domine ſanctus & verus, nõ iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra? Niſi fortè tu hîc mihi, ad vindictam quidem ſui petendam vocales eſſe, non item ad ſalutem ſuorum in hac terra promouẽdam, dixeris: æſtuareq; magis vindictæ cupiditate quam noſtræ ſalutis expectatione flagrare. Vnde de Sanctorum deſiderio erga nos

August. atq; ſolicitudine Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. Magnus, inquit, in cœlis nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequẽs nos & copioſa turba deſiderat, iam de incolumitate ſua ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſolicita. Sed audi quæſo vtriuſque, hoc eſt, tàm Sanctorum interceſsionis ad Deũ pro nobis, quàm noſtræ ad ipſos haud ſanè infrugiferæ inuocationis ex ipſo Dei ore euidens teſtimonium. Oſee enim cap. 2. inter alias promiſsiones hanc quoque enumerat, dicens: Et erit in die illa exaudiã, dicit Dominus, exaudiã cœlos, & ipſi exaudiẽt terrã, &c. Cœlos hîc dici cœleſtes animas beatosq; ſpiritus, & terram eos qui adhuc terrenam huius habitationis incolunt domum

ex

ex Pſal. 18. & 95. ex Chaldaica paraphraſi, denique ex Veterum commẽtarijs tam Hebræorum, quam noſtrorum tàm manifeſtũ eſt, vt earum rerum gnarus negare ipſemet non poſsis. Quod cùm ita ſit, quid clariorem hac de re promiſsionem poſtulas. Promittit Deus ſe cœlos exauditurũ, & de cœlorum cùm voluntate tùm facultate nos certos facit, vt de hac re dubitandi nullus relictus ſit locus, niſi fidem Dei abnegantibus. Atque hæc ex Scripturis ad confirmandam Eccleſię fidem de Sanctorum interceſsione pro nobis hactenus.

Addamus patrum de eadem teſtimonia. *Sanctorũ interceſsio patrum teſtimonijs aſtruitur.* Origines hom. 3. in Cantica: omnes, inquit, ſancti qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc Charitatem erga eos qui in hoc *Origenes.* Mundo ſunt, SI DICANTVR CVRAM GERERE SALVTIS EORVM, ET IVVARE EOS PRECIBVS SVIS ATQVE INTERVENTV SVO APVD DEVM, NON ERIT INCONVENIENS. Scriptum eſt namq; in Machabæorũ libris, ita: Hic eſt Ieremias propheta Dei, qui ſemper orat pro populo. Idem in Matt. cap. 24. Tract. 27. Diſcipuli, inquit, cæteriq; ſancti, non ſolum tunc, ſed etiam modo miranda opera Dei erga figmentum humanum con-

fitentes ANTE CONSPECTVM CHRISTI INTERCEDVNT, &c. Idem lib. 8. contra Celſum. Nec ſolum hi (angelos animasq; & ſpiritus cæteros beatiores dicit) ſe erga digniores quoſq; propitios reddunt, ſed & Deo gratificari volentibus opitulãtur, hisq; & placatiorem hunc faciũt, VNA QVE ET SVPPLICANT

Cyprianus ET PRECANTVR. Cyprianus ſer. de ſtella & Magis: Innocentes pueri ab Herode occiſi in ordine Sanctorũ primum habẽt locum, & ſecretorũ conſcij diuinorũ, propinquitate familiariſsima, clementiam Dei pro noſtris exorant laboribus. Et: Hi itaq; à cunabulis in cœlum translati facti ſunt ſuperni capitolij Senatores & iudices, nonnullis veniam obtinẽtes immeritis. Idem Cornelio fratri lib. Epiſtolarum 1. Si quis hinc noſtrûm prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris. NON

Chryſoſtomus. CESSET ORATIO. Chryſoſtomus ſerm. de Iuuent. & Maximo. Sicut milites vulnera in prælijs ſibi inflicta regi monſtrãtes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, QVAECVNQVE VOLVERINT APVD REGEM COELO-

RVM IMPETRARE POSSVNT. Idē in cap.19.Gene.hom.43. Quando enim quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & accedit INTERCESSIO SANCTORVM, PLVRIMVM NOBIS CONFERT. Aug.in Pſal. 88. Natalicia,inquit, Sanctorū cū ſobrietate celebrate, & imitemur eos qui nos præceſſerūt, & gaudeāt de nobis QVI ORANT PRO NOBIS. Et Tract. 84. in Ioan. Pro Martyribus non oramus,ſed IPSI ORANT PRO VOBIS. Idem de Baptiſmo cōtra Donatiſtas lib.7. cap.1. Beatus Cyprianus quidem iam corpore,quod corrumpitur, nō aggrauante animā nec deprimente terrena inhabitatione ſenſum multa cogitantē,ſerenius perſpicit veritatē, quā meruit adipiſci per charitatem. ADIVVET ITAQVE NOS ORATIONIBVS SVIS, &c. Vide eundē lib.9. cap.5. de ciuita. Dei. & quæſt. ſuper Exod.cap.108. Eccleſiaſt. hiſt. lib. 6. cap.5. Certus eſto quod cū abiero ad Dominū meum, ſine mora boni huius tibi remunerationē parabo. Verba ſunt Potamienæ virginis ad Baſilidē carnificē. Gregorius Nazian.(in laudem Baſilij Magni,oratione 8.) D.Baſil. inquit,in cœlis degit ibiq; ꝓ nobis, vt arbitror,ſacrificia offert,ac PRO POPVLO ORAT. Idē ad eos qui claſſe ex

Auguſtinus.

Eccleſiaſtica hiſtoria.

Greg. Nazanzenus

Aegypto aduenerāt Oratióe 23. Athanaſius Epiſcopus poſtquā multa certamina exantlauit, ab alto (rectè noui) res noſtras inſpiciens, manū porrigit ijs, qui laborāt pro bono, & tanto plus, quanto magis à vinculis eſt

Baſilius. liberatus. D. Baſilius quoq; ſerm. de Quadraginta Martyr. Beneficium hoc fratres dilectiſs. gratiam hanc minimè deficientem, ac ſine inuidia, ex Deo obtinemus: vt paratum ſit nobis & Eccleſiæ per hos auxilium. Habes in his, Iacobe, Sacrarum ſcripturarum, & Maiorum noſtrorum quibus Chriſtus Sacram ſcripturam atque Eccleſiam ſuam concredidit, per quos etiam nos Chriſtiani ſumus & Scripturā accepimus, de fide Eccleſiæ, deq́; Sanctorum apud Deum interceſsione, ſatis multa teſtimonia: quibus omnes pij etiā nunc conſentiunt, quantumuis reclames, ac pugnas concire contra cœlites ipſos velle videaris.

An Sanctorum interceſsio ſit petēda. Reſtat an cùm illi in cælis pro nobis intercedunt & apud communē patrem orant, æquum ſit ac rectè fiat, ſi nos eos inuocemus, hoc eſt, vt faciant, quod faciunt, ab ipſis poſtulemus. Etſi autem non ideo Sanctos inuocamus, quia ipſi pro nobis interpellant, ſunt tamen aliæ cauſæ quibus mouemur, vt ita faciendum credamus. Præterquam enim quod Iacob patriarcha patrum

ſuorum

ſuorum Abraham & Iſaac nomina ſuper Ephraim & Manaſſe filios filij ſui Ioſeph inuocans, ſuum quoq; nomẽ deinceps ſuper eos inuocandum prædixit, Geneſ. 48. & quod alij Prophetę ſanctiq; viri veteris Teſtamẽti nomina Abrahę, Iſaac, & Iacob, imò & Dauid (ſicut proximo ſuperiore Articulo, vbi de Sanctorum meritis egimus dictũ eſt) cum magno ſuo ſuorumq; fructu in maximis rebus inuocauerunt: Deus etiam ſic orantes propter eorum virtutem quorum nomina inuocabant ſæpe exaudiuit, exauditurumq; promiſit, Iſai. 37. multo magis tamen nos exempla Apoſtolorum & eorum qui illis officio dignitateque ſucceſſerunt commouent, à quorum veſtigijs benè poſitis declinare, religio nobis eſt. Neq; enim dubitamus eorum facta ſcriptaque, quibus ad confirmandam fidem ſuam, & ad promouendam pietatem Eccleſia ſæpè ac libẽter vtitur, ex Spiritu Chriſti eandem per ipſos tanquam idonea inſtrumenta regentem ducentemq;, ortum profectũq; habere ſuum: & in Eccleſia omnibus proponi, propter imitationem. In D. Iacobi Liturgia in hæc verba orat ad altare Pontifex: Commemorationem agamus ſanctiſsimę, immaculatæ, glorioſiſsimæ, benedictæ, Dominæ noſtræ, matris Dei, & ſemper virginis Ma-

Inuocatio Sanctorũ. exemplis & S. Scriptura probatur.

A promiſſione Dei.

Ab exemplis Apoſtolorum.

D. Iacobi Liturgia.

riæ ac omnium Sanctorum & iuſtorũ, VT PRECIB. ATQVE INTERCESSIONIB. EORVM OMNES MISERICORDIAM CONSEQVAMVR. Sic in Baſilij Liturgia ſæpè fit D. Virginis & Matris memoria, tandéq; in hæc verba orat Sacerdos: Nos aũt oẽs de vno pane & calice participantes, coadunari inuicẽ, in vnius Spiritus ſancti cõmunione, & nullum noſtrũ ad iudiciũ aut cõdemnationẽ facias accipere ſanctũ corpus & ſanguinẽ Chriſti tui: ſed vt inueniam⁹ miſericordiã & gratiã in cœtu oĩm ſanctorũ, qui à ſeculo tibi placuerũt, Auorũ, patrũ, patriarcharũ, prophetarũ, Apoſtolorũ, Euangeliſtarũ, Martyrũ, Cõfeſſorũ, Doctorũ, & oĩs ſpiritus iuſtorũ, finẽ in fide habentiũ, præcipuè ſanctæ & intemeratæ benedictæ Dominatricis noſtræ, Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ: Sãcti Ioãnis pręcurſoris & Baptiſtę, Sãcti N. cuius memoriã facimus, & omniũ Sanctorũ tuorũ. QVORVM POSTVLATIONIBVS VISITA NOS DEVS.

D. Baſilij Liturgia.

Sed & in D. Chryſoſtomi liturgia ſæpè memoria Sanctorũ fit, atq; in hæc verba preces fiunt: PER INTERCESSIONEM SANCTI APOSTOLI ET EVANGELISTAE DET verbũ tibi euãgelizãdi virtute multa rex virtutũ, &c. INTERCES-

D. Chryſoſt. Liturgia.

CESSIONIBVS DEI GENITRICIS SALVA NOS. ET INTERPELLATIONIBVS SANCTORVM TVORVM SALVA NOS DOMINE. ET: INTERVENTIBVS SANCTORVM TVORVM SALVA NOS DOMINE. Et ad Michaëlē Archangelū. Cœleſtis militiæ princeps, Michael, rogamus te nunc indigni, vt TVIS INTERCESSIONIB. MVNIAS NOS, vmbra alarū tuarū immateriatæ naturę cuſtodi nos: procidimus & ſine intermiſsiōe ad te clamam⁹, à periculis erue nos, vt virtutū princeps cœleſtiū. Ad B. Virginē matrē quoq; exclamatio: Quæ verū peperiſti Deum, IPSI SVPPLICA, VT ANIMAS NOSTRAS SALVET. Et rurſus ad eandē: QVI TVAM OPITVLATIONEM ADEPTI, intemerata, ET TVIS INTERCESSIONIB. A MALIS EXVTI, & per crucē filij tui omnino protecti, ex debito piè te magnificamus. Et ad Apoſtolos: LEGATIONE FVNGIMINI APVD MISERICORDEM DEVM, vt peccatorū remiſsionē animabus noſtris tribuat. Et ad B. Nicolaū: adeptus es humilitate ſublimia, paupertate quæ ſunt opulenta, pater Nicolae, FVNGERE LEGATIONE

APVD

APVD CHRISTVM DEVM, VT ANIMAE NOSTRAE SALVTEM CONSEQVANTVR. Rurſus ad D. Virginẽ: Quoniam omnibus facturis præſtantior exiſtis, collaudare te dignè non valentes, Dei genetrix, gratis flagitamus te, miſerere noſtri. Rurſus ad Apoſtolos: Qui primas inter Apoſtolos habetis ſedes, orbisq́; didaſcali, APVD OMNIVM DOMINVM LEGATIONE FVNGIMINI, vt pax mundo donetur, & animabus noſtris magna miſericordia. Et ad omnes ſanctos, Apoſtoli, Martyres, Sacerdotes, Cõfeſſores, & iuſti, cũ mulieribus ſanctis, qui benè certamen conſummaſtis, & fidem ſeruaſtis, fiduciam ſeruantes ad ſaluatorem, pro nobis orate, ſaluari animas noſtras. Et ad Deum: Sancti Ioannis Baptiſtæ prophetæ & præcurſoris, ſanctorum & nominatiſſimorum Apoſtolorum, & Sancti N. cuius memoriam agimus, & OMNIVM SANCTORVM SVPPLICATIONIBVS, VISITA NOS DEVS, & memor eſto omniũ in Domino dormientiũ in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ. Ecce beatorum in cæleſti vita ſpirituum ſupplicationes non pro nobis tantum, verum etiam pro alijs dormiẽtibus poſtulari. Et hæc quidem ex Veterum liturgijs teſtimonia depoſui.

Scio

Scio veſtros negare(ſicut nihil hactenus niſi quod inſipidum bonis omnibus veſtro palato ſapit ſoletis ſuſcipere) liturgiam Iacobo Apoſtolo authore eſſe ſcriptam, ſed Catholici magni & ſexti vniuerſalis Concilij Conſtantinopolitani in Trullo, Imperante magno Conſtantino celebrati authoritatem pluris merito facimus, quam paucorũ Schiſmaticorum deliria. Fit in eo Concilio Liturgiæ Iacobi honorifica mentio,& innituntur illi patres.Meminit eius etiam Beſſarion Conſtantinopolitanus Patriarcha in ſuo de S. S. Euchariſtia libello: & Martialis vnus ex ſeptuaginta duobus Domini diſcipulus,Epiſtola tertia.Eadem ratio Liturgiæ Baſilij atque Chryſoſtomi eſt,quæ diuerſis ſtudijs partim mutilata partim negata à Schiſmaticis, integra ſuſcipiuntur à Catholicis. *Iacobi Apoſtoli Liturgiæ authoritas defenditur*

Sed Liturgijs addamus Maiorum noſtrorum exempla,vt vincat veritas confirmata à multis Sanctis, cum iudicatur à paucis prauæ mentis hominibus. Origenes lib.2.in Iob exclamat. O beate Iob, viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conſpectu Domini, ORA PRO NOBIS MISERIS. Idem in Lamento: Incipiam me genubus profternere, & deprecari vniuerſos Sanctos,vt mihi non audenti pe- *Exempla inuocationis Sanctorum.* *Origenes.*

ti petere Deū, propter nimietatem peccati, ſuccurrant. O ſancti Dei, vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis

Chryſoſtomus. miſericordijs eius pro me miſero. Chryſoſtomus hom. 66. ad pop. Antioch. Nam, inquit, & ipſe qui purpurā indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt PRO SE APVD DEVM INTERCEDANT & Scænarū fabrum, & PISCATOREM ETIAM MORTVOS PROTECTORES ORAT qui Diademate redimitus incedit.

Auguſtinus. Aug. in Pſal. 88. Natalicia Sanctorū cū ſobrietate celebrate, vt imitemur eos qui nos præceſſerūt, & Gaudeāt de nobis. QVI ORANT PRO NOBIS vt benedictio Dñi in æternū maneat. Idem de Spiritu & aīa cap. 59. Vos igitur qui meruiſtis cōſortes fieri ſupernorū ciuiū, & perfrui æternæ claritatis gloria, ORATE PRO ME AD DOMINVM, Vt educat me de carcere iſto, in quo teneor captiu⁹ & ligatus. Idē lib. meditat. cap. 13. Orate Dominū, orate pijſsimi, orate oīa agmina Sanctorū, & vniuerſi cœtus beatorum, vt VESTRIS PRECIB. MERITISQVE ADIVTI, ſalua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portū ſalutis & quetis perpetuę, & cōtinuę pacis, & nunq̄ finiē-

dæ

dæ ſecuritatis. Idē ſer. 2. de Sāctis: Cōmendemus nos orationib⁹ D. Stephani. Multo magis enim nūc exaudiť pro benè oratorib. ſuis à regnante Deo domino noſtro IESV Chriſto. Omnium vero celeberrima eſt illa Auguſtini ad D. Virginē oratio. ſerm. 2. de Aſſumptione eius: Sancta Maria, inquit, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, interueni pro clero, intercede ꝓ fœmineo ſexu, ſentiāt oēs tuū leuamē, quicūq; celebrāt tuā cōmemorationē. Gregor. Preſbyter in vita Nazianzeni. Tu verò beate pater, ſcenæq; verè inſpector & Myſta, vbi voce exultationis & ſalutis angeli cum ſanctis Deū collaudant, TVI MEMOR SIS GREGORII, qui hæc breuiter eſt philoſophatus. Gregor. Nazianzenus oratione in Baſiliū Magnū: Tu aūt (ad Baſiliū loquitur) ſacrū ac diuinum caput, EX ALTO NOS RESPICE, & carnis ſtimulū inſtructionē noſtrā à Deo nobis datā, aut TVIS SISTE PRECIB. aut fortiter me ferre perſuade, totāq; vitā nobis in meliorē permuta. Idē oratione in Athanaſiū orat. 18. Tu autem Athanaſi è ſupernis PROPITIVS NOS RESPICE, ET POPVLVM HVNC SANCTVM DIRIGE, Trinitatis ſanctæ adoratorē. Idem: Tu verò Cypriane NOS AB ALTO PRO-

Gregorius preſb.

Greg. Nazianzenus

PROPITIVS RESPICE. noſtrúq; ſermonem ac vitam dirige, & ſanctum ouile hoc paſce, aut vnâ rege, & reliqua, quantum poſsibile eſt, ad meliora diſpone. Hieron. in Epitaph. Paulæ. Vale ô Paula & cultoris tui vltimam ſenectutẽ ORATIONIBVS IVVA. Fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius impetrabis quod poſtulas. Ne vero quiſquam exiſtimet Maiores noſtros, abuſus, qui in hâc Sanctorum inuocationem irrepere poſsint, non præcauiſſe: vt cùm deſides multi ita ſe ſuasq; res Sanctis cõmittunt, vt ipſi nihil eorum, quæ ad ſalutem acquirendam conſeruandamq; pertinent, facere ſtudeant, tanquam ſatis ſit habere in cœlis qui pro nobis ſoliciti ſint: vel cùm duliam hanc in latriam conuertunt: hos ijdem illi etiam qui tàm multum interceſsioni Diuorum tribuunt, magna authoritate grauiſsimè repræhendunt: vt quod Chryſoſtomus in cap. 19. Geneſ. hom. 43. ſcribens. Quando, inquit, quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & ACCEDIT INTERCESSIO SANCTORVM, plurimùm nobis confert. Quod ſi ipſi negligẽtes fuerim⁹, & ſpem in illis ſolis collocauerimus noſtræ ſalutis, nihil amplius nobis ꝓdeſt: NON QVOD INFIRMI SVNT IVSTI, SED QVIA

Hieronymus.

Abuſus inuocationis Sãctorum Maiores noſtri præcauerunt.

Chryſoſt.

QVIA PROPTER NOSTRAM DESIDIAM NOS IPSOS PERDIMVS: Et Hom. in Matt. 8. Quod ſi negligentes fuerimus ac deſides, nec per aliorum quidem merita poſsimus ſaluari. Si verò mente vigilemus, etiam per noſipſos iſtud valemus efficere, & multò magis noſtro ſimul & alieno tuti eſſe ſuffragio. Nam & Deus ſalutem noſtram non tàm alijs rogantibus nobis vult donare, quàm nobis, vt hoc ipſo, quo iram in nos placare cupimus, ad ſtudia meliora migremus, & fiduciā bonæ conſcientiæ colligamus: Non vt pro peccatoribus ſupplicādum eſſe Sanctis negemus, ſed ne noſmetipſos in otium ac deſidiam reſoluamus, & dormientes ipſi, alij tātummodo noſtra curanda mandemus. Hæc ille. Sic ne nos quiſpiā diuinos honores Sanctis tribuere ſomniare queat. Auguſtinus contra Fauſtum libro. 20. cap. 21. (ſicut ſupra etiam dictum memini) cauet, inquiens: Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque rationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorijs Martyrum conſtituamus altaria. Idem etiam de vera religione cap. 55. Non ſit nobis religio, inquit, cùltus homi- *Auguſt.*

num mortuorum: quia ſi piè vixerint, nō ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſeruos. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, nō adorandi propter religionem. Honoramus eos charitate, non ſeruitute. Et Euſebius hiſto. Eccl. lib. 4. cap. 15. Martyres tanquam diſcipulos Domini diligimus & veneramur, quaſi integrè fidem Magiſtro ſeruantes & Domino: quorum nos quoq; in fide & perſeuerantia Charitatis optamus eſſe participes. Deniq; Nicolaus Cabaſilæ in liturgiæ expoſitione cap 33. Propterea nihil, inquit, pro eis orat ſacerdos ſed potius eos orat, vt ab eis in orationibus adiuuetur.

Euſebius.

Nicolaus Cabaſila.

Collectio ſuperiorum.

Hactenus de ſanctorum pro nobis ad Deum interceſsiōe, deinde etiam de noſtra ad ipſos inuocatione qua potui breuitate dixi. Quoniam ergo tàm interceſsio quā inuocatio in ſacris literis fundata rationibusq́ue confirmata, in publico Eccleſiæ Catholicæ officio locum, & in ſacris Maiorum noſtrorum monumentis teſtimonium habet; te ſine cauſa vtriuſque vſum in noſtris Sacerdotibus reprehendere quiuis prudēs facilè intelligit; maximè cùm alterum; id eſt, interceſsionem tu ipſe cū tuis hominibus Vvormatię,

matiæ,vti ſupra diximus, ſcripto atque præſentia tua palàm confeſſus ſis, eandemque nũc niſi cum ſumma ignominia tua atq; inconſtantis animi nota negare non poſsis: & cõſtet eam formam inuocandi Sanctos, qua in ſacrificio hodie vtimur ab Apoſtolorum temporibus huc vſq; in vniuerſa Eccleſia cum omnium piorum applauſu perſeuerare: id quod tot ordine patres ſanctiſsimi hoc Articulo in teſtimonium producti, abundè teſtatum faciunt.

Nec neceſſe eſt in refutandis obiectionibus tuis multùm operæ inſumere, quæ ſuapte infirmitate facilè concidunt. Quid enim eſt quod ais: Sacram ſcripturam nihil omninò de ſanctorum in cælis interceſsiõe ſcire, nec Deũ præcepiſſe eã, ſicut nec exauditurũ nos promiſit, neq; deniq; illũ in ea exemplũ extare, quod aliquando quiſquam mortuũ ſanctũ inuocauerit. Hęc tua eſt obiectio prima. Sed reſpondeo. primùn quæſo te, dic mihi quid tibi cum ſacris literis commune eſt? Quid hæreticorum more ad S. Scripturam Catholicæ Eccleſiæ poſſeſsionem extra Eccleſiam Eccleſię hoſtis prouocas? Hunc morẽ omnibus hæreticis fuiſſe teſtatur Tertul. lib. de pręſcript. hæret. Nihilné credendum faciendumúe cenſes, niſi quod in S. literis expreſſum eſt, vel mandatu, vel promiſsiõe,

Obiectionũ refutatio.

Obiectio prima.

Refutatio.

Hæretico cũ ſacris ſcripturis nihil commune, Tertul.

Aliquid ſecundum ſcripturas credendū, quod uerbotenus in ſcripturis ſcriptum non eſt.

vel exemplo? Bonam partem credendorum ſic reijcis imprudens, vbi enim ſcriptum in illis legis, filij Dei cum patre conſubſtantialitatem? vbi eiuſdem diuinæ atq; humanæ naturæ hypoſtaſin? Vbi S. Sancti a filio proceſsionem? Animas rationales à Deo ex nihilo ſemper creari creandoque corporibus ſuis infundi, fides docet Catholica. Vbi verò tu hoc in Sacris literis ſcriptum conuinces. Auguſtinus ad Oroſium ſcribens ſimiliter & ad Optatū vſpiam legi negat. Idē teſtatur ad Hieronymum ſcribēs. Et in vtraque Epiſtola aliquot ſcripturę locos quibus hoc aſtrui poſſe videtur, reijcit. In eandē ſententiam etiam Eucherius lugdinenſis Epiſcopus lib. 1. ſuper Geneſ. ſcribit, vbi de origine animę magnę matris Euę diſputat, primò tu vero & quære vbi ſcriptum ſit, atque vbi quod quæris nō inuenis, quod vniuerſæ Eccleſiæ fides tenet, ſolus nega, & quaſi tua profeſsione indignum reijce. Sed vbi etiam Baptiſmum paruulorum? Imò vbi hoc ipſum axioma veſtrum in S. Scripturis inueniri poteſt? Nihil credendum, niſi quod in ſacris literis eſt expreſſum. Quod ſi tu mihi ſcriptum illic priùs oſtenderis, aliquid me abs te didiciſſe libenter fatebor, quod hactenus ignorauerim.

Axioma.

Sed quia in Sacris Scripturis ſcriptum illud

lud non eſt, vel te doctore, verum eſſe, haud credam. Credam autem & pro virili tuebor etiam quod in ipſis admonens ſcripſit Apoſtolus 2. Theſſ. 2. cap. State & tenete traditiones, quas dediciſtis, ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam. Non dicit, tenete hoc ſolum quod ſcriptum eſt. Et in eadem Epiſtola cap. 3. Subducatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Et Philip. 4. cap. Hæc cogitate, inquit, quæ & didiciſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me: Sic idem Apoſtolus in Syria & Cilicia credentibus præcipit, vt ſeruēt pręcepta Apoſtolorum & ſeniorum, Act. 15. ſimiliter in Phrygia & Galatia tradidit cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus qui erant Ieroſolymis, Act. 16. idem 1. Corinth. 11. promittit ſe, vbi venerit, coram diſpoſiturum cætera: & loquitur de Cæna Domini: Quomodo autem illa diſpoſuerit, vbi in S. literis legitur? Similiter? 1. Corinth. 14. & 2. Theſſ. 2. ad ea quæ audiuiſſent prouocat. Huius *Dionyſius.* diſcipulus Dionyſius Areopagita verbo nō ſcripto pleraq; ab Apoſtolis tradita, imò ne verbo quidem ſed ſignis quibuſdam ſanctis lib. de Eccleſię hierachia cap. 1. ex Perionij tranſlatione, teſtatur, loquens in hæc verba? ſanctiſsima autē veneratione q; digniſsima

verba eſſe dicimus, quæ nobis à ſacroſanctis noſtris præceptoribus in ſanctis atq; Theologicis Scripturæ libris ſunt prodita: quæque ab iiſdem ſanctis viris inſtitutione, quæ magis à materia abhorreret, proximaq; iam quodammodo eſſet ac ſimilis cœleſti hierarchiæ, ac mente in mentem, verbo corporeo illo quidẽ, ſed quod minus eſt materiæ particeps, ſine ſcripto ſtudiorum noſtrorũ duces principeſq; didicerũt: ne ea quidẽ, hierarchiæ diuino numine permoti, in commune ſacroſanctũ munus apertis intelligentiis, ſed ſanctis ſignis tradiderunt. Et Ioannis diſcipulus Polycarpus à præceptore ſuo multa non atramẽto ſed verbo in corde ſcripta de Chriſto audiuiſſe apud ſuum ſimiliter diſcipulum Irenæum teſtatus eſt, quemadmodũ Euſeb. Eccl. Hiſto lib. 5. cap. 20. recitat.

Polycarpus.

Eadem Ignatius populum docuit, vt ſcribit idem Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 3. cap. 36. & vltimo. Origenes vero libro περὶ ἀρχῶν Sola illa veritas credenda eſt, inquit, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſſentit. Vide eundem Tractatum 29. in Matth. & Homilia. 5. in Numerum Et Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 27. Dogmata, inquit, quæ in Eccleſia ſeruantur ac prędicantur, partim ex ſcriptà doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata, in myſte

Origenes.

Baſilius.

rio recepimus, quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicet, qui vel modicam tantum Eccleſiaſticorum iurium experientiam habet. Et: Si inſtituta conſuetudineſque non ſcriptas tanquam in eis vis magna non inſit, ſemel repudiare aggrediemur, clam ac pedetentim ratas ipſas Euangelij ſententias improbabimus, aut potius ad inane nomen prędicationem eis cótrahemus. Et ibidẽ 29. ca. Apoſtolicũ exiſtimo, inquit, in ijs etiã traditionibus, quę ſcriptæ non ſunt permanere. Et Athanaſius oratione ad fratrẽ: Noſtra fides recta eſt, inquit, & doctrina Apoſtolica, & ex traditione Apoſtolica, & patrum traditione. Et Ambroſius lib. 3. de fide cap. 7. Seruemus, inquit, pręcepta Maiorũ, nec hæreditaria ſignacula rudi temeritate violemus. Et Auguſt. lib. 4. contra donatiſtas cap. 24. Quod vniuerſ ſa tenet Eccleſia, nec Cócilijs inſtitutum, ſed ſemper retentũ eſt, non niſi Apoſtolica authoritate traditum creditur. Chriſtũ multa feciſſe quę non ſunt ſcripta, Ioan. Apoſtolus qui vidit teſtatur Ioã. 3. Quod multa habueris dicenda docendaq; (præter ea quę iã tum docuerat) quæ quoniã portandis ijs Apoſtoli tũc quidem infirmi eſſent, per ſpiritus poſtea ſe docturũ promiſit, ipſe dominus teſtatur. Quis verò credat, Apoſtolus, nihil præter tam

Athanaſius *Ambroſius* *Auguſtinus* *Ioan.16.*

pauca, quę ſcripta extāt per omnem ſuam vitam in toto terrarum orbe Iudæos ac gentes docuiſſe, imò quoſdam nihil docuiſſe quorum nomine nullū ſcriptū extare videmus? Sed hęc obiter dicta ſint ad confutandum axioma illud veſtrū, Iacobe, quo dicitis. Nihil, niſi quod S. Literis ſcriptum extat, credendū eſſe. Vnde quoniam tu quidē in ijſdē de diuorum interceſsiōe inuocationeq; nihil ſcriptum malè opinaris, à fide Chriſtiani hominis vtranq; alienā eſſe ſomnias, ſed quā falſum eſt axioma illud veſtrū: Nihil niſi &c. tā falſum etiā eſt, quod infertis: nihil in S. literis de ijs rebus ſcriptū eſſe. Iam enim ſupra adductis ex S. literis, locis quibuſdā demonſtraui, teſtimonium in ipſis habere ea ac fundamentū. In veteri enim teſtamento Onias & Ieremias iā hac vita perfuncti, pro populo ſupplicare videntur, & Heliſæi ſepultum corpus prophetauit, & Helias receptus in turbine atq, inſcriptus eſt, vt leniat iracūdiā Domini, 4. Reg. 13. Eccle. 48. Nouum teſtamentū, quod à primis gratię Euangelicę ſanctis in hac vita ſcriptū eſt, quomodo mentionē facere poſſet interceſsionis, cū nondū qui hoc ſcripſerūt ſancti eſſent ad cælos ſublati? Nihilominus cū Paulus Charitatē etiā in altera vita ſemper manere teſtatur, 1. Cor. 13. tàm certo interceſsionem diuorum confirmat

firmat,ac ſi apertè diceret: Sancti in cęlis pro nobis Deum orant, pro nobis ſoliciti ſunt, nos expectant cum deſiderio, optant nos ſibi in illa beata vita coniungi &c. Hæc enim omnia intelligi vult ſancta mens Apoſtoli, cum charitatem morte non excidere docet? omnia enim hæc inſunt in charitate, qua & nos illis & ipſi nobis indiſsolubiliter coniungimur: nec maior eſt diſtantia inter nos atq; ipſos, quàm quę eſt manuum ſupra menſam cibos ori prębentium, & pedũ ſub menſa vnum idemq; corpus cum manibus ac reliquis membris cõſtituentium, & ex ijſdem humoribus, quos cibus per manus corpori adminiſtratus, generat participantium. Miror ſanè amentiam veſtrã & quaſi vltrò quæſitam ac voluntariam cæcitatem: legitis animas ſanctas vindictã ſanguinis ſui petere de occiſoribus ſuorum corporum? Apo. 6. cap. & eaſdem pro cultoribus ſuis orare beneq; precari non creditis, ſcilicet facultas in malum contra eos qui hic viuunt illis erit, in bonum non erit: & hæc beatorum ſpirituum perfectio credẽda erit, vt, veſtra quidẽ interpretatione, malum nobis optare precariq; poſsint, bonum nõ poſsint? Quid à veritate Euangelica, à fide noſtra, à promiſsionibus Dei, magis alienum dici poſſet? Sed ne exiſtimes ſanctas piorum animas, odij ſtimulis *Simile.*

vindictæq; cupiditate agitari, & non magis pro nobis orare, idē Ioannes paulo antè eodem libro commemorat quatuor animalia & duodecim ſeniores, hoc eſt noui & veteris teſtamenti beatos ſpiritus, cecidiſſe coram Agno, ſinguloſq; habuiſſe citharas & phialas aureas, plenas odoramentorū, quæ, vt idem Ioannes interpretatur, ſunt orationes ſanctorum Apoc.5. Quo loco palam fit ſanctos orare pro nobis. Sed heus tu; Nihilné norunt ſacræ literæ de beatorum Spirituum interceſsione? verumné eſt quod tanto ſtomacho docctis? nihil niſi ſcriptum in ſacris literis credendum, confitendum eſſe? Cur ergo tu ipſe ac tui interceſsionem ſanctorum (ſicut antea etiam bis dictum eſt) creditis & confeſsi eſtis? quando vt idem ipſe etiam dicis, ea in S. Scripturis locum non habent vllum? Cur Lutherus videlicet libro de prępar. ad mortem ad inuocandum ſanctos hortatur: In articulo mortis, inquit, beatam virginem, angelos, proprium Apoſtolum ac ſanctos reliquos, quibus in vita ſeruiuit, inuocare nō ceſſet, vt pro ſe intercedant ad dominū. Sed & aliquid tibi ex alieno donemus

Conceſsio. tecum affirmo nullū in ſcripturis ſanctis extare exemplū nullum promiſsum, quòd vllus vnquam mortuus Sanctus ſit inuocatus aliquando à nobis, nec de eo diſceptamus:

Nam

Nam neq; eſt in rerum Natura talis quiſpiam, qui cùm ſanctus ſit, idem etiam mortuus dici poſsit: Quomodo ergo cũ non ſit, à nobis inuocari poſſet? Inuocamus ſanctos, ideoque eos ipſos viuos: Nullus enim Sanctus mortuus eſt, nec mortuus contra vllus ſanctus eſt: dicente Domino Mat. 22. De reſurrectione mortuorum nõ legiſti, quod dictum eſt à Deo dicẽte vobis: Ego ſum Deus Abrahã, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Nõ eſt Deus mortuorũ, ſed viuentium. Apud homines alteratio illa eiuſmodi nomine ſortitur, quibus nihil perpetuũ eſt, apud Deũ viciſsitudo nõ eſt, qui vocat ea quę nõ ſunt tanquã quæ ſunt, Rom. 4. Iuſtorũ animæ, inquit Sapien. 3. in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentũ mortis. viſi ſunt inſipientiũ oculis mori: & ęſtimata eſt afflictio exitus illorum: illi aũt ſunt in pace. Quod ſi tam horrenda penes te mortis imago oberrat, age, per nos enim licet, ſepeli mortuus mortuos tuos, Matth. 8. Quibus vero fides cæleſtis patriæ atq; beatę reſurrectionis in mente eſt, norũt animas beatorum non mori, ſed ex corporis carcere in liberam ciuitatem, ex mundo in cælum, ab hominibus ad Deum, ab exilio in patriam, atque ex morte tranſire ad vitã. De qua re exactius tecum agerem, niſi tibi ipſi contrarius eſſes: Etenim fol. 30. pag. 2.

libelli

libelli tui ſcribis eos, qui credunt non veni-re in iudiciū, ſed tranſire à morte in vitam, imò habere vitam ęternam: contra, hoc loco fol. 26. pag. itidem ſecunda dicis ſanctos eſ-ſe mortuos: facis autem ſcribendo cōtraria, vt vtram verè ſentias ſententiam, non intel-ligam. An fortaſſe mortalem hominem im-mortales animas mortuas dicere æquū eſt? quorum tàm emortua ac ſepulta, quàm viua mortaliter corpora corporibus alijs vitā ſo-lo attactu reſtituūt? 4. Reg. 13. & Eccle. 38. & 4. Reg. 4. Act. 9. & 20. quarum veſtimenta ad ictum Iordanis fluenta diuidunt, 4 Reg. 2. & omnis generis infirmitates tollut, Act. 5. quarum calcei in igne illæſi perambulant, Dan. 3. ad quorum imperium aqua naturam mutat ſuam, 4. Reg. 7. quorum virga Iorda-nem ſiſtit, Exod, 14. cap. & ex cautibus aquā elicit Exod. 17. cap. quorum vmbra ægrotos ſanat, Act. 19. cap. ad quorum ſepulchra dæ-mones contremiſcunt & rugiunt, & quæ occupant mortalia corpora coacti relin-quunt. Chryſoſt. ſerm. 66. cap. ad Pop. Anti-och. circa finem.

Non ergo mortui ſunt ſpiritus, quo-rum corpora imperāt alijs? Deo viuunt & in Deo. Hos viuos nō mortuos inuocamus (ne erres nec virus peſtiferum in nos ſine cauſa euomes) & inuocamus Scripturæ exemplo.

Dirigit

dirigit liturgus noſter inuocationem ſuam ad Deum. Vis ſcripturæ exemplũ? Moſes idẽ fecit, Exod. 32. nominatim exprimit quoſdã ſanctorum apud Deũ: idem eodẽ loco fecit Moſes. Meminit beneplaciti Dei erga nominatos ſanctos. idẽ & Moſes fecit eodẽ loco. Meminit meritorum eorundẽ: Idem fecit propheta alius, Pſal. 131. Petit Deũ nobiſcum reconciliari: idẽ fecit Apoſtolus 2. Cor. 5. Petit propter ſanctorũ gratiam nos diuinę protectionis muniri auxilio: id ſe facturũ promiſit ipſe Deus. 4 Reg. 19. Iſa. 37. Vide ergo quàm nihil à ſcripturis alienum faciat noui teſtamenti ſacerdos: quàm nihil contra ſcripturas pugnet: quãta ſit inter ipſum & veteris teſtamenti oratores cõſenſio, atq; actionum ſimilitudo: quando eundem Deũ, eundem in finem, eodem modo inuocat. Sed videamus & alteram obiectionem tuam.

Collatio orationis Eccleſiæ de inuocatione diuorũ cum S. ſcripturis.

Sancti de nobis nihil norunt: ſcriptum eſt enim Iſa. 63. Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, Iſraël ignorauit nos: tu domine pater noſter, redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum.

Obiectio ſecunda.

Primũ reſpondeo: Sacerdotẽ in Miſſa orationẽ ſuam nõ dirigere ad ſanctos, (ne quis de eorum facultate in exaudiendis noſtris petitionibus multum ſolicitus eſſe debeat) ſed immediatè Deum alloquitur. Quanquã

Refutatio. Intelligentia beatorum ſpirituum.

autem ea tantum defendenda mihi ſumpſerim, quæ ſacerdos in liturgia perficit, tamen quia hoc loco in arenam me Iacobus prouocat, age certamen non detrecto. Eſt autem ea loci huius in Iſaia natura, vt non velit, etiã fortis, tuo reſpõdere propoſito. Id quod tu ipſe quoq; vt reor, facile intellexiſti, quando limbi in quo patres detentos fuiſſe credimus, mẽtionem faciens, quaſi præoccupas ſolutionem. Sed amplius etiam àliquid tibi concedemus. Etſi enim non in præſenti ſed præterito tépore intelligi locus poſsit: Abrahã neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos: vt intelligatur propheta loqui de eo tẽpore, quo hìc in humanis vixit vterq;, quando non potuerunt pręcognoſcere qualis ſemper futura ſua ipſorum eſſet poſteritas: tamen libenter hoc etiam cõcedimus vt accipiatur quaſi in præſenti dictus, quoniam & alij Catholici ita legerunt, verùm te viciſsim quæro, ſi verũ eſt quod tu ex hoc loco accipis, ſi Abrahã vita defunctus neſciuit precatores illos, in quorum hęc Iſaias perſona loquitur, quomodo aut vnde ergo ſequentibus temporibus idem ille Abrahã defunctus ſciuit, quæ paſſus eſſet in hac vita Lazarus, quę faceret etiã diues epulo ille, Luc. 16. imò quid in inferno pateretur diues, quæ vię itinerisq́ue inter ſinum ſuum & diuitis infernum eſſet dif-

ſet difficultas? Quomodo cognouit prçterita? dicit enim recepiſti mala: quomodo præſentia? dicit enim, tu cruciaris: quomodo futura? ait enim, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credet. Sed non eſt hçc, inquis, hiſtoria, ſed exemplum aut parabola. Scio quibuſdam ſic videri. Sed dubitetur de eo. Itane vero Chriſtus exempla parabolaſúe propoſuiſſe dicendus eſt, quæ ſint contra fidem Chriſtianam, & quç prauæ credulitati contra verbum Dei anſam porrigere poſsint? Hçc conſidera, Iacobe, & loco illi Iſaię oppone, conferens vtrumque; aliter deinde ſenties. Etenim vtrumque ſimul ſtare non poteſt, vt vnus idemque Abraham dicatur ſcire & neſcire. Et quid de beato Abrahamo loquor? cum ipſe damnatus diues intelligatur noticiam noſtrarum rerum non omninò exuiſſe. Ipſi dęmones pro intellectus ſui perſpicacitate plurima in humanis rebus intelligunt, multa promouent, multaque impediunt: Voluntatem enim bonam perdiderunt, intellectum non amiſerũt. Ergóne melior damnatorum conditio in cognoſcendis rebus, quàm beatorum ſpirituũ dicenda eſt? Quanquam vero conſtet, ante Seruatoris noſtri Chriſti IESV reſurrectionem & in cælos aſcenſionem nullum Spiritum humanum ad cælos aſcendiſſe, ideoque dici poſſe,

poſſe, noluiſſe Abrahamum Iudæos in bonum, hoc eſt, ad opitulandum illis agnoſcere, quæ agnitio nemini neque naturaliter, neq; ſupra naturam niſi in cælo conceditur: & quod de Lazaro ac diuite in terris hîc degentibus ſciuit, diſpenſatione diuina intellexiſſe: quia tamem huic contrarium eſt, qđ damnatus in inferno diues de fratribus ſuis cognouit, & ante Chriſti aſcenſionem beati iam tùm de noſtris rebus cognoſcere, ijſque intereſſe potuerunt (vti Moſes & Elias cum Chriſto in Thabor apparuerũt. Mat. 17.) genuinus loci ſenſus hic eſt: Neſcire ſiue non noſſe in S. Scripturis non ſemper ſimpliciter accipitur, quaſi ſit impotentia quædã intellectus humanę mentis, ac verè ignoti ſiue incogniti ſint, qui neſciri aut ignorari deſcribuntur, ſed voluntatis auerſio intelligenda eſt, vt neſcire ſiue ignorare accipiamus pro eo, quod eſt, nolle agnoſcere, velle ignorare in certis negotijs, ob certas cauſas, qui tamẽ & agnoſcunt. Qui ſenſus nõ huius tantũ loci eſt, vbi Iudæi videntur tantopere offendiſſe Deum peccando, vt neque Abraham, neque Iacob eos ſuſcipere aut pro ſuis voluerint agnoſcere (ſicut CHRISTVS quoque Ioan. 8. cap. Iudæos tanquam Abrahæ filios noluit agnoſcere: Si filij Abrahæ eſſetis, inquiens, opera Abrahę faceretis: vos ex patre Diabo-

Loci Iſaiæ ſenſus genuinus: Neſcire quid.

Diabolo eſtis,& deſideria patris veſtri vultis facere)ſed &alibi ſic accipitur; vt quod Deut.33.capite.Moſes Leui genus prædicat, quod ſe inuicem non cognouerint: Qui dicit patri ſuo,inquit,& matri ſuæ,neſcio vos: & fratribus ſuis,Ignoro illos:& neſcierũt filios ſuos.Quo loco vtraq; dictio ponitur ne ſcire & ignorare. An verò propterea dicere quis audeat:Leui non nouiſſe patrẽ aut matrẽ,fratres aut filios ſuos?Nõ arbitror quenquã tam ſtolidũ eſſe,Eodẽ ſeuſu etiã Dominus loquitur,quaſi neque matrẽ neq; fratres cognoſcat ſuos: Et quæ,inquiens,eſt mater mea,&qui ſunt fratres mei?An ideo Chriſt9 ignorauiſſe eos dicendus erit?Et Matt.7.dicit:Nunq̃ noui vos.Quid verò?Nunquid Suſanna dominum alloquens Dan.13.ait: Domine qui noſti omnia antequam fiant? Ita prorſus eſt;Omnia nouit dominus;ſed quomodo Abrahã & Iſrael Iudęos nõ nouerunt, ita & dominus quoſdam impios nõ nouit,vt benè eis faciat,per quod tamen ſciri ac noſſe Dei minimè eleuatur.Sic 1.Theſſ.5.Apoſtolus admonẽs fideles, Rogamus, inquit, vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos,& præſunt vobis in Domino. An forte nõ nouerunt eos, quos quotidie & oculis corã videbant,& auribus audiebant loquentes,qui ſicut luminaria in Mundo lucebant. *Mat.12.*

Luc.8.&.11. Sed vult Apoſtolus, vt eos abundantius habeant & in Charitate amplectantur, eorumq; curam habeant benefaciendo ac miniſtrando: ſicut ſeipſum exponit. Quam ob rem ſi iſto loco dicere auſis Abraham atque Iacob verè nõ nouiſſe, verè ignoraſſe Iudęos, in hac terra viuentes, eò quòd ſcriptum ita ſit, ſequetur ſanè neque Leui parẽtes ſuos aut fratres aut filios, neq; Chriſtum homines quoſdam, neque Theſſalonicenſes paſtores ac præpoſitos ſuos nouiſſe. Eadẽ enim verba quæ in Iſaia ponuntur, neſcire & ignorare, etiam de Leui, de Chriſto, deq́ue Theſsalonicenſibus leguntur in ſcripturis ſanctis. Sed quis non inſanire talia dicentem, dicat? Itaque nihil hoc etiam loco contra Sanctorum inuocationem efficis.

Sed alia te via conueniam. An non Eccleſiaſticus in Canone ſacrorum librorum eſt? An non Elias propheta exemplo eſſe poſsit? Docere ſuperiùs voluiſti, defunctos hac vita Sanctos non fuiſſe antè Chriſti reſurrectionem in Limbo: limbumq́ue nil niſi fabulam eſſe. &c. atque huius rei cauſa Eliam & Moſen produxiſti, vt qui cum CHRISTO extra limbum eo tempore cum Chriſto Ieſu Domino noſtro in monte Thabor ſint locuti.

Itaq;

Itaque ſi ita ex animo ſentis, & beatorũ ſpirituum conditiones Eliç exemplo commonſtrandas ſerio exiſtimas, mortem obijſſe Eliam procul dubio arbitraris, alioqui enim illius exẽplo tanquã viui nihil efficere poſſes ad demonſtrandum quæ fuerit antè Chriſti reſurrectionem defunctorum Sanctorum conditio. Si ergo Elias ex mortuorum tuorum Sanctorum numero vnus eſt, quid de eodem Sacrę literę teſtantur, non tedeat audire: Eccleſi. 48. cap. ſermo ad eum fit: Receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum: inſcriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt: nam nos vita viuimus tantum, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum.

Vide hîc mihi: Hæc mortui tui Eliæ conditio, hę actiones eius in altera illa vita beata ſunt. Si Sancti illic de nobis nihil norunt, qua ratiõe intelligi poteſt, ea efficere Elias, quæ ſacris Scripturis atteſtantibus effeciſſe dicitur? Vnde intelligit, vbi, quando & qui Dei reconciliatione opus habẽt? Quomodo cor patris erga filium cognitũ habet? Si nihil de nobis norunt ſancti? Impoſsibilia de Elia ſcripſit Ieſus Syrach, quoniam ideò raptum,

ideò inſcriptum refert(haud dubiè in libro Vitæ)vt leniat iracundiam Domini, vt conciliet cor patris ad filium &c.Quamquam & alius quoque ſenſus horum verborum eſt.

Talis mortuus etiam Enoh fuit, de quo apud eundem authorem Capite.44. legitur; Enoch placuit Deo & tranſlatus eſt in Paradiſum,vt det gentibus pænitentiam, ſiue(vt alia tranſlatio)ſapientiam.An forte etiam in Paradiſo gentes eſſe dices, ne Sanctos in cælo de nobis quicquam ſcire confiteri cogaris?Itaque aut ſanctos in altera vita non modo de nobis ſcire, ſed res etiam noſtras inſpicere, regere, iuuari concede; aut Eliam Enoch &c.mortuos eſſe nega, atque ideo eorum exemplo ex Iſaiæ phophetia,ad probandam Sanctorum in altera beatiore vita ignorantiam inſcitiamq; ne vtare. Alterum enim horum tibi faciendum eſt neceſsariò.

Sancti in hac uita cognoſcunt longe remota à noſtra intelligentia.

Quin Helizęus Eliæ indiuiduus in hac vita comes,multa hîc nouit atq; intelligit abſens tanquā præſens,in corpore mortali.Nouit enim quid Syrię rex in conclaui cum ijs, quorum fidis vtebatur conſilijs, clam deliberatum concluſiſſet, 4.Reg.6.vnde etiam omnia huiuſmodi conſilia quę pacem Iudęę diſsipatura erant,impedita fuerunt. Nouit

abſens

abſens puerum ſuum Giezi à Naamon Syro pecuniam atq; veſtimentum extorſiſſe, lib. 4.Reg.9. Nouit in obſidione Samariæ ſubitam atque inſperatam omnis annonæ abundantiam: nouit ac prędixit: 4. Reg 7. Nouit diffidentem vaticinio ſuo tàm læto viſurum quidem oculis ſuis poſtera die omnium rerum copiam, ſed ſubita morte præoccupatũ non vſurum ea. Ibidem. Nouit ciuitatem Dothaim circum circa ab rege Syriæ circũuallatam ad oppugnandum: propterea exiens ciuitatem, caſtra hoſtium ignota forma ingreſsus Angelorum ſanctorum cuſtodum exercitum videt & oratione impetrat, vt non ſolum puer quoque, quem ſecum habebat vnicum mortalibus oculis abſconditum viderit angelorum exercitum, verum etiam vt Syrus exercitus totus excęcatus fuerit, & ita quidem excæcatus, vt nec vbi eſſent, nec quo ducerentur viderent, imò nec propriam terram ac patriam Samariam agnoſcerent, in quam ducti erant. 4.Reg.7. Eiuſmodi quoque cognoſcendi facultas Ezechiæ regi tribuitur: Spiritu magno vidit vltima, inquit, Eccleſiaſticus cap.49. & oſtendit futura & abſcondita, antequam euenirent. Et apud eundem capite 49. Ioſeph, emortuum corpus prophetaſſe legitur. Et vt ex veteri in nouum Teſtamentum tranſcen-

dam Stephanus mortalis & morti vicinus in his terris poſitus cælos vidit apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei in ipſo cęlo. Cuius exiens à corpore ſpiritus extrema voce pro lapidatoribus ſuis orans, quanta cum charitate deinceps pro nobis apud Deum oraturus eſſet, docuit, Actor. 7. Petrus abſens dolum in Anania atque Saphyra coniugibus cognouit, & coràm morte repentina amborum puniuit. Actor. 5. Paulus vſque in tertium cælum raptus eſt, & vidit quę homini loqui non licet. 2. Corinth. 12. Denique (ſi alicuius autoritatis apud te ſunt, quę verè de ſanctorum geſtis ſcripta leguntur) ſanctus & pius eremita Anthonius diuinam cognitionem atque etiam pręcognitionem conſequutus, parùm eſſe iudicauit, futura pręuidere. Nicęph. lib. 8. cap. 40. Et verè id ab eo dictum fuit: Quid enim futurorum pręuiſio atque cognitio, niſi, quod Caſsiodorus ſcripſit, diuina inſpiratio atque reuelatio? Itaque ſi in hac vita etiam tùm poſiti mortales Sancti ac Deo dilecti viri immortalis Dei ſecretiora atque cęleſtia videre præſentireque atque prędicere potuerunt, quanto magis in immortalitatem illam translati inferiora hęc modo ac mundi huius res inſpiciunt àtque cognoſcunt? Nobis quidem

Anthonius. *Nicephorus* *Caßiodorus*

vtraque

vtraque vtriuſq; vitæ præcognitio ęque ſtudenda atque admiranda eſt, propterea ſi vnam illam credimus, cur non & alteram; Sanè natura ſpirituum beatorum, poſtquam corpora reliquerunt, liberior atque expeditior reddita cælo eſt, & facultatem eorum propter naturæ ſubtilitatem poſt exutum corpus multò perfectiorem eſſe, non modo veteres Eccleſiæ Doctores, verum etiam philoſophi teſtantur.

Etenim rationalis anima, qua de hîc agimus, in octodecim potentijs vegetatiuis ſenſitiuis ac rationalibus tres quæ propriè & maximè ad rationalem pertinent, etiam ſeparata ſibi retinet, non modo radicaliter ſed & actu ipſo: nempe intellectum agentem, intellectum poſsibilem, & voluntatem.

Atque edeò nec eſſe eſt in ſeparata ponere intellectum, vt ſi minus hoc fecerimus, ipſius quoque animæ eſſentiam negare videbimur, omneſque alias potentias ei detrahere. Intelligere maxima eſt operatio animæ. Quòd ſi huiuſmodi facultatem non conuenire ei quis dixerit, idem certè omnes alias ab ea tanquam minores tulerit.

Impoſsibile eſt autem animam ſubſiſtere ſine aliquo actu. Itaque qui intelligere animam ſeparatam negat, ipſam animam

negatnihilque poſt rogum ſupereſſe hominis aſſerit. Quod quam à religione Chriſtiana ſit alienum, quam ſpei expectationique contrarium, quam pijs auribus fatendum, manifeſtum eſt omnibus. Et tamen neceſſe eſt, te, qui intellectum ab anima ſeparata tollis, in hanc deuenire impietatẽ, velis nolis. Sed dices forte, non detrahere te animæ ſeparatæ intelligentiam, ſed harum inferiorum rerum tantum cognitionem negare. Hæc ſi dixeris, illud maximè à te efflagito, vt dicas mihi quænam igitur animæ ſeparatę obiecta eſſe exiſtimes ſi nõ res humanæ & naturales ſunt. Dicit Auicenna: Anima ſeparata clarius videbit naturalium veritatẽ, quam coniuncta. Boetius libro 5. receptum in recipiente eſt per modum recipientis. Anima recipiens ſpecies intelligibiles, eſt incorruptibilis. Ergo recipit eas incorruptibiliter. Et Platonici manifeſtè tuam amentiã coarguunt, cum aſſerunt ſenſus animæ noſtræ ad intelligendum non per ſe eſſe neceſſarios, quaſi ex ſenſibilibus in nobis cauſetur ſcientia & cognitio, ſed per accidens. Contra tu opinaris, animæ ſenſus ita neceſſarios eſſe, vt ſine illis nequeat quicquam, vel certè noſtra, cognoſcere.

Quam vero multò rectius ea quæ non intelligis, vel piè inquireres, vel ſaniorũ olim defini-

definita, ſi tamen defuncta, relinqueres placitis,& cum ſancto mellifluoque Bernardo diceres. Ex me ipſo inquit ille, cognoſco, quod DEVS incomprehenſibilis ſit, quia meipſum nõ comprehendo. Loquitur autem de ſuijpſius meliore parte, hoc eſt, anima de qua etiam Propheta Pſalmo.138. cum admiratione clamat: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.

Nihil DEVS fruſtra creauit. Si ergo depoſito corpore animæ non intelligerent, nec actus ſuos exercerent, paruulorum animæ, quæ ante vel ſtatim poſt natum corpus decedunt fruſtra viderentur creatæ, quoniam in iſtis tam infirmis corporibus actus ſuos exercere nõ potuerunt. Sed quid Philoſophi teſtimonio opus eſt, vbi ſcripturarũ ſacrarum ſol lucet? Sapien.9.cap. ſcriptum eſt, Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Si grauatur anima corpore, conſequens eſt vt egreſſa corpus, fiat libera, & ad omnia expeditior. Qua de re vide Gregorium. libro.4. dial.cap.25. & Auguſtinum de Geneſi ad Literam lib.12. CHRISTVS Dominus Matth.22. capite dicit ac promittit nos ſimiles futuros angelis. Docemur vero Angelos de nobis noſtriſque actionibus ſcire atque cognoſcere.

Negare itaque beatorum animas nos noſtraſque res in hac vita cognoſcere, perinde eſt ac ſi quis dicat angelos quoque de nobis neſcire nec quicquam noſtrarum rerum intelligere. Quod cum directè cum CHRISTI promiſsione pugnet; pij omnes abhorrent dicere, dedignantur credere. Verùm cùm animæ à corpore exutę perfectionem maiorem eſſe quàm in corpore, & cognitionem liberatæ latius ſe extendere dicimus, nondum quo vſque, aut quam late ea ſe cognitio extendat inuenimus. Quod ſciant atque cognoſcant res noſtras credere debemus, quomodo aut vnde cognoſcant perfectè intelligere non poſſumus: ſine celeritate percipiendi, vt quidam: ſiue videndo eum qui omnia videt, vt alij: ſiue Angelorum reuelationibus cognoſcant quæ ſciunt, vt nõnulli aſſerunt; inueſtigare difficile eſt, inuenire impoſsibile. Non deſunt hoc ſeculo docti viri, qui memoriam in ſanctis mentibus earum rerum quæ hoc in Mundo didicerunt, conſeruari autumant, & ex ijs quæ antè hîc præſentes cognouerunt, futura abſentes intelligere. Quorum primum à ſacris literis alienum non eſt, vnde Beatus Gregorius Pſalmi 88. locum illum enarrans: Miſericordias Domini in æternum cantabo, in hanc ſententiam loquitur vt ſuper etiam dixi

Beatorũ ſpiritus quomodo inferiora cognoſcant.

Grego.

am dixi: Quomodo in æternum Miſericordias Domini cantabit, qui priſtinæ miſeriæ non meminit? Et libro.2 Moral.3.cap.

Quid, inquit, de his quæ ſcienda ſunt neſciunt, qui ſcientem omnia vident? Sed audiamus Auguſtinum, cui multum ſæpè tribuunt non Auguſtiniani. Is libro de cognitione veræ vitæ cap. 39. Cùm animæ noſtræ aliquid ſecundum Deum deſiderāt, inquit, & hoc ſibi à Deo per ſanctos dari ſiue corde, ſiue lingua, ſiue voce poſtulant. Animę Sanctorum non vocis clamorem ſed cordis audiunt, & ſe fideliter inuocantibus ſubueniunt. Quo loco diſputat, quomodo animę ſanctorum intelligantur preces viuentium audire & eis patrocinari. Idem de cura pro mortuis gerenda cap.16. Et in Pſalmo.108.cap. Quæſtio, inquit, iſta intelligentiæ meæ vires vincit. Quemadmodum opitulentur Martyres his quos per eos certũ eſt adiuuari. Vtrum ipſi per ſeipſos adſint vno tempore tam diuerſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſiue vbi ſunt eorum memoriæ ſiue pręter ſuas memorias vbicunque adeſſe ſentiuntur: An ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omnium mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium (ſicut nos oramus pro mortuis Auguſt.

qui-

quibus vtique non prę ſentamur,nec vbi ſint vel quid agant ſcimus) Deus omnipotens qui eſt vbiq; præſens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces per angelica miniſteria vbique diffuſa,prębeat hominibus iſta ſolatia,quibus in huius vitæ miſeria iudicat eſſe præbenda. Et ſuorũ merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximè per eorũ memorias(quoniam hoc nouit expedire nobis ad ędificandam fidem Chriſti pro cuius confeſsione ſunt paſsi) mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate commendet. Res, hæc altior eſt,quam vt à me poſsit attingi,& abſtruſior,quam vt à me valeat perſcrutari. Quemadmodum ergo ſacris literis teſtantibus nouimus Angelos non ſolum videre faciem Dei in cælis,Mat.18.verumetiã res noſtras inſpicere atque adeo etiam cognoſcere vt ex ſalute noſtra afficiantur gaudio Luc. 15.multaque ſcire(imò, ſi verum Schiſmaticorum axioma eſt; nihil niſi quod in Sacris literis eſt expreſſum credendum eſſe,omnia ſcire præter extremi iudicij horam:quoniam hanc eos neſcire ſolũ in S Scripturis expreſſum eſt)&ad nos deferre,quę intellectus noſter,ſine illis indicibus comprehendere hîc nequit, vt diuinus ille Dionyſius de cælesti Hierar.4.ca.docet:ita quoq; ſanctorum ani
mas

mas exutis corporibus ab eodem Scientiæ fonte omniũ ſciendorum noticiam potare quo Angeli, rectè credimus. Nã animas ſanctorũ in regno Dei ęquales fore Angelis, ſiue ſicut angeli ſunt ſic futuras eſſe & animas, Deus & tam animarum quam angelorũ dominus cum hîc nobiſcum degeret, teſtatus eſt, Mat. 22. Et ſicut non inquirimus quomodo ſciãt angeli quod ſciunt, ita neq; hoc volumus inueſtigare, quo modo intelligant ſanctorum animæ ea quæ certum eſt intelligere: quoniam à patribus quæſitũ hoc quidem, ſed nõ inuentum eſt, Auguſtino teſte. Hæc ſi minus tibi ſatisfaciunt, & adhuc modum quo ſancti noſtra intelligant inquiris, ad fratres tuos, citerioris Pomeraniæ Cenſores, hoc eſt, Grypſuualdenſis Academiæ Rectorem, ſuperattendentes, doctores, paſtores ac miniſtros, abi, de hac re docendus. Illi enim in ſubſcriptiõe nouæ illius ſaxonicarum Eccleſiarũ Confeſsionis Vuitenbergæ An. M. D. LIX. excuſæ palam ſe teſtari atque affirmare neſcio quid aiunt coram Deo & omnibus ſanctis eius. Haud dubiè ſanctos in hanc affirmationem tam ſacræ rei nõ aduocaturos credo, niſi noſtra cognoſcere profiterentur. Ideoq; expreſſe ponunt ſanctos in cœlo & in terra.

Tertia obiectio eſt à patris in nos ſumpta dile- *Obiectio tertia.*

dilectiõe: Si Deus pater noſter, q̃d, inquis de eius in nos dilectiõe dubitamus. Et: Quantum creator Deus excellit omnes creaturas, tantum quoq; charitas Dei erga vos omniũ ſanctorũ dilectioni præſtat. Ergo Deus inuocãdus eſt dimiſsis ſanctis in cęlo cũ Deo.

Refutatio. Et quis neſcit Charitatem in nos Dei, niſi qui ipſe à Charitate Dei iam excidit? Egregij ſanè Theologi acuta argumentatio eſt: Charitas Dei in nos maxima eſt, ergo interceſſore apud eum opus non eſt. Hoc eodem argumento olim gentiles aduerſus Chriſtianos vſi fuerũt: Quid, inquiebãt, neceſſe fuit mediatore Chriſto ad Deũ pro delẽdis delictis veſtris, cuius tantã in vos prædicatis dilectionẽ? Vltrò enim & ſine ſatisfactiõe pẽccata remittere, in gratiam recipere, ac beneficiũ ſe erga vos potuiſſet, pro tãta ſua in vos Charitate, oſtendere. Sed hæc eſt ſtultitia (dixiſſem) Sapientia verbi veſtri, qua Crucẽ Chriſti euacuare contenditis, & nihilo minus belli euſdẽ Crucis prædicatores videri. 1. Cor. 1. cap. In hac ſubmerſi ac perditi ebulliunt, quæcunq; ad tollenda ſalutis noſtræ media proferunt. Nihil Sacramẽta Eccleſię, nihil orationes, nihil Sanctorũ communio nihil templa, nihil etiam verbum Dei, nihil conuentus ad ſalutem conſequendam faciunt: quoniam Dei charitas in nos magna eſt.

Ex ea-

Ex eadem,inquam ciſterna hęc omnia emanant. Sed Deus qui nos creauit ſine nobis, non ſaluat nos ſine medijs: vt quemadmodum Charitas & amor eius in nos, ita etiam prædicetur iuſtitia eius.

Hinc quædam nullo medio,plurima vero per conueniētia perficit media. Et quod ad pręſentem materiam pertinet cũ omnia diligit quę ſunt,& nihil odit eorum quæ fecit, Sap.11.diligebat amicos Iob. Nunqd cũ iratus illis fuerat,remiſit illis noxam,ſine interceſſore?Iratus eſt furor meus, inquit,in te & in duos amicos tuos: ſumite ergo vobis ſeptem tauros &c. Iob aũt ſeruus meus orabit pro vobis:faciem eiu s ſuſcipiam.vt non imputetur vobis ſtultitia. Iob.40. Diligebat Dominus Abimelech regem, ſed nunquid recõciliatur ei ſine interceſſore?Redde viro vxorem eius,inquit, & orabit pro te,Geneſ. 20.Et vt de nouo etiam Teſtamento exemplum addam: Diligebat Dominus Paulum, &omnes eius actiones dirigebat,per eum in multis terris verbum ſuum diſseminabat. Vide tamen quoties Paulus aliorum pro ſe ac pro curſu Euangelij interceſsione efflagitat,Rom.15.&.2. Corinth.1.cap. & Philip.1. cap.& in multis locis. Hinc Dominus Ezec. 22.capite. de eiuſmodi medijs atque interceſſoribus conqueritur: Quæſiui,inquiens,

virum

virum in eis, qui interponeret ſepem & ſtaret oppoſitus pro terra ne diſsiparem eam, & nō inueni. Hinc licet ſcriptum eſſet Pſal. 86. diligit dominus portas Syon, ſuper omnia tabernacula Iacob. Propter mediatorē tamē Dauid iā vita defunctum protegit, quam dilexit ciuitatem, Iſa. 37. Protegam, inquit, ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me & propter Dauid ſeruum meū. Vidéſne quomodo voluntati ſuæ atque dilectioni quam habebat erga ciuitatem illam coniungit & Dauidem? Tam enim propter Dauidem quā propter ſemetipſum ciuitatem vult protegere. Sed miror quoniā tantū tibi pollicearis de patris in te dilectione, cur non etiam Chriſtū neges pro dilectis orare patrē, quū ipſe Apoſtolis ſuis loquēs egat ſe pro ipſis patrē oraturū, eò quod ipſe pater eos amet, Sed eſt cur hoc non auſis. Nihil ergo etiam hac obiectione tua agis aduerſus nos. Sed & quę ex pſalmis adfers de inuocando Deo, ſine te monitore, ante nouimus nec opus eſt, vt nunc demum eius admoneas.

Ad ipſum enim Deum oratio Sacerdotis dirigitur, cum ad altare Dei in Sanctorum Eccleſia, Sanctorum memoriam celebrat: Tu, inquit, domine memento eorum qui tibi placuerunt: tu præſta (non illi ſed tamen illorum quoq; precibus) vt in omnibus tuæ

(non

(non illorum, quanquam & propter illos) protectionis muniamur auxilio.

Quarta & vltima obiectio eſt: nullus vel angelus vel ſanctus ſuſtinuit ſe inuocari in terris: & adductis Angelorum exemplis ex Apocal. Pauli quoque & Barnabæ ex actis Apoſtolorum, qui in Lyſtris diuinos honores ſibi impendi non ſunt paſsi, tandem ex Matth. concludis, qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, hic eſt frater meus, & ſoror, & mater. *Obiectio quarta.*

Primò hîc dolum ſtruis, in eo, quod cùm probare debebas, neq; angelum, neq; Sanctum ſuſtinuiſſe ſe in terris inuocari, in probationem aliud quidpiam adducis, nempe, non quæ de non inuocando, ſed quæ de non ADORANDO teſtantur. Et quidem inuocari atq; adorari diuerſa ſunt. Neque enim ſtatim is inuocat qui adorat: nec contra qui adorat inuocat. Supra autem dixi de Paulo Apoſtolo, atque idem nunc etiam repeto, quod alios per literas rogauit, vt Romanos, Corinthios, & Philippenſes, vt pro ſe ad Deũ orationibus intercedant quo modo etiam nos Sanctos rogamus, vt & ipſi pro nobis intercedant. Hoc rogare ſi tu inuocare dicis, ſolius Pauli exemplum te mendacij arguit, qui dicis nullum ſanctũ permiſiſſe ſe adorari. Quoniam & Pau- *Refutatio.*

lus eo modo alios inuocauit, & quos ita inuocauit, ij ſe eo modo inuocari, & quidẽ ab Apoſtolo libenter paſsi ſunt: Si vero inuocare pro diuinũ honorẽ creaturis impẽdere accipis: nemo noſtrũ ita ſanctos inuocat, vt diuinũ illis honorẽ impẽdat, propterea grunitu tuo & calumniã pijs ſtruis & iniuriã im merẽtibus malicioſè facis. Neq; enim vnicum exemplum tu tuiq; oẽs proferre poteſtis, talem vllam vnquam à pijs Catholicis Sanctis impenſam inuocationem: etiam ſi rumpantur ilia tibi. Cæterum ſi dicere adhuc audis nullum vnquam ſanctum aut Angelum ſuſtinuiſſe ſe adorari in terris, Id quod voluiſſe te, per te adducta exẽpla indicant, manifeſtum dicis mendacium. Nam & Angeli & Sancti paſsi ſunt ſe hîc ab alijs adorari. Abraham enim & Ioſue adorauerunt Angelos, Geneſ. 18. Ioſuæ 5. & Angeli paſsi ſunt ſe ab illis adorari. Nabuchadonoſor adorauit Danielem, Daniel. 2. Berſabæa regem Dauid, 3. Reg. 1. Nec iota quidem vnum in Sacris literis huiuſmodi adorationẽ vetat aut arguit. Verum quod angeli non ſuſtinuerunt ſe ab Ioanne adorari, factũ eſt iam ſublata in cœlum per Chriſtum humana noſtra natura, quã in non admittendo adorationem honorati ſunt Angeli. Et in Lyſtris recuſarunt Apoſtoli Bar-

nabas

nabas & Paulus non adorationem, de qua nulla ibi ſit mentio, ſed immolationem, & diuinos honores, quales Dijs gẽtium ſolebant impendere: & quales nullus pius vel Deo vel Dei miniſtris vnquam vel impendit alijs, vel ſibi ſuſtinuit impendi ab alijs. Sed audi non me ſed ipſum Auguſtinum ad maximum Madaurenſem, Epiſtola 44. ſic ſcribentem: Ne te hoc lateat, inquit, & in ſacrilega conuitia imprudentẽ trahat, ſcias à Chriſtianis Catholicis quorũ in veſtro oppido etiam Eccleſia conſtituta eſt, nullũ coli mortuorum, nihil deniq; vt numen adorari, quod ſit factum & cõditum à Deo, ſed vnum ipſum Deum, qui fecit & condidit omnia. Et de vera religione cap. 55. Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia ſi piè vixerint, non ſic habent? vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſeruos. Honorandi ſunt propter imitationem, nõ adorandi propter religionem. Et mox: Honoramus eos Charitate, nõ ſeruitute. Et cõtra Fauſtũ lib. 20. cap. 21. Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorijs Martyrũ conſtituimus altaria. Pulchrè etiã Theodoretus lib. 8. de Græcorũ affectionũ curatione, Eccleſiã intẽtati idololatriç criminis excuſans:

Auguſtinus.

Theodoretus.

Nos eos, inquit, qui illuſtri pietate viguerūt, proq́; ea iugulati ac cęſi ſunt, & auxiliares & medicos nominamus, & non dæmones vocamus. Abſit à nobis, abſit hic furor. Sed amicos Dei, fidelesq́; ſeruos fuiſſe dicimus, dicēdi libertate maximè vſos, dum certiſsimū bonorū prouentū nobis prænunciarēt. Vides ſanctiſsimos patres, quorū calceos ſoluere, ꝑ ea quę in ipſis & ingens pietas & in omni genere doctrinarū multifaria eruditio in toto Chriſtiano orbe cū omniū ſtupore venerāda emicuit, neuter ſatis dignus erit, vt Sanctorum interceſsionem, inuocationéq; cum verbo tum exemplo docuiſſe, ita ne eadem vel interceſsio inuocatióue in abuſum idolatriámue aliquando abiret, diligentiſsimè cauiſſe? Etenim hæc Auguſtini, Theodoreti, aliorūq́; plurimorū doctrina de vero legitimoq́; diuorū cultu ſemper in Eccleſia Catholica ſonuit, & omnibus diligēter audita cuſtoditaq́; fuit. Quam ob rem ne hac quidem obiectione quicquam contra Eccleſiam effeceris. Cæterum quod aliquoties repetis, Sanctos hoc à nobis exigere, atq; in eo bonā partem cultus eorum cōſiſtere, vt ſe imitemur, eorumq́; veſtigijs inſiſtamus, hoc vt tu nobiſcum facias hortamur, atq; adeo monemus. Illi Deum ardentibus votis pro ſua omniumq́; ſalute orauerunt:

runt: illi ſibi in orationibus ſuis etiam ſanctorum preces interceſsioneſque adiunxerunt, & collectis myſtici corporis, quod eſt Eccleſia, membris, Deum citius exauditurum, & ſicut ab omnibus rogaretur, ita & vniuerſis magis impenſe benefacturum crediderunt. Vade & fac tu ſimiliter & viues.

ARTICVLVS NONVS DE SAcrificio & oratione pro Defunctis.

DIctum eſt igitur ſuperioribꝰ, ſeptimo atq; octauo, articulis, de cauſis ac rationibus, quibus neceſſario perſuaſa Eccleſia Chriſti Catholica memorias cum merita laude ſanctarũ animarũ in ſacrificio noſtro frequentat, eoſq; tanquam triumphantes iam atq; in cœlo cũ Chriſto ac Deo regnantes, vt pro ſuis militantibus hac in vita commembris, vt ita dicam, cõmunem patrem ac Deum orent precatur: Reſtat (quoniã ita importunitas tua, *Articuli*
Iacobe, à nobis efflagitat) deinde iam cau- *huius ma-*
ſas inquirere, cur eadem per ſacrificium ſu- *teriæ.*
um Eccleſia in tremendis ſalutis noſtræ myſterijs ad aram pro alijs quibuſdã tertij ordinis commembris eundem Deum ac pa-

 trem

trem interpellat,vt qui hinc diſceſſerũt, nec ſatis aperta ſalutis ſuę teſtimonia poſt ſe reliquerunt,votis precibusq; communibus citius obtineant,quod, dum hic viuerẽt, beatis in altera illa vita præparatum ab initio, ac promiſſum regnum & crediderunt & experiuerunt: ſed quia anguſta illic porta & arcta via eſt, Matth. 7. Luc. 13. cameli gibbo mundique huius moleſtia grauati impeditiq;, nondum (quantum nos quidem iudicamus) introierunt,Matt.19. Luc. 18. Horum enim cauſa precatur per Sacerdotẽ Eccleſia his verbis ac modo: Memento, inquit,Domine famulorum famularũq; tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei,& dormiũt in ſomno pacis: Ipſis domine,& omnibus in Chriſto quieſcẽtibus locum refrigerij, lucis, ac pacis vt indulgeas precamur, per Chriſtum dominum noſtrũ.

Oratio Eccleſia.

Hæc ipſa oratio quoque ne Miſſæ ſacrificio intereſſe homines tui velint poſsíntue, ſatis magna (tuo iudicio) cauſa erit. Quam ob rem defendenda ea aduerſus tuos ſycophãtæ morſus eſt,& per te adductæ ratiões,corrupti iudicij tui iudices, confutandæ ſunt. Atque ne quid horum te lateat, conſtanter aſſerimus, ſanctas piorum animas non modo precibus ad aram, verumetiam ipſo Sacrificio alijsque pijs operibus adhibitis per

Propoſitio

nos,

nos,in hac vita etiamnum conſtitutos, adiuuari. Quod vt manifeſtum fiat,tria circa hanc rem conſideranda ſunt præcipuè. Primò cur pro defunctis orationem ſacrificiumq; & alia faciamus. Deinde quid ſit illud quod illis precando ſacrificandoque obtinere intendimus. Tertio cuius merito dignitateq; illud ipſum illis obtineri poſſe arbitremur,credamusq;. *Tria in iſta oratione cōſideranda.*

Ac de primo quidem conſtat nos nō pro quibuslibet hominibus qui hinc diſcedunt orare ſacrificareque,ſed pro famulis famulabusq; Dei. An fortè tua quid cenſura dignum,tàm acri,hoc in facto latet? Sed proferemus cauſas facti huius noſtri,easque ex ipſis ſacrarum Scripturarum fontibus petitas: quarum prima hæc eſt. Conſtat enim nihil immundum nihil coinquinatum intrare in illam cœleſtem patriam. Epheſ. 5. Apocalyp.22. Sed experientia docet, multos credentes ſub fidei ſigno hîc decedere, qui quidem pro mortalis peccati reatu (vt quorum nulli ſint obnoxij) quantum quidem Eccleſia indicare poteſt, æternûm dānari non debeāt: nihilominus tamē venialiū delictorū cauſa (ſine quibus mortalis infirmitas nō eſt) à vitę æternæ introitu arceantur. Maculæ enim ſunt (venialia etiam) morientibus adhærentes, de quibus *Non pro quibuslibet defunctis orat Eccleſia.* *Cur precemur pro piè defunctis, prima ratio.*

1. Ioan. 1. dicitur. Si dixerimus quoniã peccatũ nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt. Neceſſe eſt igitur poſt hanc vitam aliquam eſſe remiſsionem peccatorũ, qua in fide Chriſti hinc decedẽtes, penitus ab omni macula purgati, regnũ Dei introire poſsint. Altera cauſa, eſt huius ratiocinationis confirmatio. Chriſtus enim Matt. 12. docens ait: Quicũq; dixerit verbũ cõtra filiũ hominis, remittetur ei, qui aũt dixerit cõtra Spiritum ſanctũ, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Quo ſanè loco ipſa veritas manifeſtè docet, in alia vita reſtare remiſsionem peccatorum: quandoquidem ſolum peccatum in ſpiritũ ſanctũ tàm differenter ab eadem remiſsione excludit, vt quod ſolum illic non remittatur. Et certè hoc ſenſu hunc locum acceperunt Maiores noſtri, quorum teſtimonia poſtea referemus. Nec poteſt hic locus aliter intelligi niſi quis peccatorum remiſsionem etiam in hac vita, negare velit. Eodem enim modo ac pari conditione os domini Dei noſtri remiſsionem peccatorũ prædicat, de hoc atq; futuro ſeculo, dicens: Neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro: imô quod magis eſt, ego quidé ab hac futuri ſeculi remiſſione peccatorum, ne mortalium quidẽ delictorũ veniam excluderem, niſi alia S. Scri-

Secunda ratio.

pturæ

pturæ teſtimonia horũ pœnam, æternũ irremiſsibiliter duraturam, clamarẽt. Tàm clarum tàm expreſſum hoc Chriſti de ea re eſt teſtimoniũ, vt non magis hîc quàm illic peccata dimitti, credi poſsit. Tertia cauſa eſt: quod 1. Ioã. 5. ſcriptum legimus: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Præceperat Ioannes hoc loco, vt alij pro alijs oremus. Atq; ab hac orationis intentione excipit peccatum ad mortem per quod omne mortale peccatũ in genere intelligitur. Iam ſi hoc Apoſtoli præceptũ de hac vita quis velit intelligere, neceſſario idẽ dicet, in hac vita non eſſe orandũ pro mortali peccato: quoniã cùm pro omni peccato orandum eſſe præcipiat Apoſtolus, pro mortali tamen orare vetat: aut certè, vt pro eo oremus non dicit, tanquam irremiſsibili. Sed ſic Ioannes manifeſtè pugnaret cum Chriſti teſtimonio dicentis Matt. 12. Omne peccatum remittetur hominibus. Non ergo de hoc ſeculo præceptum illud Apoſtoli intelligi debet. Poteſt verò de futuro intelligi. Nam cum peccatorum in futuro ſeculo remiſsionem prædicamus, ab ea tamen remiſsione venialium mortale peccatum excipimus, vt quod hominem à Deo deique gratia ſeparat, & cuius hîc remiſsio impetrãda eſt, quia in futuro ſeculo nox il-

Tertia ratio.

la eſt, in qua nemo per ſeſe operari poteſt, Ioan.9. *Quarta ratio.* Quarta cauſa eſt, exemplũ Chriſti deſcendẽtis ad inferna & liberantis inde, ſecũq; ad cœleſtia ducentis animas beatorũ. Etenim ſi generale eſt axioma veſtrũ: poſt hanc vitam non eſſe remiſsionem peccatorum (hæc enim ratio eſt, cur orandum pro defunctorum animabus negatis) ad oẽs & omnia tempora pertineat neceſſariũ eſt. Quod ſi ita eſt, Iam ne ipſe quidem Chriſtus habens imperium mortis, animas liberauit, hoc eſt, à peccato eiuſq; effectib⁹ præſens abſoluit. Sed hoc dicere nefas eſt. Non ergo generale eſt axioma illud: quoniã aliqui aliquo tempore poſt obitum in altero ſeculo à peccato peccatique pœna abſoluti ſunt. Quod ſi cõceſſeris mihi, tunc quidem per Chriſtum præſentem animas liberatas fuiſſe: non autem nũc liberari pertinaciter aſſerueris, hîc peto cauſas rationesq́; oſtendas mihi, cur exiſtimes quod factũ eſt ſemel per Chriſti præſentiam, non fieri modo etiã per eiuſdem ſeruatoris meritũ ad Eccleſiæ Catholicæ orationem, quæ quoniam Chriſtum nouit ſemel poſt obitũ animas ê tenebris in lucẽ trãſtuliſſe, quod videt in capite factũ, faciendũ exiſtimat & reliquis in hac vita mẽbris: Quoniam vnius corporis mẽbra vnũ ſentire ac facere cũ ſuo capite, eodemq́;

demq́; modo pro ſuo modulo erga defunctorũ animas affici corpus quo caput, æquũ eſt. Quinta cauſa eſt, teſtimoniũ Epiſtolę ad Hebr. 10. cap. qđ in ſacrificijs ſiue inter ſacrificandũ apud Iudęos cõmemoratio peccatorũ per ſingulos annos facta ſit. Hic ſi Iacobe in hac vita viuentiũ peccata tantũ cõmemorata dixeris, non aũt eorũ, qui prius diſceſſerũt, expreſſum aliquod Scripturæ ſacræ teſtimoniũ proferre, te tuoq́; axiomate dignũ eſt. Sed arguet te hãc cõmemorationem peccatorũ iſtius populi exponens Baruch propheta. 3. cap. vbi expreſſe & ipſe pro defunctorũ peccatis orat, & ita orat, vt quaſi ipſi defuncti cũ viuentibus orare videantur. Domine Deus omnipotẽs, inquit, Deus Iſrael audi nunc orationẽ mortuorũ Iſrael & filiorũ ipſorũ, quia peccauerũt ante te, & nõ audierũt vocem domini Dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala. NOLI MEMINISSE INIQVITATIS PATRVM NOSTRORVM, ſed memẽto manus tuæ, & nominis tui in tẽpore iſto. Adde (quod ad noſtri ꝓpoſiti cõfirmationẽ attinet) etiã Iudęos pro ſuorũ quoq; defunctorũ animabꝰ oraſſe. Id quod Scriptura videtur aſtruere, 2. Reg. 1. vbi Dauid & oẽs qui cũ ipſo erant planxiſſe, fleuiſſe, atq; vſq; ad veſperam ieiunâſſe legũtur ſuper Saul & Iona-

Quinta ratio.

Ionathan interfectos, ſuper populum Domini & ſuper domũ Iſrael, eo quod corruiſſent gladio. Hæc omnia ſi rex populusq́; ad ſuum tãtum merorem ſignificandum fecerunt, & non magis, vt defuncti aliquid vtilitatis inde conſequerentur, indigna rege populoq́; erunt. Sexta cauſa eſt expreſſum

Sexta ratio.

teſtimonium tàm de orãdo quam de ſacrificando 2. Machab. 12. At verò, inquit Ioſephus (author libri huius, teſte Hieronymo in Dialogo cõtra Pelagij hæreſim lib. 2. Epiſtola 16.) fortiſsimus Iudas hortabatur populum, conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis videntes, quæ facta ſunt pro peccatis eorum, qui proſtrati ſunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argẽti miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorũ, benè & relioſè de reſurrectione cogitans. (Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quod ſi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Hóc teſtimonium, inquis, nos non ſuſcipimus. Quid tum verò? Recepit ſine vobis Eccleſia Catholica, nec veſtra nos tergiuerſatio magis terret, quam quod Ioan. 4. ſcri-

riptũ eſt,quod non cõmittuntur Iudæi cũ
maritanis.Et præcedenti Articulo de ho-
m librorum authoritate latius annotaui.
ui Eccleſiæ filius eſt, matris vocem agno-
it,ac ſequitur iudicium. Septima cauſa *Septima*
t,quod Satan,qui Apocalyp. 12.accuſator *ratio.*
atrum noſtrorum eſſe deſcribitur, nos nõ
lum in hac vita perſequitur, & à ſalute re-
oratur, verumetiam ipſum Deum & no-
en eius & tabernaculum eius, & denique
s qui cum Deo in cœlo habitant, blaſphe
at,Apocalyp.13. haud dubiè multo id ma-
s aduerſus eos facit & accuſando & blaſ-
emando, qui relicta ac depoſita hac ter-
ſtri domo, iter ad patriam illam supernã
greſsi ſunt. Verum cũ Apoſtolus nos ar-
aturam Dei induit,Epheſ.6.& vult vt re-
tamus aduerſario, qui haud dubiè illic
oq; & multo maximè circuit, 1. Pet. 5. tã-
am princeps tenebrarum in cœleſtibus.
heſ.6.cur non vteremur oratione ea quę
fide eſt, & alijs ſpiritualis armaturæ in-
umentis aduerſus fratrum noſtrorum ho
m,etiam illic,vbi ipſe eos quàm maximè
oritur in via,& fortè ſæpè non ſatis arma-
?Scilicet Satanæ quam Chriſtiani homi-
melior erit conditio, & aduerſariorũ ac-
ſatio apud humani generis redemptorẽ
riſtum IESVM plus valebit,quam do-
meſtico-

meſticorum oratio,hoc eſt,ſuperabit diabo lus accuſans ſpiritum Chriſti inenarrabilibus gemitibus poſtulantem in nobis pro fratribus: Abſit: His omnibus addo etiam

Octaua ratio.

octauam cauſam ex propheticis ſcripturis ſumptam.Iſaias enim cap. 57. cum piorum mortem viuis lugubrem eſſe dixiſſet,continuo defunctis pacem & requiem precatur, inquiens: Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulauit in directione ſua.Quo certè loco ꝓphetica authoritate docemur, non modo orandum eſſe pro defunctis, verum etiam qua forma quóue modo orandum ſit:hoc eſt,quid quibus precari debeamus.Vt fruſtra obganniat ſchiſmaticus,tale quid in ſacris Scripturis extare improbe negans.Has octo igitur fidei ac facti Eccleſiæ Catholicæ,pro defunctorum animabus Deo & ſupplicantis & ſacrificantis, idq; ſe ad emolumentum earundem facere indubitanter credentis motiuas rationes, concludens Salomon,Eccleſiaſt. 7. A mortuo, inquit, ne prohibeas gratiam. Et hæc quidem hactenus, ad oſtendendum, non ſolum quibus cauſis hæc Chriſtianæ pietatis officia defunctorum ſpiritibus impendamus in Eccleſia Catholica,verum etiam qui ac quales ſint illi,pro quibus & ſacrificamus & ſupplicamus communi Deo ac patri noſtro,

ſtro, quos Sacerdos deſignās dicit: Memen to famulorum famularumq; tuarum.

Secundo loco, quid ſit illud quod litando precādoq; &c. defunctorum animabus obtinere intendimus. Petimus autem vt fiat motus in animabus, & vt de loco miſeriæ transferantur in locū beatitudinis. Et beatitudo quidē hæc conſiſtit in quatuor fælicitatibus: in memoria Dei, in refrigerio, in luce, in pace. At memoria Dei, cauſa triū poſteriorum eſt. Propterea Liturgus principio orat, dicens: Memento Domine. Dicamus ergo de ſingulis ordine. Et quidē in Deo nō oportet cōſtituere. Memoriā qualis eſt hominū. Sed loquimur humano more homines de ijs rebus, quas in nobis ipſis experimur. Apud Deū enim non eſt transmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Iac. 1. Vnde ipſe per Prophetam, Malach. 3. dicit: Ego Deus & nō mutor. Vnico enim atq; perpetuo intuitu nouit præterita præſentia & futura: Nec eſt illi remotum ac propinquū aliquid, cū ſit oīa in omnibus, replés cóplensq; omnia ipſe incópræhenſibilis. Tunc aūt dicitur meminiſſe, quando cum effectu operatur in rebus creatis. Itaque cum poſtulamus, vt meminiſſe velit famulorum famularumq; ſuarum, hoc petimus, vt efficaciter per gratiā ſuam oſtendat, ſe eos pro ſuis agnoſce-

Quid litando precandoq; pro defunctis petimus.

Memoria in Deo.

agnoſcere, eorumq; patrem ac Deum eſſe, quos hîc ſemel in filios ſuſcipere dignatus eſt. Sic Ezechias orauit, Iſai. 38. cap. Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonū eſt in oculis tuis fecerim. Qua oratione hoc petit, vt in reſtituendo amiſſam ſanitatem, declaret, quo & alij intelligant, quàm gratam habeat veritatem, & cor perfectum. Sic Pſal. 105. Meméto noſtri Domine in beneplacito tuo. Etenim Dei memoria de nobis initium eſt noſtræ ſalutis, ſicut Pſal. 86. promittit: Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me. Et Exodi 33. Noui te ex nomine. Ioā. 10. Cognoſco meas. De quibus ſcriptum eſt, 2. Timoth. 2. Cognouit Dominus qui ſunt eius. Contra verò Pſal. 15. dicit: nec memor ero nominum eorum per labia mea. Et Matthei 7. Nunquam noui vos.

Locus refrigerij.

Deinde precatur vt locus refrigerij illis detur, hoc eſt vt in refrigerij locum transferantur. Hîc, iam, priuſquam de qualitate locorum eorū dicam, quæritur, an aliquem motū ſiue trāſlationem à loco in locum, vel ſacerdotem à Deo petere, vel Deum præſtare æquū atq; S. literis conueniens ſit.

An anima ſeparata moueatur localiter.

Ad quod illud ſanè reſpondeo quod Luc. 16. de Lazaro Chriſtus teſtatur, dicens: & portabatur ab Angelis

lis in ſinum Abrahæ. Ex quo loco conſtat animam de loco in locum moueri. Verum nè hîc dicas, hunc ſolum motum in animabus fieri, quo ex corporibus mouentur vel in ipſum cœlum vel in infernum: poſtea vero nullum amplius reſtare motum: per exempla demonſtrandum eſt, etiam alios motus præter primum illum generalem à corporis termino fieri, idq; hominum cauſa & mediãtibus hominibus in hac terra. Teſtatur enim 3.Reg.liber cap. 17. Heliam prophetam (hominem paſsibilem ſimilem nobis, Iacob. 5.) oratione ſua à Deo obtinuiſſe, vt de mortui adoleſcẽtis anima, quæ iam ex corpore primum motum generalem, ſeparata, perfecerat, ſecundo motu, rurſus ab illo termino in quem primo ſuo motu deuenerat, redierit in relictum antea corpus. Sic in nouo Teſtamento, Act. 9. legimus de Petro in Ioppe, qui flexis genibus orans à Deo impetrauerit, vt anima Tabitæ redierit in ſuum antea relictum corpus. Hæc ſunt manifeſta ſacræ Scripturæ teſtimonia, aſſerentis, piorum preces apud Deum operatorias atq; efficaces eſſe circa animas ſeparatas. Hoc enim Deus in animabus illis effecit, quod fidelis oratio Heliæ ac Petri efflagitauit. Quod ſi obijcias: Helias & Petrus quidem animas de loco in locum (ſic enim

An ſemel tantum mouetur.

Obiectio.

loquendum eſt,neq; ſanè hic diſputo quomodo anima ſit vel non ſit in loco)oratione ſua tranſtulerunt, ſed tantũ in eum locũ vbi prius fuerũt,idq; ad Dei gloriam &hominũ vtilitatẽ,nec ſequitur inde,homines ex purgatorio transferre in cœlũ. Reſpódeo. Has eaſdẽ ob cauſas etiam Sacerdos animabus locum illum refrigerij,lucis,ac pacis,precatur.Nam quod ad terminum attinet, eſt hîc locus ſinus Abrahæ, cœleſtis paradiſus, in quem homo ex terreſtri paradiſo translatus fuiſſet,ſi non peccaſſet. Erat enim pars hæreditatis eius, Dei prouidentia ab initio illi diſpoſita.Id quod Chriſtus,Matth. 25. teſtatur: Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod paratum eſt vobis ab initio Mundi: Quando igitur Sacerdos hunc locum pijs animabus optat precibusq; eum ac ſacrificio obtinere intendit, ſanè id intẽdit quod Dei ordinatione iam olim animarum erat,& quod haberẽt, niſi peccaſſent: haud ſecus quàm cũ Helias ac Petrus illis eũ corporis locum, quem prius habuerant, intendunt. Itaq; neq; à Dei ordinatione, neq; à S.ſcripturis aliquid alienũ Sacerdos petit. Nec vlla ferè diſsimilitudo in Sacerdotis & Heliæ Petriq; intentione eſt. Vt enim propter peccatum anima corpus per mortẽ relinquere cogitur,ita etiam paradyſum. Si-

Eiuſdem refutatio.

cut ergo Helias Petruſq; animas in corpus tanquam priorem locum, ita Sacerdos in paradyſum itidem priorem habitationé orando deuocant: vtriq; ſecundum Dei bonam voluntaté. Adde etiam ſecundo loco, quod Sacerdos priorem refrigerij lucis & pacis locum animabus obtinere intendens, non minus fidem in hominibus confirmat potentiæ beneuolentiæq; Dei, quàm Helias aut Petrus. Orando etenim pro ſe atque vniuerſa Eccleſia teſtatur, nos immenſitatem incomprehenſibilitatemq; Dei profiteri, ac cum Propheta dicere: Pſal.138. Quo ibo à Spiritu tuo & quo à facie tua fugiam. Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum ades. Si aſſumpſero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris, etenim manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Nempe qui aĩos ex ſeculo in ſeculum deducere, ad Apoſtolorũ prophetarũq; petitiones, poteſt, idé ille Deus eaſdem aliáſue in altero ſeculo ad Catholicæ Eccleſiæ (quæ ſuper fundamentũ Apoſtolorũ & Prophetarũ ædificata eſt) preces, de loco in locũ, de malo in bonũ, deq; bono in melioré traducere poteſt. Vt enim vterq; motus ſupernaturalis eſt, quo illic de vno in alterũ, vel quo inde in hũc mouẽtur, ita vterque Deo Opt. Max. æquè poſsibilis atq; fa-

 cilis

cilis eſt,& æquè obtineri poteſt. Deniq; ſic orantes nō modo animarū hominúmue ſalutē,aut fidem,verumetiā Dei operantis honorem & gloriam quærimus,eodemq́; modo,quo propheta atq; Apoſtoli precando id fecerunt. Hæc enim gloria Dei,hic honos illius eſt,prædicare & collaudare, quod eius maieſtati omnia nuda atq; aperta ſint, omniaq́; viuant, & quod potentiæ eius omnia
Hebr. 4. ſubiecta ſint. Quem honorem illi cū Chriſto tribuimus meritò, dicente: Deus nō eſt Deus mortuorū,ſed viuorum,Luc.10. Omnia enim illi viuunt. Quam ob rem cum Eccleſiæ oratio,quam per Sacrificum ſuum ad altare in tremendis myſterijs peragit, tàm vniformis ac cum prophetę Apoſtoliq́; precibus tàm conſentiens ſit,ſanè nemo Eccleſiæ orationem reprehenſione dignam iudicabit,qui Prophetæ ac Apoſtoli preces ratas habet, cum vtrinq; ſimilis finis, formaq́; ſit atq; intentio. Imò maius aliquid dico: affirmans Sacerdotis preces,quibus locū refrigerij lucis ac pacis animabus impetrat, magis cum Dei voluntate conſentire quam vel Prophetæ vel Apoſtoli orationem, qua regreſſū animarū in corpus relictū exoptāt. Ratio eſt,quod Deus locum illum,Sacerdotis oratione deſignatum,ab æterno deſtinauit animabus incolendum, & vult vt eundē obtine-

obtineant: quam Dei voluntatē vocare ſolemus antecedentem, Sed ſeparatas animas ante magnum illum iudicij diem in relicta per mortem corpora redire, ſimpliciter loquendo, non vult: alioqui enim non ſeparaſſet: Nihilominus tamen id ipſum cum volũtate Dei fit, ſed conſequēte, vt loquimur: non per ſe, ſed propter quid, hoc eſt, vt magnificetur Deus in operibus manuum ſuarum, per eos, qui hæc ita facta vel coràm viderũt, vel poſtea audiuerunt & crediderũt. Si enim voluntas perpetua Dei eſſet, ſeparatas aĩas redire in corpora, videretur dicendũ, Dei volũtate nõ fieri ſeparationē. Vt ergo ea quæ abſolutè ꝓpter ſe, nõ alterius cauſa fiunt nobiliorà perfectioraq; ſunt, quam quæ propter quid aliud, ita Sacrificãtis oratio qua ſeparatis animabus æternã in cœlis requiem, ſecundũ æternam Dei voluntatē, obtinet, antecedenti volũtati Dei cõformē ſeſe reddens, perfectior eſt, quam Prophetę Apoſtoliq; preces, qbus regreſſum animabus in relicta corpora, ſecundũ conſequentē Dei voluntatē, exoptat. Quo enim ꝓpinquior res quępiam ſuo fini fit, eo perfectior eſt. Verũ ne quis hæc me ex cerebro ꝓprio ſine ſacrarũ literarũ fundamento dicere arbitretur, conſideret diligens harũ rerũ arbiter, an nõ Apoſtolus quoq; Philip. 1. in hāç

voluntatis Dei differentiam ſuo ipſius exẽplo reſpexiſſe videatur, cum ait: Quid eligã ignoro. Coartor autem è duobus: deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum & gaudium fidei. Hoc loco oſtendit Paulus melius eſſe à corpore ſeparari, & eſſe cum Chriſto, ſecundum antecedentem Dei voluntatem: ſed neceſſariũ manere in corpore propter alios, ſecundum conſequentem voluntatem Dei. Hæc enim ordinatio Dei eſt, vt anima non niſi corpore ſemel relicto ſaluetur. Ex his manifeſtum fieri arbitror, animas in altero ſeculo à bono in melius moueri, rectius dici ac peti, quàm ſi petamus, eas ex iſto in hoc ſeculum redire denuo in relicta ſua corpora. Non quod velim damnatas ex inferno moueri in ſalutis locũ, hoc enim eſſet cum Scripturis pugnare, ſed quia de loco purgationis in meliorem transferri credamus.

Refrigerium. Itaq; his ita poſitis videndum eſt de termino ad quem. Et hic primus dicitur locus refrigerij. Admoueamus ergo lydium lapidem S. ſcripturarum. Certè Actor. 3. Petrus concionatur de temporibus refrigerij.

In

In quo iuſtus poſt deceſſum conſolatur, dicente Salomone. Sap.4. Iuſtus ſi morte præoccupatꝰ fuerit, in refrigerio erit. Sed diuiti epuloni negatur hoc ipſum, quantũlibet efflagitet, Luc.16. Et impij homines, quoniã illuc ſe peruenturos deſperant, eſſe aliquod refrigeriũ negant, Sap.2. Exiguũ & cũ tædio eſt tempus vitæ noſtræ, inquiũt, & nõ eſt refrigerium in fine hoĩs. Vide ergo, qđ iuſto poſt obitũ huius vitæ promittitur, & de quo Apoſtolus cõcionatur, quo deniq; dãnatus potiri deſiderat, idipſum refrigeriũ Eccleſiã ſeparatis animabus à Deo prece efflagitat. Quod hîc cõmittitur piaculũ? Aut quid veritati magis cõſonum, quid credenti magis conueniens, cũ S. Scripturis animarum aliquod refrigerium & credere & optare, quã contra Scripturas cũ impijs, quales in Sapiẽtia deſcribũtur, negare? Vtiq; ꝓmiſsio eius ſatis magna cauſa debebat eſſe optandi petẽdiq; ipſius. Alter terminus & fortaſſe idẽ, *Locus lucis.* eſt locus lucis. Iob 10. cap. conqueritur de tenebris poſt hanc vitam reſtantibus. Nunquid non, inquit, paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terrã tenebroſam & opertã mortis caligine, terrã miſeriæ & tenebrarũ, vbi vmbra mortis, & nullus ordo,

ſed ſempiternus horror inhabitat. Et Chriſtus Matt.22.de tenebris exteriorib⁹ loquitur. Sicut 2.Pet. 2. caliginẽ tenebrarũ quibuſdã reſeruari Petrus affirmat. Nec diſputo ſanè de tenebrarũ differentia, an eædem diuerſęúe ſint tenebræ, de quib⁹ Iob in veteri,& Chriſtus cũ Petro loquũtur in nouo Teſtamẽto. Certè quas Iob ſibimet reſtare prædixit, piorũ & in Chriſtũ credentiũ ſunt tenebrę, non damnatorũ. Eſt aũt natura hominis appetẽs lucis tàm internæ quã externę, ſicut Eccleſiaſticus cõcionatur, Eccle.11. Dulce lumẽ, & delectabile oculis videre Solem. Quam ob rem Dauid Pſal.37.conqueritur dicens: Lumẽ oculorũ meorũ & ipſum non eſt mecũ. Et Pſal.55.pollicetur ſibi poſt hanc vitam Dei Opt.Max.fauorẽ in lumine viuentiũ. Arbitror aũt hoc lumen viuentiũ illud eſſe, in quo videbitur lumẽ illud ſummum, ſecundũ promiſsionẽ, Pſal.35. Domine apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, lumen inacceſsibile, quod inhabitat rex regum & Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatẽ, pater ipſe luminum apud quẽ non eſt tranſmutatio nec viciſsitudinis obũbratio. 1.Tim. 6. Iacob. 1. Vides ergo ex his, non nihil eſſe, quod Sacris literis inſtructus Liturgus ad altare ſeparatis animabus in altero ſeculo

locum

locum lucis apud Deũ precibus ſacrificioq́; efflagitat. Participat enim hoc lumen de increato atq; inacceſsibili lumine claritatem quandam Dei, iucundam ſpiritibus defunctorum, & ob id etiam in hac vita deſideratam. Dauid in terra poſitus, hoc ſibi lumen firma fide atque expectatione promittit. Quod ergo etiam vel hic peccatum ineſt, cum Sacerdos id ipſum alijs pro officio ſuo impetrare à Deo dat operam? Aut vbi ſcriptum eſt, quod in hac vita tantum illud lumen ſperare liceat ſibiq́; polliceri, quod Dauid fecit: ſperare vero in altera vita non liceat? Audi Apoſtolum dicentem: 1. Cor. 15. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Tertius terminus eſt locus pacis, ſiue pax ipſa. De qua Dauid Pſal. 4. loquens, in pace, inquit, in idipſum dormiam & requieſcam. Hanc etiam iuſtus ille ac grandæuus ſibi ipſi extremo ſpiritu ſuo precatur Simeon, in templo ſtatim & adhuc Chriſtum in vlnis habens moriens: Luc. 2. Nicephor. libro 1. cap. 12. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Rectè id ſanè, hic enim iuſtorum locus eſt. Sap. 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi *Locus pacis.*

ſunt oculis inſipientium mori: illi aũt ſunt in pace. His Sacrę ſcripturæ teſtimonijs motus atq; inſtructus Sacerdos pacem pacíſue locum animabus defunctorum Chriſtianorum precatur. Ac ne hîc longior ſim teq́ue diutius ſuſpendam, facit hoc ille ſic precatus exemplo & forma precãdi à magno propheta Iſaia ſumpto: Iſai. 57. cap. Vbi cum præmiſiſſet, quod iuſtus perit, & nõ eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordię colligũtur, q̃a non eſt qui intelligit: à facie enim maliciæ collectus eſt iuſtus: ſtatim precem addit pro piè defunctis: veniat pax, inquit, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directiõe ſua. Quid, quęſo, hæc Prophetæ oratio differt à ſacrificantis voto? An nõ etiam Eccleſiæ defunctis bene comprecandi forma ab ipſis Apoſtolis ad nos vſq; frequentata ex hoc Prophetæ loco deſumpta videri merito poteſt ac debet? Requiem, inquit illa, æternam dona eis Domine: & requieſcant in pace. Quo magis inſcitiámne, dicam, an verò cæcitatem demiror, qui hæc in ſcripturis non attenderis, ac propterea orationes pro defunctis factas in Scripturis locum habere negare non dubites.

Iſaias pro defunctis orauit.

Hæc igitur ſunt quatuor illa, quæ piè defunctorum animabus ſeparatis in liturgia

pre-

precamur: vt meminiſſe Deus earum ac locum refrigerij, lucis, ac pacis indulgere per Chriſtum dignetur. Sed ordinem harum rerum conſidera, & quam ſibi pulchrè alia alijs cohæreant. Memoria Dei præcedit, tanquã cauſa refrigerij, lucis, ac pacis. Quorum enim Deus nó vult meminiſſe, & quos non nouit, ijs perexigua ſpes reſtat ſalutis: Refrigerium verò miſsioné & redemptionem à dolore cruciatuq; ſignificat, tãquam terminum ad quem: pax vero, Dei præſentiæ fruitionem denotat. Et hic ordo etiã in Simeonis cãtico inuenitur obſeruat9. Itaq; cùm Sacris literis conſentiens illa ſacrificantis ſit oratio, cùm natura hoc in nobis efficiat, vt bene erga noſtros afficiamur, eisq; bona precemur, atque adeo hoc ipſum Natura efficiat, vt etiam qui illã Eccleſiæ orationem parui facere, ne dicam reijcere, videntur, ſibimet temperare à communi voto bene precandi defunctis nó poſsint, ſed quoties eorum, quos hic charos habuerũt, mentio (vt ſæpe fit) incidit, etſi non quæ Eccleſia, refrigerium, lucem, pacemque (ne nihil noui præ ſe ferant) ſimilia tamen ſuis, vt læticiam lætamque reſurrectionem votis exoptent: quid ergo, qui eiuſmodi ſacrificãtis vota preceſq; repræhẽdit, niſi ipſum Dei verbũ, ipſas S. Scripturas, ipſamq;

Natu-

Naturam, vnde vota preceſque illæ Eccleſiæ emanant, impugnat: & aut impio in animas noſtrorum odio ſæuit, aut quod in publico carpit, priuatim ipſe faciens, ſibijpſi volens nolens repugnat?

Quo merito oratio pro defunctis innitatur.

Tertio loco illud dicendum venit, quo merito dignitateq́; ea quæ animabus precamur, obtinere ſperamus. Id verô eadem Eccleſiæ oratio inſinuat: cum famulos famulasq́; & qui ſub ſigno fidei nos hinc illuc præceſſerunt, nominat: non ſolum vt hiſce rebus, quales ſunt fides ac ſub fide militaſſe, famulos famulasq́; Dei fuiſſe &c. Deum ad miſericordiam miſericorditerq́; cum ijs agendum flectamus: Verumetiam vt differentiam inter fratres ac commembra noſtra, & eos qui non ſunt in corpore Chriſti myſtico conſtituamus. Nam pro alienis illis orare, eſſet contra Dei voluntatem orare, Sapient. 14. Similiter odio ſunt Deo impius & impietas eius. & Iſai. 57. Non eſt pax impijs: & Rom. 1. Ira Dei manet ſuper omnem impietatem. Etſi autem de operibus noſtris virtutumq́; ornamentis præſumere, obſit non profit, orantes tamen allegamus famulatum, fidem, militiamq́; ſub fidei ſigno. Nec id ſine cauſa. Non enim parua famulantium Deo prærogatiua eſt, cui Eccleſiæ oratio innititur. Ipſe Deus &

Famulatus ſeruitusq́; Dei.

Domi-

Dominus gloriatur ſe habere ſeruum ſuum Iob, aduerſus Sathanam. Iob. 2. Et Dauid gloriatur in eo, qđ ſit ſeruus Dei. Pſal. 115. O Domine, inquit, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ, dirupiſti vincula mea. Sic patrem ſequutus Salomon, cùm Sapient. 9. ſapientiam & intellectum à Deo peteret, nihil aliud in medium adfert, vt voti apud Deum compos fieret, quàm quod ſeruus Dei eſſet: Quoniam, inquit, ſeruus tuus ego ſum & filius ancillæ tuæ, da mihi ſedium tuarum aſsiſtricem Sapientiam. Sic deniq; precantes alij etiam alterius, népe Dauidis, ſeruitutem apud Deũ allegant: Pſal. 131. Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui. Quãto magis ergo exaudiet Dominus vocẽ clamantium ſeruorum ſuorũ in terris: clamantium, inquam, pro ſeruis itidem Dei & fratribus ſuis? Sed & quod ſub ſigno fidei *Signũ fidei* hinc nos præceſsiſſe dicuntur, pulchra militiæ ſimilitudo eſt. Chriſtus enim dux no- *Militiæ* ſter fidei ſignum, quod nobis, nõ ſibi, mor- *ſanctæ deſ-* te, diabolo, inferno, ac mundo deuicto, in *criptio.* ciuitatem munitam reportauit, in ſublimi erexit omnibus conſpicuum, omneſq; acclamans ſequentes, ait: confidite, ego vici Mundum. Ioan. 16. Hunc alter quidã fortis Athleta ſequens, qui & ipſe quoq; inimicas hoſtium

hoſtiũ acies perfregit, nobis acclamat: 1. Corinth. 16. State in fide, vigilate, viriliter agite, & confortamini. Arma militiæ huius non carnalia (Apoſtolo teſte, 2. Cor. 10) ſed potẽtia Deo deſcribũtur. Ephe. 6. & 1. Theſ. 5. Diſciplina traditur militaris, ordinesq́; diſtribuuntur. Hebr. 12. quo etiam in loco ſtipendia & belli finis, mons Sion, ciuitas Dei viuẽtis, Ieruſalem cœleſtis, ratio oſtenditur, cuius cauſa bellum tàm arduum ſuſceptum eſt: fitq́; ibidem recitatio obſeruandorũ, & hortatio, vt pondera & circũſtantia nos peccatorũ onera deponamus. Ad hæc Ephe. 6. hoſtes depinguntur per quorum acies perfrangendum nobis eſt, & ſimilia. Fit aũt hîc quod & in Mundi certãinibus, maxima hominum pars eſt ſpectatrix otioſa, qui nec victoribus congratulantur, nec victis commiſerentur. Sed qui ſe Sacramẽto in certamen obligauerunt, atq; in acie ſtant, his neceſſitas prima incumbit, vt aſpicientes in ducem per arctã viam & anguſtam portam ſequentes irrumpant, Matth. 7. Luc. 13. vt fiat quod ſcriptum eſt. Matt. 11. Regnum cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sed multi in oppugnando læthaliter vulnerati moriũtur: alios impedimẽta, quæ depoſuiſſe oportebat, ab introitu remorantur. Hîcne iniquum tibi videbitur? ſi qui ſani atque cordati

dati perſtant in acie vel mox ſequuntur, voce ſignisq́; duci qui iam arcis ſumma tenet, ſignificent, aliorum vulnera atq; remoras, rogantes, his quoq; ſuccurrat eorumq́; infirmitates leuet, quo & ipſi perfringere valeant: maximè cum omnibus lex vna præcipiat, vt alter alterius onera portet: Galat. 6. An fortè tam durum ducem ſomniare liceat, qui nullis flectatur precibus, vbi de ſuo populo, de membris ſuis, ſub ſignis ſuis militantibus, atque in ipſo certamine vulneratis, deque eorum ſalute agi intellexerit? An fortaſsis vulneratos grauatosque illìc hoc officium à ſequentibus commilitibus, fratribus, commembrisque ſuis non exiſtimas ſperare, expetereq́;, atque expectare? præſertim cum non præſumptione (quæ plures in Mundi caſtris occidit) aut ſtulta audacia, ſed imbecillitate humana ceciderint relictiq́; ſint. Profecto quantum equidem de Chriſti ducis noſtri benignitate in S. ſcripturis lego aut intelligo, ad vniuerſæ Eccleſiæ congregatæ clamorem non obliuiſcetur famulorũ famularumq́; ſuarũ, nec derelinquet animas eorũ in inferno, ſed ꝑ ſua miſericordia proq́; noſtra expectatione abſterget omnẽ lachrymam ab oculis eorũ, Actor. 21. dabitq́; pro labore refrigerium, pro tenebris lucem, & pro tormẽtis pacem.

Non

Non enim eius qui multus eſt ad ignoſcendum cogitationes, cogitationes ſunt tuę, Iacobe, nec viæ eius viæ tuæ, Iſai. 55. ſed ego ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitatiões pacis & nõ afflictionis, vt dem vobis finẽ & patiẽtiã, Ierem. 29. Iuſtitia erat quod Abraham petenti epuloni refrigeriũ negauit, quia damnatus erat. Iniuſticia erit ſi Chriſtianorũ ſpiritibus cũ pietate defunctorum, refrigeriũ nõ exoptauerimus, quia ſaluandis. In quo exemplo, ſiue hiſtoria illa eſt, ſiue parabola, hoc quoque notandũ, quod Abraham epuloni petita negat non quia poſt mortẽ nulla redẽptio ſit, ſed quod nõ eo loci ſit, vbi ille erat: non negaturus ſi illic eſſet, vbi genua curuãtur infernorũ. Philip. 2. Habes ergo ex ſacris literis petitas ratiões cur piè defunctorum animabus refrigeriũ, lucem, ac pacem Eccleſia apud Deum precetur.

Teſtimonia de Sacrificio & oratione pro defunctis.

Hanc fidem pietatẽq; in Eccleſia ab ipſis Apoſtolorũ temporibus ſumma ſemper religione obſeruatam, nũc porrò Maiorum noſtrorũ teſtimonijs cõfirmemus, vt manifeſtum fiat, quàm nullo veterũ exemplo contra hanc ipſam etiam religionẽ tu tuiq; pugnetis, ne quid in omni religione noſtra fiat reliqui, quod veſtris non contaminetur manibus.

Ac primò quidem ex D. Iacobi Apoſtoli Miſſa teſtimonium & exemplũ adferamus, in qua Sacerdos pro defunctorum Spiritibus precatur in hæc verba: Memento domine Deus noſter ſpirituum & vniuerſę carnis, quorum memoriam egimus, & quorum nõ egimus, orthodoxorum ac rectè de fide ſentientium, ab Abel iuſto vſq; ad hodiernum diem: fac eos requieſcere in regione viuentium, in regno tuo, in delicijs paradiſi, in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, ſanctorum patrũ noſtrorum: vnde exulat dolor, triſticia, & gemitus: vbi præſidet lumen vultus tui & perpetuò refulget. Hæc ibi. Et in Miſſa D. Baſilij orat ſacrificans: Memento Domine omniũ dormientium in ſpe reſurrectionis vitę æternę, & refrigere eos, vbi viſitat lux vultus tui. Sic quoque in Miſsa D. Chryſoſtomi pro dormientibus in Chriſto oratio ad Deum dirigitur: Memento Domine, vt bonus, ſeruorum tuorum, & quęcunque in vita deliquerunt, ignoſce. Nemo enim ſine peccato, niſi tu Domine, qui potes migrantibus dare quietem. Et longè ante eum Dionyſius Pauli diſcipulus, libro Eccleſiaſticæ hierarchię cap. 7. hoc eſt, De ijs qui ſanctè dormierunt, contemplatione. Deinde, inquit, accedens diuinus Antiſtes, ipſi mortuo ſanctè precatur, atque poſt precationem & ipſe

Iacobi Apoſtoli Miſſa.

Baſilij Miſſa.

Chryſoſtomi Miſſa.

Dionyſius.

eùm ſalutat,& ordine omnes qui adſunt. Precibus quidem à diuina benignitate contendit, vt & omnia peccata quę humana fragilitate imbecillitateque admiſſa ſunt, ei qui excelſit ex vita remittat,& eum in lucé ac regionem viuorum, in ſinus Abrahæ, Iſaac, & Iacob deducat, in locum, à quo fugit dolor, triſticia,& gemitus. Sinus autem ſunt, mea quidem ſententia, beatorũ patriarcharum, cæterorumque ſanctorum omnium diuinæ beatiſsimæque requietis ſedes, quæ omnes qui Dei ſpeciem præ ſe ferunt imperfectioné, quæ in ipſis ſenectutis incómodis caret, & beatiſsima eſt, recipiunt. Verùm dices fortaſsis, hæc quidem rectè à nobis dicta eſſe: ſed te dubitare & quęrere, cur diuinam benignitatem rogat Antiſtes, vt ea quibus à mortuo peccatum eſt, remittat, eique parem ijs qui Deum imitati ſunt, pręclariſsimamq; hæreditaté largiatur. Hæc ibi. Et paulò poſt reſpondés: Quòd aũt nos à diuinis, inquit, pręceptoribus noſtris deprecatiōe, qua Antiſtes, vt dixi in eo qui mortuus eſt, vtitur, traditum accepimus, neceſſario exponendũ eſt: Diuinus Antiſtes, vt ſcripta diuina teſtantur, interpres eſt diuinorum iudiciorum. Angelus enim eſt Domini Dei rerum omnium præpotentis. Didicit ergo à ſcriptis quę diuinitùs prodita ſunt pręclariſsimã diuinamque

Sinus Abrahæ Iſaac & Iacob.

que vitam pro dignitate ac meritis iuſtiſsimis lancibus tribui, negligente diuina humanitate pro benignitate ſua, maculas, quas in eis contraxit humana fragilitas: Quandoquidem nemo, vt ſcripta diuina loquuntur, mundus eſt à ſorde. Hæc igitur Antiſtes ſcit promiſſa eſſe à ſcriptis diuinis, quæ vera ſunt: petit autem vt ea eueniant, & dentur ijs, qui ſanctè vixerunt Sancta præmia, ita tamen, vt ad Dei imitationem bonitatis ſimilitudine formetur, aliorumque dona vt ſua beneficia repoſcat: & vera promiſſa ſciat futura, ijs qui adſunt quaſi interpres exponat, ea quæ ipſe ex ſancto more & inſtituto repetat, planè euentura eſſe ijs qui in diuina vita hinc migrauerunt. Neque enim vnquam diuinus Antiſtes, qui eſt diuinæ Iuſticiæ interpres, ea quæ non Deo gratiſsima eſſe ſciret, queq; ipſe diuinè ſe daturũ pollicitus eſſet, peteret. Hęc ille, longè plura ad hanc rem pertinentia, cuius generis etiã illud eſt, quod in ipſo capite ſcriptum eſt. Conuocato ſacro choro diuinus Antiſtes, ſi is qui exceſsit è vita, erat ordinis ſacerdotum, cùm antè Sanctum altare eum poſuit, Deum precari incipit. Et mox: Tum accedens diuinus Antiſtes, ei Sanctiſsimas preces adhibet, quibus ritè perfectis, & ipſe eũ qui è vita migrauit, ſalutat, & ſecundum

Nota benè.

Defunctus ante altare poſiti.

Defunctio leo uncti. eum omnes vnà qui adſunt. Cum eum omnes conſalutârunt, tùm Antiſtes oleo mortuum perfundit, ſanctaque precatione pro omnibus adhibita in loco honorato corpus cum alijs eiuſdem ordinis ſanctis corporibus reponit & condit. Porrò Dionyſij quoque & aliorum verba de myſticis Cænæ orationibus exponens Germanus Epiſcopus audiatur: *Germanus Epiſcopus.* Fit autem, inquit ille, etiam memoria apud Deum pro defunctis, & ſpiritibus & omni carne, vt qui mortuorum & viuentium poteſtatẽ habeat, & dominetur ſuper cæleſtibus & terrenis & ſubterraneis, & vt rege Chriſto præſente, & vt ſancto ſpiritu omnes adhortante, viuentes atq; vita functos ad illic moram trahendam, ac requieſcendũ in Domini & Dei noſtri Ieſu Chriſti occurſum, & congregentur & præoccupent faciem eius; & audiant voces laudis eius: vt omnium qui erant in inferis animarum ſolutis vinculis, per mortem & reſurrectionem Chriſti. Ipſe enim excitatus eſt à mortuis, primitiæ & primogenitus factus dormientium: & omnibus viam aperiens reſurrectionis à mortuis & ad immortalem & beatam vitam refocillans eos qui in ſpe reſurrectionis eius dormierunt. Conuocantur igitur omnes eorum animę cum Prophetis & Apoſtolis & Martyribus, vt vnà ingrediantur & recum-

recumbant cum Abraham ac Iſaac & Iacob in myſtica menſa regis Chriſti. Poſt hunc audiamus Nicolaum Cabaſilæ in Liturgiæ expoſitione loquentem. Is illius libri cap. 33. diſertè de ijs quorum vtilitati Sacrificium offertur loquens, ait: Sacerdos autem peracto ſacrificio, &c: effundit preces cum bona ac firma ſpe, & quorum panes proponens meminit, & pro quibus preces in celebrandi myſterij pręparatiōe fecit, & dona obtulit & vt ea ſuſciperentur, ſupplicauit, ea his iam ſuſceptis, vt in opus exeāt orat. Quęnā autē ſunt hæc? Cōmunia & viuis & ijs qui deceſſerūt. Vt pro donis gratia demittatur à Deo qui illa ſuſcepit: ſeparatim autem defunctis quidem animarum requiem & regni hæreditatem cum ſanctis conſummatis. Et eodē lib. 42 cap. Duobus modis ſanctificare cernitur diuinum hoc & ſacrum myſteriū. Vno quidem modo, interceſsione. Oblata enim dona ex ipſo quod offeruntur, eos qui offerunt ſanctificant, & eos pro quibus offeruntur, & Deum eis propitium efficiunt. Alio autem modo, participatione, quia fit nobis verus cibus, & potus, vt dicit Dominus. Horum modorum primus quidem eſt communis viuis & mortuis. Etenim pro vtriuſque offertur ſacrificium. Secundus autē modus ſolis viuentibus permittitur, mortui enim

Nicolaus Cabaſila.

Sacrificium duobus modis ſanctificat.

Interceßione, &c.

Participatione.

non poſſunt amplius comedere nec bibere. Quid igitur? propterea nec ſanctificãtur hac ſanctificatiõe quę prouenit ex participatiõe, & deteriori ſint hac in parte conditiõe mortui quam viuentes? Minimè. Nam & Chriſtus ſeipſum ipſis communicat, eo modo quo ipſe nouit, Et vt id fiat apertum, cõſideremus cauſas ſanctificationis, an non etiam animæ mortuorum ſe habent ſicut & uiuentium.

Refutatio eius quod dicitur. Cœnam inſtitutam ut manducetur & bibatur tantum, nec prodeſſe niſi manducantibus & bibentibus.

Quęnam autem ſunt cauſæ ſanctificationis, nunquid corpus habere, pedibus ad mẽſam currere, manibus ſancta accipere, ore ſumere, comedere, bibere? Nequaquam. Ad multos enim qui hæc fecerunt, & ita ad myſteria acceſſerunt, nulla rediit vtilitas, & pluribus malis obnoxii receſserunt. Sed quænam ſunt cauſæ ſanctificationis, iis qui ſanctificantur, & quę ſunt quæ Chriſtus à nobis exigit? Animæ purgatio, in Deum dilectio, fides, deſiderium myſterii, alacritas ad participationem, feruens appetitio, ſitientes currere. Hæc ſunt quæ ſanctificationem attrahunt, & cum quibus neceſſe eſt eos qui accedunt eſſe CHRISTI participes, & ſine quibus fieri non poteſt. Sed hæc omnia non ſunt corporalia, ſed dependent à ſola anima. Nihil ergo prohibet etiã animas hoc poſſe mortuorum, ſicut & viuorum. Si ergo animæ quidem ad ſuſcipiendum myſterium ſunt

um ſunt paratæ & prompta: is autem in cuius poteſtate eſt ſanctificare& perficere, vult ſemper ſanctificare, & ſeipſum ſemper impertiri deſiderat: quid eſt prohibiturum hanc participationem? Nihil omninò. Ergo dixerit quiſpiam: Si quis etiam viuorum, bona quidem quæ dicta ſunt in anima habeat, ad myſteria autem non accedat, habèbit illinc nihilo ſerius ſanctificationem: Nō quilibet, ſed ſi quis non poteſt corporaliter accedere, ſicut defunctorū animę, quales fuerunt ij qui in deſertis errabant montibus & ſpeluncis & foraminibus terræ, qui altare & Sacerdotem nullo modo videre poterant. Eos enim Chriſtus ipſe hac ſanctificatione inuiſibiliter ſanctificabat. Vnde nam poteſt hoc ſciri? Quod vitam in ſe habebant, non habituri, niſi prius eſſent Sacramenti participes. Et mox: Propterea non eſt nouū, ſi animis à corporibus liberatis, quæ nullius huiuſmodi vitij inſimulari poſsunt, hāc menſam Chriſtus impertijt. Illud enim nouū eſt & admirabile, quod homo q in corruptione & interitu verſatur, ab interitu alienū corpus comedat. Quod aūt anima, quæ eſt immortalis ſubſtantia ſit eius quod eſt immortale particeps, modo ſibi conuenienti, quid mirum? Et rurſus ca, 43, Ex dictis vtique omnibus ſit illud manifeſtum, quod quęcunque

 ad ſa-

ad ſacri myſterij celebrationem pertinent, ſunt communia viuis&mortuis. Cauſę enim ſanctificationis cùm ad animam pertineât, etiam vtriſquè inſunt, & id quòd primò ac principaliter & propriè ſanctificationē ſuſcipit, idem & ſacerdos qui ſanctificat, idem quòd ſolum adeſt ijs qui viuunt in corpore, non eſt in ijs qui è viuis exceſſerunt; vt etiam qui myſterijs indigni ſunt videantur ſanctificari, quoniam dona ore ſumūt. Et mox: præterea autem etiam propter illam rationē clarum eſt: quod non ſolum licet, & quod nihil vetat, ſed etiam quòd illas animas neceſſariò conſequitur ſanctorum donorum participatio. Si enim eſſet aliquid quòd illic animis & delectionem & quietem præberet, eſſet illud præmium ijs quę purę ſunt & mundæ, & non eis hac menſa neceſſariò opus eſſet: nunc autem id quod omnem voluptatem & beatitudinem ijs qui illic ſunt efficit, ſiue dicas paradiſum, ſiuè ſinus Abrahæ, ſiue ab omni dolore & triſticia pura & lucida & viridia & refrigerantia loca, ſiue ipſum regnum, nihil eſt aliud, quā hic calix & hic panis. Hæc enim ſunt interceſſor, qui pro nobis in ſancta fuit precurſor, qui ſolus ducit ad patrem, qui ſolus ſol animarum, qui nunc quidem apparet & participatur, vt ipſe voluit, vinctis carnis: tunc autem videbitur &

Idem calix & panis qui Sanctas animas hic ſanctificat, & qui illis beatificat.

participabitur ſine vobis,quādo videbimus eum ſicuti eſt,quando ad cadauer conuocabit aquilas,quando ſuccingetur,& eos faciet diſcumbere & accedens miniſtrabit illis. Et rurſus cap.45. Nudæ autem corporibus animæ plus habent commodi ad ſanctificationem,quam eę,quæ viuunt in corporibus. Purgantur enim & peccatorum remiſsionē accipiunt per orationes Sacerdotis & donorum interceſsionem, nihilominus quàm eorum qui viuunt. Sed non peccant amplius,nec noua veteribus crimina adijciunt, vt faciunt vt plurimum viuentium animæ; ſed tantummodo vel nulli ſunt rationi reddendæ obnoxiæ;vel ſemper vtique de criminibus detrahunt;& ita ad Seruatoris participationem promptius & melius ſe habent pluribus in corpore viuentibus, atq; adeò etiam ſeipſis,ſi eſſent cùm corpore quum etiam hoc ipſum ſolum, quod ſcilicet ſunt nudæ corpore efficit,vt ſint multo aptiores ad participationem myſteriorum, quàm fieri poſſet ſi eſſent tectę corpore. Cum enim ſint illic multæ & diuerſæ manſiones, vt omnis virtutis modus honoretur,& nihil ſit nō remuneratum apud iuſtum & clementem iudicem; quemadmodum qui ſunt maximis digni præmijs & perfecti perfectæque beatitudinis hæredes, Paulus, & ſi quis eſt hu-

iuſmodi ea purius fruuntur diſſoluti, quam cùm in hac vita aderant: ita qui mediocres in hac quiete collocãtur, eos conſentaneũ eſt, melius ſe habere cùm hinc receſſerint, quã dum viuunt cum corpore. Oſtenſum eſt aũt quod omnis quies animarũ & omne pręmiũ virtutis ſiue paruum ſiue magnũ, non eſt aliud quam hic panis & hic calix, quę ab vtriuſque, viuis, inquã, & mortuis conuenienter participãtur. Propterea enim Chriſtus quoque ſanctorũ in futuro fruitionẽ, cęnam vocauit, vt oſtenderet nihil illic eſſe pręterquã menſam. Ita etiã pro defunctis, ſicut & pro viuis eſt diuinum Euchariſtię ſacrificium, & cùm dupliciter vt dictũ eſt ſanctificétur ipſi quoq; duobus modis ſanctificantur. & neutro modo ſunt ij qui migrarunt deteriori cõditione ijs qui viuunt, ſed aliquo modo etiam meliori. Hactenus Cabaſila, docens nõ modo quòd proſit, verum etiam quomodo proſit hoc ſacrificium defunctorum animabus. Non minus etiã alij patres viuorũ ſacrificio atq; alijs pietatis operibus pro defunctis detulerũt. Vt Tertulianus lib. de Monogamia, de vidua loquens: Enimuero, inquit, pro anima eius orat & refrigerium interim poſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium & offert annuis diebus dormitionis eius. Idem de exhortatione caſtitatis.

Separata anima melius in ſacrificio participant quam coniunctæ.

Tertul.

Et iam

Et iam repete,inquit, apud Deum, pro cuius ſpiritu poſtules, pro quo annuas oblatines reddas. Origenes in Iob lib.3. *Origenes.*

Parentum noſtrorum vel amicorum in fide morientiũ deuotè memoriam agimus inquit, tàm illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes. Et Cyprianus Martyr *Cyprianus.* libro.4.Epiſtola 5.Sacrificia, inquit, pro eis ſemper vti meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paſsiones,& dies anniuerſaria cõmemoratione celebramus. Et lib.1. Epiſtola.9. victor, cum contra formam nuper in Concilio à ſacerdotibus datam,Geminium Fauſtinum præſbyterum auſus ſit actorem conſtituere,non eſt pro quo dormitione eius apud vos fiat oblatio,aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur. Gregorius quoque Nazanzenus Oratione *Gregor. Nazan.* 7.Deo animas noſtras addicamus, nec non & eorum qui antè nos ſunt diſsoluti, tanquã qui in via iã fuere paratiori.E in fine eiuſdem orationis.Nunc quidẽ,ô vitę & mortis domine Cæſariũ ſuſcipe peregrinationis noſtræ primitias,ſiue nouiſsimũ primũ,tuis cõcedimus rationibus.Et Chryſoſt.in Mat. *Chryſoſt.* cap.9.homilia 32.cur poſt mortem tuorum, pauperes conuocas? Cur preſbyteros,vt pro eo velint orare,obſecras?Non ignoro te

reſponſurũ, vt defunctus requiem adipiſcatur, vt propitium iudicem inueniat. Et hom. 41. Primæ ad Corinth. Nō eſt temerè hoc excogitatum nec fruſtrà memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus; aut accedimus pro illis agnum illum iacentem & peccata Mundi tollentem deprecantes, ſed vt his conſolatio aliqua fieret, nec temerè qui altari aſsiſtit inter horrenda myſteria clamat, pro omnibus in Chriſto dormientibus, & pro his qui memoriam eorum celebrāt. Nam nunquam fiant iſta, neq; hæc dicantur, ſi pro illis commemorationes non fierent. Neq; enim ſcena iam amplius noſtra ſunt, ſed ſpiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipſis facientes. Nam ſi Iob illius liberos patris victima purgauit, quid dubites, à nobis quoque ſi pro dormientibus offeramus, ſolatij quiddam illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios alijs ſolet, quod Paulus hic oſtendit; vt ex multis, inquit, perſonis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo, communis totius orbis victima preces ſunt. Idem in cap. 1. ad Philippenſes sermone. 3. Non fruſtrà, inquit, AB APOSTOLIS SANCITVM EST, VT IN CELEBRA-

BRATIONE VENERANDORVM MISTERIORVM MEMORIA FIAT EORVM. QVI HINC DISCESSERVNT. Nouerunt enim multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante ſiquidem vniuerſo populo, manus in cælos extendente, cætu itam ſacerdotali, verendoque poſito Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? Verum iſtud quidē de illis dicimus, qui in fide abceſſerunt, Catechumenos verò neque iſto ſolatio dignamur, ſed omni huiuſmodi deſtituti ſunt auxilio, vno quodam dempto. Quo nam illo? *Elcemoſynæ pro defunctis.* Pauperibus illorū nomine dare licet, vnde illis nó nihil refrigerij accedit. Eadem apud eundem homil. 69. ad pop. Antiochenum legere licet. Et Epiphanius contra Aerij hęreſim. 75. lib. 3. Tim. 1. Proſunt, inquit, & preces pro ipſis fientes, etiamſi totam culpam non abſcindant. *Epiphanius* Verùm enimuerò eò quod nos ſæpè dum in Mundo ſumus fallimur & erramus tùm inuiti, tùm voluntariè, quo id quod perfectius eſt ſignificetur, & pro iuſtis & pro peccatoribus memoriam facimus: pro peccatoribus quidem, miſericordiam Dei implorantes. Idem contra Maſſalianos, hæreſim. 80. In his autem qui vita defuncti ſunt, inquit, nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes ac cultus diuinos,

nos,& myſteriorum diſpenſationes, Athana-
Athanaſius ſius quoq; cùm lib.1.ad Antiochium Quęſt.
34. quæſiuiſſet, an animæ defunctorum ſen-
tiant ſi quando pro ipſis hîc bona opera fi-
ant & ſacraficia peragantur: reſpondiſſet-
que affirmatiuè, ſimilitudine vtens à vino in
vaſe domi recondito, florolentiam vuarum
Apoſtoli ſacrificandũ pro defun. ctis præce-runt. foris in agro ſentiente: etiam oratione in
defunctos hortatur ad pietatis opera pro
defunctis pręſtanda, & concludens: Vniuer-
ſa hæc, inquit, Apoſtoli illi diuiniloqui, vt
ſic dixerim, atque diſcipuli ſua per ſacrificia
DEVM placantes, patreſque Spiritu ſan-
cto efflati, diuini illius numinis, quantum
datur, participes, atque ecſtaticæ illius vir-
tutis eximiè compotes, diuino ore, vti Deo
gratum eſt, & ſacrificia, ſiue Miſſarum obla-
tiones & preces, & Pſalmorum cantum, an-
niuerſariaſq; defunctorum memorias præ-
ceperunt obſeruandas.

Damaſce-nus. Sed & Ioã. Damaſcenus librum ſcripſit de
ijs, qui in fide hinc migarũt. teſtaturq;, quod
ſacris operationibus & viuorum orationi-
bus multum iuuentur, atque originem hu-
ius fidei Apoſtolis attribuit: Diui, inquit,
Apoſtoli, diſcipuli ſaluatoris qui totũ Mun-
di circulum viuum cepêre prædicando ver
bum, quod ſuis oculis viderant, in tremen-
dis vitalibuſque Sacramentis, memoriam
eorum

eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Eundem in modum etiam Iſidorus lib. 1. de officiorum origine docet. Immolationem ſacrificij pro defunctorum requie ab Apoſtolis eſſe ſancitã. Hoc enim ſic vniuerſa vbique obſeruat Eccleſia. Hinc D. Ambroſius in funebri oratione in fratrẽ Satyrum, orans: Tibi nunc, inquit, omnipotens Deus innoxiã animam, tibi hoſtiã meã offero: Cape propitius ac ſerenus fraternũ munus, ſacrificium Sacerdotis. Rurius funebri oratione in Gratianum & Valentinianum. Beati ambo, ſi quid orationes meæ valebunt. Nulla dies vos ſilentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio, nulla nox vos non dotatos aliqua precum mearum contexione tranſcurret; omnibus vos oblationibus frequentabo. Et in oratione funebri ſuper obitu Valentiniani Imperatoris. Solue pater ſancte, inquit, munus ſeruo tuo, quòd Moyſes dum in ſpiritu vidit, accepit. Solue ſeruo tuo munus, quod concupiuit, munus quod popoſcit ſanus, robuſtus, incolumis. Solue ſeruo tuo munus gratiæ tuæ quam ille nunquam negauit. Da requiem perfecto tuo ſeruo Theodoſio; requiẽ quã præparaſti ſeruis tuis. Illo conuertatur anima eius, vnde deſcẽdit D. Hieron. quoque hanc Eccleſię pietatem in defuncto

Iſidorus. *Ambroſius* *Hieron.*

rum

rum animas valdè commendat. De qua re qui vult legat in 11. cap. Prouerb. & in vlt. ca. Iſaiæ. In Marc. cap. 9. in Ezech. cap. 1. deniq; ad Damaſum quoque. Sed hoc multò vberior Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 110. Neque negandum eſt, inquit, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cum viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tàm bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, nec tàm malus, vt ei nō proſint iſta poſt mortem. Eſt vero talis in bono, vt iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita tranſierit, adiuuarj.

Auguſt.

Quocirca hîc omne meritum tùm comporatùr, quo poſsit poſt hanc vitam releuari quiſpiam vel grauari. Nemo autem ſperet quod hîc neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ, qua dictum eſt: Omnes ſtabimus antè tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; ſecundum ea, quæ per corpus geſsit, ſiue bonum ſiue malum. Quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cum in corpore viueret comparauit, vt ei poſſent iſta

pro-

prodeſſe. Non enim omnibus proſunt. Et quare nō omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitę, quam quiſq; geſsit in corpore? Cū ergo ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarū-cunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt: pro valde malis etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunq; tamen conſolationes viuorum ſunt. quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſsio, aut certè vt tolerabilior ſit ipſa damnatio. Idem de cura pro mortuis gerenda, cap. 4. Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorū, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, vt quibus ad iſta deſunt parentes aut filij, aut quicunq; cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi. Et lib. 9. Confeſſ. cap. 13. quæ ſuperius docuerat, ſuo exemplo pro matre orans cofirmat. Ego, inquit nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum tuorum, quæ pependit in ligno, ſedenſq; ad dexteram tuam interpellat pro nobis. Etenim imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum cor- *Monica Auguſtini mater.*

pus ſumptuosè contegi, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullus diei prætermiſsione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctã, qua deletum eſt Chirographum, quod erat contrarium nobis. Rurſus de verbis Apoſtoli Sermone 32. Orationibus ſanctæ Eccleſię, & ſacrificio ſalutari, & Eleemoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eius miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim patribus traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis, qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium ſuo commemorãtur oretur, ac pro illis quoq; id offerri commemoretur. Et mox: Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur ſui, ſed eorum prçcedentibus cõſequentia iſta redduntur. Idem lib. 9. Cap. 12. Cùm corpus matris meæ Monicę elatum eſt, imus, & redimus ſine lachrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerreretur pro ea ſacrificia prætij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego fleui. Et Epiſtola. 64. ad Aurelium. Oblationes pro ſpiriti-

Sacrificio adiuuantur.

ritibus dormientium ipſos verè aliquid adiuuare credendum eſt. Paulinus quoque qui Auguſtini iudicatur fuiſſe contemporaneus Epiſtola 1. ad Amandum, cum recitaſſet obitum cuiuſdam fratris, qui maluiſſet debitor magis quàm liber ad Dominum tranſire: ob hoc, inquit, impenſè rogamus, vt quaſi frater (quod nobis in domino eſſe dignaris) vnanimis fratres iuuans & hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, vt pro eo infirmitati noſtræ compatiaris, & orandi ab ore conſpires vt miſericors & miſerator Dominus Deus, qui facit omnia in cęlo & in terra, & in mari & abyſsis, refrigeret animam eius ſtillicidijs miſericordiæ ſuę, per orationes veſtras. Denique Theophilactus in 12. cap. Luc. Oblationes, inquit, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, non parum conducunt etiam his, q in grauibus peccatis mortui ſunt. Non omninò igitur poſtquam occidit, mittit in gehennam ſed poteſtatem habent mittendi. Vnde in Carthaginenſi Concilio quarto, cap. 95. de his qui oblationes defunctorũ defraudant, ſtatuitur in hæc verba: Qui oblationes defunctorum aut negant Eccleſijs, aut cum difficultate reddunt tanquam egentium necatores excommunicentur.

Paulinus. *Theophil.* *Concil. Carthag.*

Et in Aurelianenſi Synodo tertio Cano. 17 *Concil. Aurelia.*

ſtatuitur his verbis: Similis etiam de his, qui oblationes defunctorum legaliter demiſſas quolibet ordine aſsignare tardauerint, vel detinere pręſumpſerint, diſtrictionis Eccleſiaſticæ iuxta priores canones forma ſeruetur. Cui etiã ſententiæ ſubiacebit, quiſquis ille quolibet ordine, quod pro deuotione ſua Eccleſijs dedit, reuocare præſumpſerit. Et in Cabilonenſi decretum legitur: Antiquitùs hunc morem ſancta tenet Eccleſia vt & miſſarum ſolennibus, & alijs precibus domino ſpiritus quieſcentium commendentur dicente Auguſtino: Non ſunt pętermittendæ ſupplicationes, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate laudamus. Vide volumen decretorum de conſe. diſt. 1. in cap. viſum eſt.

Concil. Cabilon.

Confutationes obiectionum Iacobitarum.

Hic iam diſputationis inſtitutæ ſeries exigit, vt poſitis demonſtratiſq; noſtris, tua, Iacobe, refutemus. Negas tu nono libelli tui Articulo eſſe aliquẽ purgatorij locum. Hoc vt perſuadeas, Chriſti verbum ex Ioan. 5. ca. adducis. Amen, amen dico vobis, inquit, quia qui verbum meum audit & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam: & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte ad vitam. Ex quo loco argumentaris: Quoniam mortui, vel Canonis teſtimonio, cũ ſigno fidei hinc diſceſſerunt, vitæ æternæ priuſquam diſcederent

Obiectio.

derent exordia in ſe habuiſſe, ideoq; ſecundum Chriſti verba non habere, quod timeant Iudicium

Reſpondeo. Apoſtolus te mendacij arguit, dicens Rom. 14: Omnes ſtabimus antè tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim Iſa. 45. Viuo ego, dicit Dominus, quoniam, mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaq; vnuſquiſq; noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo. Rurſus 2. Corinth. 5. Omnes, inquit, nos manifeſtari oportet antè tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum ſiue malum. Et Apocalyp. 20. Vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in cõſpectu thronj & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitę: & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant ſecundum opera ipſorum. Hæc teſtimonia dicunt omnium eſſe iudicium: ſicut Iob quoque monet, Iob. 19. Scitote eſſe iudicium. Et ne quempiam ab hac iudicij generalitate eximere queas. Paulum Act. 17. concionantem audi: Nunc, inquit, annunciat hominibus, vt omnes vbique pænitentiam agant, eò quòd ſtatuit diē in quo iudicaturus eſt ORBEM in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus ſuſcitans eum à mortuis. Idem. 1. Corinth. 6. dicit: An neſcitis quoniā ſancti de hoc Mun- *Refutatio.*

do iudicabunt. Et 1.Corinth. 2.Cap. Spiritualis omnia iudicat: Quantò igitur magis CHRISTVS ſanctus ſanctorum, & Dominus ſpirituum vniuerſorum; Rurſus idem Apoſtolus 1.Corinth.6.cap. Neſcitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus? An forte Iacobus cum ſuis Sanctior Angelis cenſendus erit, vt cum Angeli iudicantur, non iudicetur ille? Et alius Apoſtolus 1.Ioã. 1.cap. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt. Multò igitur magis vox Spiritus ſancti Iſaię.3.ca. audienda eſt præmonentis: Popule meus qui te beatum dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſsuum tuorum diſsipant. Stat ad iudicandum Dominus & ſtat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui.

Bernard. Audi igitur non me, ſed ſanctiſsimum Bernardum Sermonum ſuper Cantica 55. Verùm, inquit ille, tu qui aduentum deſideras Saluatoris, time ſcrutinium Iudicis time oculos capreæ; time illum qui per Prophetam dicit: Et erit in die illa, & ego ſcrutabor Hieruſalem in lucernis. Acuto viſu eſt nihil inſcrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes & corda. ipſaque cogitatio hominis confitebitur illi.

Quid

Quid tutum in Babylone, ſi Ieruſalem manet ſcrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Ieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſeculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernè illius Ieruſalem conuerſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi qui de Babylone ſunt, vitam in pertubatione vitiorum ſcelerumque confuſione vaſtantes.

Denique illorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio.

Mea autem (qui videor Monachus & Heroſolimita) peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu Monachi adumbrata.

Et idcirco neceſſe erit ſubtili ea inueſtigari diſcuſsione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Poſſumus adferre aliquid & de Pſalmo ad confirmandum id, quod dicitur deſcrutanda Hieruſalem. Ait namque ſub perſona Domini Pſalmo 74. Cùm accepero tempus ego iuſtitias iudicabo. Vias iuſtorum (niſi fallor) & actus eorum diſcuſſurum ſe, & exanimaturum dicit. Verendum valdè cum ad hoc ventum fuerit: ne tàm ſubtili examine multæ noſtræ iuſtitiæ (vt putantur) peccata appareant.

Vnum eſt tamen ſi noſmetipſos dijudicaremus,

remus,non vtique iudicabimur.Bonum iudicium quod me illi diſtricto diuinoq; iudicio ſubducit & abſcondit.prorſus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ iudicatus præſentari, nõ iudicandus, ſpiritualis homo omnia dijudicat, & ipſe à nemine iudicatur, Iudicabo ꝓinde mala mea, iudicabo & bona. Hæc ille longè diuerſi à tua Iacobe opinione ſuo tempore docuit,ex quibus facile videre eſt, neminẽ quantumuis verba Chriſti audientem & credentem patri, quantumuis iuſtum & pium à Iudicij illius excipi examine. Cui conſentiens Cyrillus ex perſona Domini loquens ait: venietis omninò in iudicium,reſurrectionis tempore: vbi ſi condemnari amarum ducitis, ſi æternas mihi dare pœnas formidatis, nolite idoneum illud credendi tempus omittere.

Cyrillus.

Quid ergo eſt quod Chriſtus dicit: In iudicium non venietur? Audi Auguſtinũ in hunc locum: Quia enim ſuprà dixerat: qui audit ſermonem meum, & credit ei, qui miſit me, in iudicium non venit: vt non ęſtimet quis, quod credere ſufficit ad ſalutem? adiecit hic & de vita dum dicit: Et qui bona egerunt, & qui mala egerunt. Hæc ille. Quid autem plenius dici poſset ad confutandum errorem tuum, quàm quum dicit: quod credere non ſufficit ad ſalutem? Si enim id ſufficeret, iam

Auguſt.

vera

vera eſſet opinio tua, qua vis propter fidem homines non venire in iudicium. Verũ Iacobe, quoniam etiam alius locus Ioan.3. tuo patrocinari errori videri ab indoctis poſsit, vbi ipſe quoque Dominus dicit: Qui credit in eum non iudicatur: ne te diu ſuſpendam, nego argumenti tui maiorẽ: nempè, qui credit in eum qui miſit me, in iudicium non venit. Non quod vera dixiſſe Dominum negare velim, ſed quod ex verbis Domini extorta tua opinio veritati non ſit conſentanea. Vterq; enim locus veritatem habet, tàm q᷑ Paulus dicit quia oportet nos exhiberi omnes antè tribunal Chriſti: quàm quod Dominus ipſe ait: Qui credit in eum, non iudicatur: Et qui credit in eum qui miſit me, in iudicium non veniet. Quod vt palam fiat recitabo Gregorij diſtinctionem lib. moral. 7. Duæ ſunt partes, inquit, electorum ſcilicet, & reproborum. Sed bini ordines eiſdem ſingulis partibus continentur. Alij enim iudicantur & pereunt; alij iudicantur & regnãt. Iudicantur & pereunt, quibus Dominica inclamatione dicetur: Eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Non iudicantur & pereũt, quibus Dominus ait: Qui nõ credit iam iudicatus eſt. Eorum enim damnatio toti Ecclesię nota eſt & certa, & ideò dicuntur tunc non iudicari, quia ad conſpectum diſtricti

Conciliantur ſcriptura loci. In iudicium non ueniet. Et, omnes nos oportet manifeſtari antè tribunal.

Gregorius.

Qui iudicandi & qui nõ.

Mat. 25.

Ioan. 3.

Iudicis cum aperta damnatione ſuæ infidelitatis accedent. QVI VERO PROFESSIONEM FIDEI SINE OPERIBVS HABENT, IVDICABVNTVR ET PERIBVNT, id eſt, redarguentur vt pereant.

Qui vero nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem Iudicis in ſe fieri non audient, quia infidelitatis ſuæ tenebris præiudicati, eius quem deſpexerant inuentione redargui non merentur. Illi autem verba iudicis audient, qui eius fidem ſaltem verbo tenueruut.

Illi autem in damnatione ſua æterni iudicis nec verba percipient, qui eius reuerentiam nec verbotenus ſeruare voluerunt, ideò illi iudicandi, ſed iſti nō iudicandi dicuntur. Ex electorū vero parte alij iudicantur & regnant: ſcilicet qui vitæ maculas lachrymis tergunt, & eleemoſynarum ſuperinductione operiunt, quibus Iudex veniens in dextra conſiſtentibus, dicet: Eſuriui & dediſtis mihi manducare. Alij autem non iudicantur & regnant, qui etiam præcepta Legis perfectiori virtute tranſcendunt, quia non hoc ſolum quod lex præcipit implere contenti ſunt, ſed & quod ad perfectionem conſulitur, implere ſtudent: De quibus propheta ait, Iſaiæ.3. cap. Dominus ad iudicium veni-

et cum

et cum ſenatoribus populi ſui. Hæc Gregorius. Quibus ipſe etiam docet, qui iudicandi ſint,& qui non.

Verùm ſi non iudicari, ſiue in iudicium non venire, certitudinem habet vitæ æternę,profectò damnandi quoque tàm credentes quàm non credentes certitudinem illam præ ſe ferre poſſunt: quoniam nec ipſi iudicandi ſunt, ſed iam iudicati. Domino dicente de non credentibus quidem quod qui non credit, iam iudicatus eſt.Ioan.3.ca. Et de credentibus malam tamen vitam habentibus Matth.25.cap. Ite maledicti. Et Rom.2.cap. Tribulatio, Ira, indignatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malũ.De quibus Eccleſi. 8.in malum ſcribitur:Sunt impij,qui ita ſecuri ſunt,quaſi iuſtorum facta habeant. Sed inquis: At vel ipſo Gregorio teſte,aliqui Credentes non iudicantur & tamen regnant. Reſpondeat tibi Auguſtinus in 5.cap. Ioan.Sed,inquit, quis eſt hic;Erit quiſquam Paulo Apoſtolo melior qui ait: Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Chriſti. Ne verò quòd dominus dicit,de non iudicarj,de omnibus dictum exiſtimes qui credunt eundem Auguſtinũ eodem loco conſequenter,quid dominus per iudicij vocem intelligi voluerit, differentem audi; Aliquando ergo ,inquit, iudici-

Auguſt.

Iudicij duplex ſignificatio.

iudicium pæna dicitur, aliqando iudicium diſcretio dicitur. Ergo ſecundum iudicium diſcretionis oportet nos omnes exhiberi antè tribunal Chriſti; ſecundum iudicium damnationis hîc dicitur, In iudicium non venit, id eſt, non veniet in damnationem. Hæc ille. Ac ne ſtulta illa ſecuritate intumeſcas, quaſi credere ſufficiat ad defugiendam damnationem, in tertium caput Ioannes ſuper verba Domini; Qui credit non iudicatur, commentantem eundem Auguſtinum audi, vbi docens quod qui bona vita caret Credens, ſit iudicandus de vita; Omnes, inquit, peccauerunt, & egent gratia Dei.

Immundam habentes uitam Paulo ſunt non credentes teſte Auguſtino.

Ne igitur aliquis crederet, ſe impunè peccare; ſubdit dè pæna non credentis: Qui credit in eum non iudicatur. Qui credit inquit, non qui inueſtigat. QVID IGITVR SI IMMVNDAM HABEAT VITAM? MAXIME QVIDEM PAVLVS TALES NON FIDELES ESSE DICIT. Confitentur (inquit) ſe noſſe Deum, factis autem negant; ſed hoc illud ſignificat, quia ſecundum hoc qui credit, non iudicatur ſed operum quidem grauiorem ſuſtinebit pænam: infidelitatis autem cauſa non torquebitur. Hæc ille. Valeat ergo peſtifera illa præſumptio atque ſecuritas, qua homini-

bus

bus infernum ad ſummum vſque impletis. Iudicabit enim Dominus Credentes, etſi non de fide, tamen de vita, neque ſolum quid credideris, ſed & quid feceris, inquiret. Idque extremo tandem die, quo & illorum operum, fructu lętari poſsint ij, qui vt pro ſe ac poſt ſe viui mererentur, tunc meruerunt, quando & ipſi hîc in corpore vixerunt, & pro factis alij quoque digna recipere ſiue non credentes ſiue credentes, confitentes quidem ſe noſſe DEVM factis autem negant. Sed dices, concedere te etiam qui ſub fidei ſigno hinc diſcedunt in iudicium venturos, deſcretionis, non damnationis; ſed quomodo quod CHRISTVS quoque de eo qui credit teſtatur, nempè habere vitam æternam tranſireque à morte in vitam, ijs quæ à nobis dicta ſunt conueniat non intelligere. Ad hęc ſic accipe. Ex duobus homo conſtat, anima ſcilicet & corpore, Horum vtrumuis ſuam habet tàm vitam quàm mortem. Eſt enim animæ vita, eſt & mors eius; Eſt ſua quoque corpori vita ac mors, atque à morte rurſus reſurrectio, in hac vita atque in altera. Hinc ergo Dominus in Ioanne docens, oſtendit, quæ vitæ cauſa, quæ item mortis atque reſurrectionis. Et quia vita, mors, atque, reſurrectio tàm de anima quàm de corpore

Altera pars obiectionis ex 5 ca. Ioã.

Reſponſio.

præ-

prædicantur, Dominus quoque differenter de vtroque loquitur. Animę enim reſurrectionem iudicans, iam nunc horam eius eſſe, vt excitentur, dicit; Venit hora, inquit, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent; Amen amē dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui me miſit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam. Sic deinde corporis quoque reſurrectionem iudicans, dicit; Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audiēt vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

Hic verus verborum CHRISTI ſenſus eſt, quem etiam veterum Commentaria in hunc locum ſcripta confirmant, adeò, vt mirer, qua fronte quis ea quæ natura ſua diuerſa ſunt, & à CHRISTO diuerſa dicuntur in vnum quaſi aceruum audeat confundere. Loquitur enim de vita gratię non gloriæ, & de tranſitu qui fit à ſtatu peccati & mortis, ad iuſtitiæ & vitæ ſtatum.

Auguſt. Id quod vel vnius Auguſtini teſtimonio palam fit. Nam tractatu 22. in Ioannem eadem verba ediſſerens; vbi inquit, & quando venimus de morte ad vitam; vt non in iudicium

cium veniamus ? In hac vita tranſimus à morte ad vitam. Quis eſt ille tranſitus? Qui audit verba mea, dixit, & credit ei qui miſit me. Seruas iſta; & credis & tranſis. *Tranſire à morte in uitam quid ſit.*

Et eſt, qui ſtando tranſit? Plane eſt. Stat enim corpore, tranſit mente. vbi erat, vnde tranſiret; Et quo tranſit? A morte ad vitam. Vide vnum hominem ſtantem, in quo agatur totum hoc quod dicitur. Stat, audit, fortè non credebat, audiendo credit. Paulò antè non credebat ? modo credit quaſi de regione infidelitatis ad regionem fide tranſitum fecit; motu cordis non motu corporis, motu in melius ; quia iterum qui deſerunt fidem, mouentur in deterius.

Ecce in hac vita, quæ, ſicut dixi, nondum eſt vita, tranſitur à morte ad vitam, vt in iudicium non veniatur. Quare autem dixi, quia nondum eſt vita ? Si vita eſſet iſta, non diceret Dominus cuidam ; Si vis venire ad vitam ſerua mandata. *Matt. 16.* Non enim ait illi; Si vis venire ad vitam æternam; non addidit æternam; ſed tantum dixit, vitam, Nec vita nominanda eſt, quia non eſt vera vita.

Quæ eſt vera vita: niſi quæ eſt æterna vita. Et mox ; Paulus autem contra Chriſtum loquitur ; ſeruus contra Dominum diſcipulus contra Magiſtrum.

Hom

Homo contra Deum; vt cum Dominus dicat, quia qui audit & credit, tranſit à morte ad vitam, & in iudicium non veniet; dicat Apoſtolus; Oportet nos omnes exhiberi antè tribunal Chriſti? aut ſi ad iudicium non veniat; quid ad tribunal exhibetur? Neſcio quomodo intelligam. Et iterum; Quid putamus fratres mei. In iſta turba quæ me audit, nulli ſunt mortui? Qui enim credunt, & ſecundũ veram fidem agunt, viuunt, & mortui non ſunt; qui autem vel non credunt, vel ſicut dæmones credunt tremẽtes & malè viuentes, filium Dei cõfitentes & Charitatẽ nõ habentes, mortui potius deputãdi ſunt. Vides ergo ex his Auguſtini verbis, quã tibi Chriſti verba in nullo patrocinẽtur. Mortuos deputandos dicis qui credunt quidẽ, quod ipſis cum dęmonibus cõmune eſt, ſed charitatem non habẽt, quos tu tamẽ propter fidem veſtram ſolam viuos dicis, & quidem æterna vita viuos. Deinde hoc etiam idem docet vitam gratiæ pijs in hoc Mundo promitti, & ſicut ad illam fit tranſitus à peccato & morte, ita contrario quoque modo fieri in nonnullis tranſitum ab illa ad peccatum & mortem. Habebant ergo Apoſtoli vitam in ſe; eamq́ue æternam dicimus, non quòd æterna ipſa ſit vita (accedente enim vita gloriæ illa quoque tranſit) ſed quod de æterno & al-

Qui uiuunt iſta uita.

Credere ſine charitate nõ eſt uiuere iſta uita.

& alterius æternæ, hoc eſt, gloriæ præparatoria ſit. Poteſt enim habens illam relabi ad priorem mortẽ ſicut Diuus Petrus. 2. Pet. 2. ex Prouerb. 26. cap. teſtatur. Si enim, inquit, refugientes coinquinationes Mundi, in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris IESV Chriſti, his rurſus implicati ſuperãtur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoſcere viam iuſticiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti, ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato. Cõtigit enim illis illud veri Prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti. Tales fuerunt illi de quibus Ioan. 6. ſcriptum eſt: Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant: & de quibus, 1. Timoth. 1. ſcribitur, quod circa fidem naufragauerunt, & ſint traditi Satanæ. Quam ob rem Dominus quoque nos præmonens, Luc. 9. dicit: quod nemo mittens manũ ſuam ad aratrũ, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Et Apoſtolus Apocal. 3. monet, vt teneamus quod habemus, ne alius accipiat coronam noſtram. Et alius Apoſtolus Rom. 11. monens, noli inquit, altum ſapere, ſed time. Potens eſt enim Deus vineam ſuam locare alijs, Matth. 21. Sed & 2. Corinth. 4. Apoſtolus nos periculi noſtri

Relapſus à uita ad mortem.

commonefacit,cũ dicit theſaurũ nos habere in vaſis fictilibus.Ex quibus manifeſtum fit,eos qui hic vitam fidei & gratiæ Chriſti qui ęternus eſt habẽt,nõ ita ſecuros in vtrãlibet aurem dormire,non ita de vitæ æternę promiſsione præſumere gloriaríue oportere,quaſi à gratiæ Dei vita non poſsint excidere,atq; ideo non omnium piorum interceſsionibus precibusq; indigeant. Etenim ſi verba hæc Domini: tranſijt à morte ad vitam: de æterna vita illa,quam ſpe ſolummodo hic tenemus, intelligenda ſunt: neceſſario ſequi videtur,aliquos qui iam ea potiti ſunt, ab eadem rurſus excidere. Quod ſi conceſſeris: vbi quæſo proprietas æternæ beatitudinis eſt, quæ in illa vita promittitur,perpetua nempe ſecuritas,vita ſine amittendi timore, ſine poſsidendi ſolicitudine? Hæc enim propriè ad beatam vitam pertinent. Sed quoniam nemo,qui ſemel illam verè æternam ſalutem vitamque ingreſſus eſt,rurſus ab eo excidere poteſt, poteſt autem ab iſta excidere,quam Chriſtus credẽti in hac vita promiſit: non eſt certè gratiæ vita quæ eſt gloriæ,nec gloriæ, quæ eſt gratiæ. Deinde etiam, ſi,quẽadmodum tu vis, tranſitus hic à morte ad vitam, ſempiternæ vitæ introitus intelligitur, neceſſe eſt extremum iudicium iam olim tempore Chriſti

Non eſt ſta tim gloriæ vita quæ gratiæ.

per-

peractū eſſe. Quoniā nemini æterna vel vita vel mors ſecundum totum hominem tribuitur, niſi completo iudicio extremo, In quo reddetur vnicuique ſecundum opera ſua. Atque vt hoc etiam addam, non erit æterna vita aliud, niſi verbi Dei auditio, & ex auditione illa concepta fides, ſecundum ſæpe à vobis malè allegatum Prophetæ dictum, Abac. 2. Iuſtus in fide ſua viuet. Sed Paulus teſtatur, quod non ſit futura illic fides, 1. Corinth. 13. Adde hoc etiam: ſi vita gratiæ in hoc mundo vita eſt æterna (tuo ſenſu, Iacobe) quæſo quid eſt, quod Apoſtolus dicit, Epheſ. 1. nos ſpiritum ſanctum accepiſſe, pignus hæreditatis æternæ? Etenim vbi res ipſa poſsidetur, eiuſdem rei pignus neceſſarium non iudicatur. Quare & pignoris acceptio, veri atque promiſsi boni non poſſeſsionem hîc, ſed expectationem indicat. Poſtremùm, vita æterna non eſt aliud præter regnum cœlorum ac Dei. Iubemur autem credentes omnes pro conſequendo regno Dei hîc orare: Matt. 6. Adueniat regnum tuum: Ita q; quod petimus, non habemus. Quanquam & hoc verū atq; indubitatum ſit, appropinquaſſe in nos regnum Dei, imô intra nos eſſe illud, Matth. 3. & 4: Luc. 10. Quoniam vero quod æternum eſt, in ſuo eſſe perfectionem habet: ne-

 ceſſe

ceſſe eſt,ſi hîc habetur æterna vita, corporis quoque iam eſſe factam reſurrectionem: quandoquidem ſine corporis reſurrectione æterna ſemperq; ſibi conſtans, ſine vlla vllius rei acceſsione,vita eſſe nõ poteſt. Sed confitemur reſurrectionem in ſymbolo nõ iam factam,ſed futuram: & erroris arguuntur,tanquam hæretici, Hymenæus atq; Philetus,2.Timoth.2. qui dixerunt reſurrectionem iam eſſe factam. Verum tamen tu maior eris,Iacobe,Apoſtolo Dei, exactiorque illo,qui in tertio cœlo vidit arcana Dei,quę non licet homini loqui,tibi tribuetur diuinarum rerum noticia.Tu hîc gloriaris in vita æterna: Apoſtolus hoc non audet,ſed gloriamur,inquit, IN SPE gloriæ filiorum Dei. Spes ſanè non id ipſum eſt,quod ſperatur,& cuius eſt ſpes.Vnde idẽ Apoſtolus, Rom. 8. dicit: Spes autem quę videtur non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus,ſperamus:per patientiam expectamus. Tu ſecuritatẽ perſuadere conaris hominibus tuis, quaſi iam de omnibus certis,quaſi iam nunc vitã æternam poſsidentibus: ſed Apoſtolus,Rom.8. omnium piorum nomine in hac miſeria cõfitetur,quod noſipſi qui primitias Spiritus habemus,intra nos gemimus adoptionẽ filiorũ Dei.Quantũ ergo intereſt inter ingemiſcere

Collatio Pauli apoſtoli & Iacobi Andreæ, cum utriuſque doctrina.

miſcere ſancto quodam deſiderio ad patriam, & poſsidere patriam, tantum quoque tua peſtilẽs ab Apoſtolo, aq́; vero abeſt opinio, nec vnquã pijs perſuadebis, vt eos iam planè beatos ac propterea viuẽtium orationibus non indigentes iudicare velint, quos ſub fidei ſigno hinc diſceſsiſſe nouerunt, quantumuis Chriſti verba de vita æterna, nefariê corrupta, ad confirmandum errorem tuum in medium produxeris. Tranſierunt illi cum hîc olim vel nobiſcum vel ante nos viuerent ab incredulitate ad fidẽ: ab iniuſtitia ad iuſticiam: ab ira in gratiam: atq; ideo etiam à morte in vitã. Quod ſi hæc vita perfectè in illis conſummata eſſet, ſi ſine peccati reatu aut macula perſeueraſſe vſque in finem, nobis certo conſtaret, quoniã ſcriptum eſt, qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit, Matth. 24. tàm non oraremus ſacrificaremusq́ue pro illis, quàm idem nõ facimus pro Petro aut Ioanne Apoſtolis? quos ipſi quoque patronos atque rogatores noſtros ad Deum quęrimus atque adhibemus. Sed quoniam quid illis acciderit, quando animam agentes alteram vniuerſæ carnis viam ingreſsi ſunt, atque adeo etiam tranſierunt ignoramus, quoniam ſanctiſsimum Prophetam meminimus dixiſſe: Ab occultis meis munda me, Pſal. 18. quoniam

accuſatoris vim & aſtutiam,quã in extremis certaminibus præſertim addit non ignoramus,deniq; quoniã mẽbra illi noſtra ſunt, charitas vrget nos,vt ſoliciti de ipſis,cõmunem Deũ ac ptrẽ cum fiducia adeamus petẽtes,ſua gratia ac miſericordia in eis adimpleat,qđ ab humana fragilitate deeſt. Hoc pium ac ſanctũ Sacræ literæ teſtãtur,hoc (vt ſupra demonſtratũ eſt) vniuerſa ſemper cõfirmauit Eccleſia,hoc vniuerſus cœtus omniũ ætatum atq; nationũ, eorũ qui Eccleſiã aliquando Dei ordinatione adminiſtrarũt approbat:hoc qui aliquando negare voluerunt, pro hæreticis ſemper declarati ſunt. Quamobrẽ ne tu quidem hodie hãc notam effugies,nihilq́; ad extinguendũ purgatorij ignẽ Domini verbis iſtis adductis efficies. Neq; vero miramur, vos tantopere negare purgatoriũ. Neceſſario enim facitis,quoniã ſi non negaretis, ipſi per vos excogitatum axioma de iuſtitia,quã ſola fides (ſi Dijs placet) efficit, peſſundaretis. Ad tuendũ vero hoc,non ſolũ purgatoriũ,non orationes ſacrificiaq́; pro defunctorũ ſpiritibus, verum etiam omnia alia pietatis officia apud vos in vitio ſunt. Quod quàm verè faciatis,docebitur in ſequentibus. Cur non etiam cum Platone,Origene,Almarico,& reliquis eius generis hominibus infernum ipſum negatis?

tis? quandoquidem hoc vobis ſemel in omnibus veſtris dictis factisq́; propoſitum videtur,ad omnem nequitiam impietatemq́; feneſtram aperire.

Auguſtinus de ciuit. Dei lib. 21. cap. 13. Platonis argumenta pœnas inferni negantis,adducit: Multa de Dijs immortalibus deque pœnis eſſe à Philoſophis conficta, non quod ita verè ſit, ſed ſolum ad terrendos homines,vt metu contineantur in officio, quos recti æquique amor non flectit. Et Origenes nimium de miſericordia Dei ex Pſalmo 35. & Sapient. 11. cap. præſumit. His te ſimillimum refers, quando Eccleſiæ de iuſtitia Dei ac ſatisfactione doctrinam tàm imprudenter conuellère niteris. Etenim quòd iuſtitiæ Dei ſatisfaciendum ſit, ſiue in hac, ſiue in altera vita, negare, quid eſt, niſi infernum non eſſe dicere,quandoquidem ex vno eodemque fonte tàm inferni perpetuæ quàm purgatorij temporalis pœnæ fides atque doctrina proficiſcitur. Supra demonſtratum eſt, quod dimiſſo peccato, maneat tamen pœna, tàm in nouo Teſtamento quàm veteri. Quid vero vetat ſicut de cœlo Chriſtus teſtatur: Ioannis 14. In domo patris mei manſiones multæ ſunt: ita quoque de inferno credamus? Quoſdam ibi ad tempus, alios

Inferni pœnas qui & cur negãt.

Iuſtitiæ Dei ſatiſfaciendum eſt.

Pœnæ inferni non ocæquales

ſiue tempore æternũm ibidem cruciari? Cũ ſcriptum ſit Apocal.18. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Omnia enim Deus in numero, pondere, & menſura conſtituit, Sapient. 11. Quomodo autem veritas iudicij conſtare ſibi poſſet, quam Apoſtolus, Roman.2. prædicat, ſi non vnicuiq; ſecundum operum ſuorũ qualitatem redderetur? Vnũ atq; idem nõ admittit magis vel minus. Sed infernus habet magis minusq́;. Deuter. 32. Ignis ſuccenſus eſt, inquit Dominus, in furore meo, & ardebit vſq; ad inferni nouiſſima. Nouiſsima dicens, oſtendit eſſe etiam alia non nouiſsima. Sicut Dauid quoque Pſal.85. loquitur. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Et Dominus in Euangelio de tenebris exterioribus docet, Mat.22. Sanè exteriores non diceret, ſi non & interiores & ſuperiores eſſent. Tum vero, quod in inferno non ſit redemptio, Pſal.6. docetur, atque ideo etiam nec fides, nec ſpes, nec charitas, nec inuocatio Dei ibi erũt. Nihilominus Apoſtolus, Philip. 2. teſtatur, quod in inferno genuà curuantur Chriſto IESV vniuerſorum Domino. Quæ omnia inæqualitatem pœnarum ac temporum manifeſtè aſſerunt. Hinc ergo Catholici pœnas aliquando finiendas: & infernum, qui non eſt infe-

inferior omnino, neque nouiſsimus: & tenebras, quæ non ſunt exteriores, purgatoriũ dicimus: ab effectu ſuo ac fine ſumpto nomine, quoniam non perpetuo cruciãdis, ſed duntaxat purgandis animabus adhiberi creduntur: Atq; iiſdem argumentis purgatoriũ probatur, quibus Infernus. Vbi autẽ ſit vel Infernus vel Purgatorium, hominem arbitror ſcire neminem, niſi fortè cui Spiritus diuinus oſtendit. Et Aug. lib. Retract. cap. 29. retractãs quod dixerat ſuper Geneſ. 12. Magis mihi videtur, inquit, dicere debuiſſe, quod ſub terris ſit, quam rationem reddere, cur ſub terra eſſe credatur. Et Greg. 4. Dialogorum: Hac, inquit, de re temerè diffinire non audeo: nonnulli nanq; in quadam terrarum parte infernum eſſe putant: alij vero hunc ſub terra eſſe exiſtimant. Neque vero deſunt, qui quibuſdam rationibus nituntur, cum infernum ſub terra vel in centro terræ eſſe docent. Cum enim Deus omnia iuſto ordine diſpoſuit: Ordo autem, teſte Auguſtino lib. 19. de ciuit. Dei. cap. 13 ſit parium diſpariumq; rerum ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio, ſicut in naturalibus corporalibus leuia ſurſum, grauia deorſum vſque ad centrum tendunt, ita etiam in ſpiritualibus rebus, leues atque à plumbi grauitate immunes animæ ad cœleſtia: graues

Inferni ſitus & locus.

vero ac plumbũ habentes ad inferiora deſcendere videntur. Deinde etiam conſentaneum eſt, vt locus & locatum proportionētur. Sunt enim in peccatrice anima cõſiderãda tria: elongatio à Deo, obſcuritas, & frigiditas. De quibus ſcriptũ eſt. Prouer. 15. Sapient. 2. Nouiſsimus aũt locus à Deo, qui in cœlis eſt, centrũ arbitramur, nec vllus eſt alius vel obſcurior, vel frigidior. Hic ergo iſtis animabus conuenit. Idẽ quoq; aut certè ſimile ex oppoſitiõe locorũ doceri poteſt: vt, quia Paradyſus in oriente, altiſsimoq; loco (ſicut Damaſce. lib. 2. Sent. docet) ſitus eſſe iudicatur, Infernus cõtrariæ qualitatis ſit ex oppoſito. Sed & ſacræ literæ huic aſſertioni conſentiunt. Vt quod Iſai. 14. dicitur. Infernus ſubtus turbatus eſt. Et Mat. 12. Chriſtus in corde terræ deſcribitur tribus diebus. Et Prouer. 9. In profundis inferni cõuiuę eius. Deniq; ipſe etiam actus eo perueniẽdi hoc ipſum docet, quia qui illuc vadunt, deſcendere dicuntur, nõ aſcendere, nec in vtramlibet partam ſiniſtrę dextræúe abire. Iob 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Hæc de eo quod in cẽtro ſit infernus. Ad cuius confirmationem tremendum illud exemplum, Numer. 16. facit, in quo impij atque rebelles hiatu terræ abſorpti, ac viui in infernum deſcẽdiſſe deſcri-

Tria in peccatrice anima cõſideranda.

[P]aradyſus

ſcribuntur. Quæ tamen nõ ita affirmamus, quaſi nõ ſint etiã,qui alibi, vel in ſuperficie terræ,vel in aëris parte torquentur. Quoniã quum in aëre dæmones eſſe Scripturis ſacris aſſeritur,Epheſ.6. Sacri Doctores ideo etiam ibi eſſe docent,vt torqueant animas. De qua re Hieronymus in hunc Pauli locum ita ſcribit: Veruntamen,inquit, quanto quis prior fuerit, tãto vicinior erit terræ locis,& pinguiori ſubſtãtiæ. Siquidẽ & terra & circundatus nobis aër habẽt pinguedinẽ ſuam.Nã etiã in alio loco de dæmonibus quod in aëre iſto vagentur,Apoſtolus ait:In quibus ambulaſtis aliquando iuxta ſeculũ Mundi huius,ſecundum principẽ poteſtatis aëris Spiritus,qui nũc operatur in filios diffidẽtię.Et iterũ.Aiunt quidã & animas corporib⁹ liberatas,ſi attenuatę fuerint in præſenti vita,& lima, vt ita dicam,ἀσκήσεως atq; virtutũ in ſubtile corpus attritæ, nõ habitaturas in pinguiorib⁹ locis, ſed Deo qui incorporeus eſt,vicinas fore. Si vero tales fuerint,de quibus dici poſsit: Filij hominum vſq; quo graui corde,Pſal. 4. ſecundũ craſſitudinis ſuæ pondus ad infima detrahi, & pinguedine prægrauari.Poſt hoc & illud pariter diſſerendũ,an hac terra & aëre, aliquis pinguior locus ſit,qui à pleriſq; appellatur Infernus , in quo hi qui dicuntur Inferi,
com-

commorentur. Qui nam vero iſti ſint, & quam vel cognationem vel diuerſitatem habeant, ad eos qui ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus appellantur, non eſt præſentis temporis diſputare. Hæc ibi Hieronymus, quibus Gregorij dubitationi de certo Inferni ac Purgatorij loco aſsignando, aſſentit: nec negat ſub terra ſeu in centro terræ Infernum eſſe, nihilominus tamen & ſupra terram eiuſmodi pœnalem locum eſſe, fama ferri, affirmat. Ex quibus atque alijs quibuſdam quæ iam de Inferni ac Purgatorij loco ſunt dicta, bifariam purgatorij locus determinari poteſt: vel ſecundum communem legem in terra & inferius, vt ſit coniunctus Inferno. Sicut Gregorius in Dialog. loquens ait: Vna eademq; vis puniens bonos probat, purgat, & eliquat: malos vero condemnat, deuaſtat, & exterminat. Vel ſecundum diſpenſationem diuinam: Vt ſit nonnullis vel ſupra terrã, vel in ſphæra ignis, vel alibi. Cuius rei recentiora exempla adferri poſſent, quam quæ poſsint negari. Quoniam vero duo ſunt, purgari poſt hanc vitam, & in igne ſiue per ignem purgari: de hoc etiam breuiter videamus. Poſſumus autem hunc purgatorij ignem eundem cum infernali dicere. Id quod Gregorius 4. Dialog. videtur innuere. Sub eodem igne, inquit,

Inferni ignis.

electus

electus purgatur, & damnatus crematur. Nec multum refert, idem vterque ſit, an vero diuerſarum naturarum, dummodo conſtat eſſe ignem: quod qui negat, apertiſsimis Sacræ Scripturæ teſtimonijs repugnat. Matth. 25. teſtatur Dominus, ignem æternum eſſe paratum Diabolo & Angelis eius. Luc. 16. Ignis ardor adeo Epulonem diuité cruciat, vt pro guttula refrigerantis aquæ mendicare non erubeſcat. Si itaq; ignis ibi eſt, quid magnum, ſi cum Paulo 1. Corint. 3. confeſsi fuerimus, quod ignis vniuſcuiuſq; facta probaturus ſit? præſertim cum Petrus 2. Pet. 3. teſtatur, elementa Mundi ignis calore ſoluenda, & terram quoque, cum ijs quæ in ea ſunt operibus exurendã eſſe. Hęc teſtimonia ignem nominant, ac de igne loquuntur certè materiali. Videamus ergo an idem ille ignis, effectus naturalis ignis in ſe habeat. Malach. enim 3. dicitur. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurũ, & quaſi argentũ, & erũt Dño offerentes Sacrificia in Iuſtitia. Hũc locũ de Purgatorio igne intelligi, docet Auguſtinus lib. 20. de Ciuit.

Ignis materialis.

Ignis effectus.

Ciuit.cap.25.Et Apoſtolus,1.Cor.3.de igne loquitur qui opera probet, quæ manſura, quæque arſura ſint. Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc,aurũ, argentum,lapides precioſos,ligna,fœnum,ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit,quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit.Si cuius opus mãſerit, quod ſuperædificauit,mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit,detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignẽ. Hunc tu quidem,Iacobe,locũ folio 35.libelli tui,de Purgatorio igne rectè intelligi negas,vt multa alia.Sed falleris aq; vero aberras multum.Proinde opinioni tuæ veterum ſaniorem ac verã ſententiam opponere placuit.Origenes hom. 6. ſuper Exodum pertractans hunc Pauli locum,vbi triplicem malorum viam per ligna,fœnum,&ſtipulas intelligendam eſſe docuiſſet,conſequenter in hæc verba loquitur:Idcirco,inquit, qui ſaluus fit,per ignẽ ſaluus fit, vt ſi quid fortè de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum: quia aurum terræ illius bonum eſſe dicitur, quam habituri ſunt ſancti: & ſicut fornax probat aurum, ſic homines iuſtos tentatio. Veniendum eſt ergo omnibu

Teſtimonia patrũ de igne illo.

Origenes.

bu

bus ad ignem, veniendum eſt ad conflatoriũ. Sedet enim Dominus & conflat, & purgat filios Leui. Sed illuc cum venitur, ſi quis multa bona opera, & parum aliquid iniquitatis attulerit: illud parum tanquam plumbum igne reſoluitur ac purgatur: & totũ remanet aurũ purum. Et ſi quis plus illuc plũbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur, vt & ſi purũ aliquid ſit auri, purgatũ tandem reſideat. Quod ſi quis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod ſcriptũ eſt. Demergetur in profundũ tanquam plumbum in aqua validiſsima. Et hom. 25. ſuper Numerum. Tempus belli, inquit, nobis eſt in hoc Mundo. Spectat nos Angelorum chorus, quãdo vel quomodo de pręliò hoc reuertamur: ſolicitius perſcrutantur, quis noſtrum auri hinc amplius ferat, quis argenti pondus, quis lapides precioſos. Requirunt etiam ſi quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum. Requiritur ergo diligenter cum abierimus illuc quid vnuſquiſque noſtrum deferat, & ſecundum ea quæ detulerit, etiam manſionis ei meritum præparabitur. Probãtur enim hęc omnia quę per ignẽ, per ignem: quæ per aquam, per aquã: vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probabit. Vides quomodo purificatione indiget omnis qui exierit de prælio huius vitæ? Aug. quoq; in Enchi-

Exod. 15.

Omnis exiens de hoc mundo purgatione indiget.

Auguſt.

Enchiridio ad Laurentium, cum hunc eundem locum Pauli de igne tribulationis in hac vita expoſuiſſet, cap. 69. ſcribit in hæc verba: Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, vt vtrũ ita ſit, quæri poteſt, & aut inueniri aut latere: nonnullos fideles per ignem quendam purgatoriũ, quanto magis minúſue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusq́; ſaluari: non tamen tales, de quibus dictum eſt, quod regnum Dei non pôſsidebunt, niſi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Vide eundem ſerm. 4. de Commemoratione Animarum. Multi ſunt, inquit, qui lectionem iſtam male intelligentes falſa decipiuntur ſecuritate, dũ credunt, quod ſi ſupra fundamentum Chriſtum capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per tranſitorium ignem purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuam peruenire. Et infra. Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus: Ipſe enim ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Quicquid enim à nobis de iſtis peccatis redemptum non fuerit, illo igne purgandũ eſt, de quo dixit Apoſtolus: Quia in igne reuelabitur, & cuius opus exarſerit (hoc eſt cremabile fuerit) detrimentum patietur. Et Hieronymus in fine libri 18. Cómenta-

Hieronymus.

mentariorum in Iſaiam: Sicut Diaboli, inquit, & omnium negatorum & impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta: ſic peccatorum atque iniquorum, & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementię ſententiam Iudicis. Deniq; Gregorius 4. lib. Dial. cap. 39. Quamuis, inquit, hoc de igne præſentis tribulationis poſsit intelligi: tamen ſi quis de igne futuræ purgationis accipiat, penſandũ ſolicité eſt. Poſtremum Theod. Epiſcopus Syrenenſis: Apoſtolus, inquit, quod ſaluabitur ſic, tanquam per conflatorium ignem purgantem, quicquid inuenit per incautelam præteritæ vitæ: ex puluere ſaltem pedum terreni ſenſum, in quo tàm diu manet quàm diu quicquid corpulentiæ & terreni effectus inhęſit, purgetur pro quo mater Eccleſia hoſtias, & dona pacifica deuotè offert. Hęc ſunt maiorum noſtrorum de hoc Apoſtoli loco teſtimonia, quæ ſi pluris tua opinione (nulla fulta veri ſimilitudine) fecerimus, ipſe quoq; non iudicabis opinor iniquum. Confirmantur enim ex ipſis Apoſtoli verbis. Primum enim quòd Apoſtolus de manifeſtatione operum dicit: Vniuſcuiuſque opus manifeſtũ erit: non poteſt de hoc præſenti tempore intelli-

Gregorius.

Theodorus

Apoſtoli locus 1. Cor. 3. explicatur.

 telli-

telligi, in quo neſcit homo, vtrum amore an odio dignus ſit: quia omnia in futurum ſeruantur incerta. Sic quòd rurſus Apoſtolus dicit: Dies domini declarabit: non eſt intelligenda alia dies, quam extremi Aduentus Chriſti, teſte in eundem locum Anſelmo: dies, de quo idem Apoſtolus. 1. Theſſ. 5. cap. Scitis, inquit, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Et Ioel. 2. Magnus dies domini, & terribilis valde. Quis ſuſtinebit eum? Purgatorius igitur ignis ille eſt, non huius vitæ, ſed futuræ, ac vſque ad completum iudicium duraturus, quo & minus perfecti purgentur, & ſancti ipſi etiam probentur. Sicut Alcuinus Magni Caroli haud paruus Doctor eundem hunc Apoſtoli locum explicans, libro. 3. de Trinit. cap. 21. ad ipſum Carolum Magnum his verbis ſcribit: Non eſt dubitandum, inquit, hoc ipſum Apoſtolum dixiſſe de igni purgatorio, quem ignem aliter impij, aliter Sancti ſentient. Impij ſiquidem de illiùs ignis cruciatu ad perpetuas ignium flammas detrudentur. Sancti verò qui ſine omni peccatorum macula in corporibus ſuis reſurgent, qui ſupra fundamentum (quod Chriſtus eſt) aurum argentum & lapides precioſos ædificauerunt: tanta facilitate illum peruolant ignem, quanta integritate fidei & dilectionis Chriſti in hac vita cuſto-

Anſelmus.

Alcuinus.

Etiam ſancti hunc ignẽ purgatorium tranſeunt.

cuſtodierunt pręcepta. Eritque illis ignis il-
le diei Iudicij ſicut tribus pueris caminus
Babylonicæ fornacis fuerat. Qui abſque
omni flammarum lęſione in Domini laudes
omnium pulchritudinem creaturarum con-
uocabant. Sunt itaque quidam iuſti minutis
qiubuſdem peccatis obnoxij qui ædificaue-
runt ſupra fundamentum fænum, lignum,
ſtipulam: quæ illius ignis ardore purgantur:
à quibus mundati æternæ felicitatis digni
efficiuntur gloria, illoque tranſitorio igne,
& toto extremi Iudicij tempore completo,
duę congregationes altera, ſanctorũ, altera
impiorum: vna Chriſti, altera Diaboli, diui-
dentur. Hęc ille. Eadem inſania eſt quòd do
mini ſermonẽ de carcere Mat. 5. &. Luc. 12. in *Alter locus*
Moralem ſenſum omnino accipis. Præce- *Mat. 5. ex-*
dentia enim verba illius loci cùm Iudicij *plicatur de*
mentionem faciunt, apertè id coarguunt. Et *carcere & debito.*
Auguſtinus per Iudicẽ, Chriſtum intelligit;
per aduerſarium, ipſum Deum, qui omne
iudicium dedit filio; per miniſtros Angelos
carcerem quoque pęnas tenebrarum. Et
Chryſoſtomus licet conſenſionem cum ad-
uerſario dum ſumus in via, reconciliationẽ
inimicorum in hac vita intelligit, tamen Car
cerem & Iudicem non niſi de futuro ſeculo
interpretatur. Periculoſum eſt, inquit,
ſi vnus ex inimicis, pace non facta mor-

tuus fuerit. Si enim inimicātes per mortem iueritis, ante Iudicem tradit Chriſto, conuincens te reum iudicio eius. Et Origenes exponens hæc de carcere verba in Lucę Euangelio: Iudicem autem alium, inquit, neſcio, niſi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui tradit exactori. Singuli exactores proprios habemus, dominantur exactores ſi debuerimus aliquid. Si omnibus vniuerſa reddidero, nemo exactor eſt, & intrepida mente reſpondeo, nihil tibi debeo. Et Ambroſius: Aduerſarius noſter Diabolus eſt. Quis eſt autem Magiſtratus, niſi penes quem omnis poteſtas eſt? Hîc autem Magiſtratus tradit reum Iudici, ei ſcilicet, cui viuorum & mortuorum tribuit poteſtatẽ, ſcilicet, Ieſu Chriſto, per quem occulta redarguuntur, & improbi operis pœna mandatur. Ipſe enim exactori tradit, & in carcerem mittit. Dicit enim: Tollite & mittite illum in tenebras exteriores, & exactores ſuos mõſtrat eſſe Angelos: de quibus ipſe dicit. Exibunt Angeli & ſeperabũt malos de medio iuſtorum. Hęc ille. Iam Iacobe his conſideratis, & pro ſola fide præſume tibi tuiſque de vita æterna. Stabit contra te exactor & aduerſarius tuus, ſcilicet Scriptura ſacra: debita quę tu remiſſa opinabare, exiget durus ſolicitator: Exigit enim iam nunc quoque debitum à te.

Et quòd

Et quòd hoc debitum? An ſola fides: aut ſolum fidei ſignum? Nõ, ſed Iuſtitiæ actiones. Has cum tu præſtare illi, atq; exoluere tardas: & facis loqueriſque, quaſi abs te in ſcripturis ſacris exigi illas ignorares: illic extorquebit, vbi antea hîc non ſoluiſſe valde pæni tebit.

Altera obiectio tua eſt. Chriſtus pro nobis ſatisfecit, omnia ipſe tulit, quæ ſoluenda portandaque nobis reſtabant. Nulla ergo iam reſtat vel culpa vel pæna, nullum purgatoriũ: ſed à morte ſtatim aut vita æterna, aut perpetua miſeria. Reſpondeo. Quę Chriſti mortis ac reſurrectionis ſint merita; & quomodo pænam & culpam noſtram tulerit: dictum memini ſuperius Articulo ſeptimo. Verùm quod tanto anhelitu poſt mortem in cęlum feſtinas, id tantę autoritatis apud Deum non erit, credo, vt propterea ſententiam ſuam ordinemq; immutare, quem ſemel immobilem conſtituit, velit. Expectandum tibi pauliſper ante fores erit, mihi, aut ſi non mihi, ſaltem Apoſtolo crede: qui moram interponit Iudicij. Statutum eſt, inquit, Heb. 9. ca. hominibus ſemel mori: poſt hoc iudicium. Si dixiſſet Apoſtolus: poſt hoc vel vita æterna vel perpetua miſeria: tibi propter eius autoritatem crederem: Verùm quoniam Apoſtolus aliud, aliud tu dicis, da- *Chriſti merita.*

bis veniam nobis, ſi, tuis reiectis, Apoſtoli Autoritatem in hoc, ſicut & in alijs omnibus ſequuti fuerimus. Eſt autem duplex eiuſmodi iudicium: aliud particulare, quod ſingulos ſingulariter ſtatim ab exitu animæ manet: aliud generale, in quo omnes ſimul aſtabimus ante tribunal Chriſti. Particulare illud quotidie exercet, generale extremo tantum die ſupra ſolium Maieſtatis ſuæ celebraturus eſt Dominus: ita quod nemo antè illius magni diei Iudicium finem ſuum perfectè aſsequuturus ſit, in quo ſine fine æternũ maneat; ſed quotidie appropinquat redemptio eorum atque perfectio.

Iudiciũ poſt mortem du-plex.

Quemadmodum Ioannes quoque Apocalyp. 6 cap. animas nonnullas corporibus exutas vidit nõ in vita ęterna (eo ſcilicet quo tu ſomnias, modo) neque in inferno: ſed ſub altari: quæ & ipſæ iudicium vt expectent iuſſæ ſunt. Quod cum ita ſit, vti negari non poteſt, ſequitur à veritate alienum eſſe, quòd ſine prę eunte Iudicio cuiquã credentiũ vitã æternam polliceris. Sed vis, vt quòd ſentio de te, dicam? Videris non longe à Sadduceorum veteri errore tàm infando abeſſe, nec ſatis de Reſurrectione eſſe inſtructus corporum, quod venenum ex Buceri hauſtum concepiſſe te reor Commentarijs ſuper Euangeliſtam Matthæum. Vbi Inferni nomen ſepul-

pulchrum interpretatur cuiuſque hominis: quaſi non ſit aliud infernus quã ſepulchrum vt ſicut impij propetuò ex inferno nõ redeunt. Iob.7. ſic credamus & corpora perpetuò in ſepulchris manſura. Quemadmodum ergo poſt mortem reſtat ſubeundum Iudiciũ; & merita ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ omnibus Mundi peccatis tollendis abundè ſufficiunt, non ſunt cauſa, vt non reſtet Iudicium antè vel vitam vel interitum ęternũ. Ita quoq; eadem ipſa merita non faciunt, vt mala quæ nos in hoc Mundo grauãt, ſint tantũ paternę correptiones: & non etiam ſæpe pro commiſsis noſtris pęne inflictę. Vult enim Paulus Rom. 8. & hanc Dei eſſe voluntatem haud obſcurè dicit, vt in ferendis paſsionibus filio Dei ſimus conformes. De filio aũt Dei teſtatur Iſai.53. quòd Deus omnium noſtrum peccata ſuper eum poſuerit. Et 1 Pet. 2. ſcriptum de eodem eſt, quòd peccata noſtra in corpore ſuo tulit ſuper lignum. Quo loco nomine peccatorum noſtrorum veterũ Commẽtaria pęnas pro peccatis noſtris debitas intelligunt. Pænam itaq; Chriſtus tulit atque ſuſtinuit: & ſuſtinendo nos illi conformes fieri oportet; Quomodo ergo dici poteſt, nos pænam peccatorum non portare; vel mala quæ nobis infliguntur, non eſſe pænas pro peccatis debitas? Auguſtinus ſanè

Non omnis afflictio paterna eſt correptio ſed etiam ſæpe pro peccatis.

longè ſecus de huius vitæ paſsionibus lib 3. de lib.arb. docuit, aſſerens omnem pænam iuſtã eſſe, & pro aliquo peccato proprio, aut alieno impendi. Et lib. 83. Quæſt. Q. 24. dicit, quod Deus nullam pænam immerito ſinit infligi: quandoquidem meritum pænæ peccatum eſt. Vnde etiam Bonauent. dicit: quod omnis pæna reſpicit culpam vel prçcedentem vel præſentẽ in eo qui ſuſtinet, vel in alijs. Et ante vtrumq; Hieronymus dicit: quod quicquid patimur, peccata noſtra demeruerunt. vel propria, vel aliunde contracta. Cui ſententiæ Eliu dictum, Iob. 34. patrocinatur: Abſit, inquit ille, à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reſtituet eis. Verè enim Deus non condemnabit fruſtra, nec omnipotens ſubuertet iudicium. Confitemur ergo ſaniore fide, pænas æternas per gratiam Dei nobis in temporarias commutari. Id quod exemplis probandum erit. An non diffidentia in Deum, incredulitas, & murmura contra Deum, peccata ſunt mortalia, & æternis pænis digna? Vtiq, veruntamen pro tali commiſſo æternæ pænæ in temporarias commutantur, Numeri 11. cap. An non adulteriũ & homicidium, peccata ſunt æternis cruciatibus digna? In temporales tamen eos tranſtulit Dominus.

Pænam æternam in temporariã commutari.

nus.2.Reg.12.Etenim Moſes & Dauid Credentes fuerunt in Christum Ieſum,temporariā tamen pęnam vterq́ pro peccatis ſuis ſuſtinuit.Et quid ſunt omnia pænitentiæ opera in genere, niſi compenſatio quędam æternæ pænæ per temporariam?Sicut 2.Pet.3. ca. apertè dicitur: patienter agit Deus propter vos,nolens aliquos perire:ſed omnes ad pęnitentiam reuerti. Sic quæ Paulus Rom.2. ſcribit,Ignoras quòd benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Et mox:tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum,Iudæi primum & Græci: An hæc ſunt aliud quam pænæ? Vide quæſo in in Oſeę per totum ; Secundum multitudinem peccatorum eorum,ſic reddam ignominiam eorum. Viſitabo ſuper vias eorum & cogitationes eius reddam ei: Comedent & non ſaturabuntur. Vide Ioel.1.pænam;Et quod peccatum tam grandis pænæ?Superbè egit populus,inquit propheta. Vide Ieremię 6. pænam,Et quod delictū? Verba mea non audierunt , & Legem meam proiecerunt.Quis non vidit huiuſmodi non tàm paternas eſſe correptiones,quàm irati Dei pęnas pro peccatis immiſſas? peccanti Dauid Dominus miſit præconem iræ ſuæ:confitetur Dauid peccatum.Et quid Nathan ? Non dicit;propter merita Christi nullum tibi im-

minet malum, nullum peccatum, hoc eſt, nulla tibi pœna ſoluenda reſtat, omnia Chriſtus efficit. &c. ſed Dominus TRANSTVLIT peccatum tuum. Sic quoq; idem rex Dominum precatur dicens; Obſecro TRANSFERAS iniquitatem ſerui tui, Sed maius quid dicam. nempè quòd non ſolum æternę pœnæ in temporarias transferantur, verumetiã quòd ſic tranſlatæ pœnę non ſemper ſuſtineantur, aut perſoluantur ab ijs ipſis, qui eas peccando meruerunt, ſed nõnunquam etiam ab alijs qui non ſic peccauerunt. peccauerat Dauid grande peccatum adulterio commiſſo Verum manifeſtum eſt, pœnam in innocentem infantem abundare ac transferri. Cum enim Nathan dixiſſet illi, quòd dominus tranſtuliſſet peccatum; ſtatim addit; non morieris. Verumtamen &c. filius qui natus eſt tibi morte morietur, 2. Reg. 12. Magnum erat & Salomonis peccatum, quia dereliquerat Dominum, factus idololatra. pęna verò tandem in filium eius transfertur Roboam. Quia habuiſti hoc apud te, inquit, dominus ad Salomonẽ, tu non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi; diſrumpens ſcindam regnũ, & dabo illud ſeruo tuo. Verùm in diebus tuis nõ faciam, de manu filij tui ſcindam illud. 3. Reg. 11. Baruch 3. cap. ſcribitur, quomodo mortuorum

rum pęnæ, quas illi dum viuerent, meriti erant poſteris incubuerint: Domine Deus omnipotens Deus Iſrael, audi nunc orationē mortuorum Iſrael & filiorum ipſorum qui peccauerunt antè te, & agglutinata ſunt nobis mala. Noli meminiſſe iniquitatis patrum noſtrorum, ſed memento manus tuę, & nominis tui in tempore iſto; quia tu es Deus dominus noſter, & laudabimus te domine, qa propter hoc dediſti timorem tuū in cordibus noſtris, & vt inuocemus nomen tuum & laudemus te in captiuitate noſtra, quia conuertimus ab iniquitate patrum noſtrorum qui peccauerunt ante te. Et ecce nos in captiuitate noſtra hodiè ſumus, quo nos diſperſiſti in improperium, & in maledictū, & in peccatū, ſecundū omnes iniquitates patrum noſtrorū. Hæc ibi; Quare ergo poſteri non ſuſtinerent voluntariè pro defunctis, quorum pænas velint nolint ſuſtinere oporteat? vbi cum tanto furore tantaq; ira Deus contra peccatores agit inq; eos ferit, vt etiam Angeli fleant, Iſa. 22. cap. cælum ac terra lugeant, Ierem. 4. cap. Hîc te non pudeat, Deum quaſi iocari aut ludere cum ſuis, affirmare? Quamobrem Sacris literis edocti Maiores noſtri malorum, quæ in hoc Mundo ſuſtinemus, quinque cauſas eſſe tradiderunt. Quarum prima hæc eſt: *Paſsionum in hoc Mundo quinque cauſæ.*

vt per

vt per aduerſa Iuſtis merces augeatur, ſicut in Iob. Altera vt Credentes fidem & virtutum ſuarum ornamenta per humilitaté conſeruent, ſicut in Paulo, quem Angelus Satanæ colaphizabat. 2. Corinth. 12. cap. Tertia, vt peccatum per aduerſa puniatur, ſicut in Maria Moſi ſorore, quæ propter murmura percuſſa fuit lepra. Num. 12.

Quarta vt gloria Dei per aduerſa manifeſtetur. Sicut in cæco nato, Ioan. 9. cap. Quinta vt temporariam pænam, æterna continuet, ſicut in Pharaone & Herode Act. 12. De quibus ſcriptum eſt Ierem. 17 Duplici contritione contere eos Domine. Hæc docent nos de cauſis ærumnarum in hoc mundo, vt agnoſcamus Deum grauiſsimè iraſci peccatis, nec ſolum propter ea priuatos homines punire, verum etiam ingentia ac florentia regna perdere, ac vt pænitentiam agamus à peccatis quoniam vltionum Dominus Deus eſt viſitans iniquitatem patrum in filijs. Vtque iuuemus nos mutuo quacunque re iram iuſti DEI placandam arbitramur. Quæ verò deinceps ad finem vſque huius Articuli addis, eo tendunt: ne quis reſpiciat ad ſuperiorum temporum memoriam: ne inquiramus quid & quomodo vixerint crediderintque Patres noſtri quis apud eos concionum vſus, quæ religio, quis cultus

tus apud eos extiterit,ne incipiant homines ipſorum veſtigia inſequi,quorum pietate & laboribus ſunt in hanc Lucem enutriti.

Sed non diffido fore, vt pij homines hæc tua in occaſionem ad maiorum ſuorum veſtigia reſpiciendi accipiant,& ſuæ ſalutis curam maiori ſtudio agendi. An quicquam eſt apud nos,quid Maiorum noſtrorum virtuti reſpondeat?An non omnia dilabuntur in peius: Cur ergo ſola Religionis negotia noſtro æuo melius habere crederemus? Chriſtiani ſumus in Germania ſupra octingentos annos. Habuerunt Maiores noſtri Dei Sacrificium cæteraſq́ue cæremonias: nullusúe in omnibus fuit qui errorem, ſi quis apud ipſos fuiſſet,potuit agnoſcere? nemo qui agnitum auſus fuit patefacerre? In omnibus Eccleſijs, in omni ſacrificio, in omni prędicatione, pro defunctorum Spiritibus precatum fuit, vt eis vniuerſorum Dominus locum refrigerij lucis ac pacis indulgeret. Hoc Sacræ literæ approbant: natura docet: conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ confirmat. Ad ſolas,Iacobe,tuas paucorumq́ue tuorum vociferationes, ſine ratione, ſine verbo teſtimonioq́ue Dei vllo nuper auditas, ab eo quòd nobis ſancto concreditum eſt mandato,turpiter ac leuiter deficiemus? Abſit. Neque enim poteſt nunc iniuſtum,

impi-

impium, aut illiberale eſſe, quod aliquando iuſtum, pium ſanctumq; in vniuerſa piorum Eccleſia celebratum obſeruatumque fuit.

ARTICVLVS DECIMVS. QVODLIBET.

Congeries huius Articuli.

HVnc decimum Articulum ſupra, Articulo quinto Autor poſuit. Eandem enim Eccleſię orationem, quam illic adduxit, hîc denuo repetit, eundemque illic ſenſum peregrinnm & à mente Eccleſiæ alienum affingit. Cur verò id faciat, ſatis perſpicere non poſſum. Quãdo igitur ſupra, omnia eius crimina verbi Dei clipeo reieci, veritatemque Catholicam defendi, eadem hîc denuo repetere ſuperfluum eſt. Hoc tantum pius Lector diligenter conſideret, quanta impudentia ſit, toties ac tàm inſolenter contra ſacrificium laudis vociferari, quod tàm manifeſtè præceptis, exemplis, beneplaciti Dei teſtimonijs, atque promiſsionibus in Sacris ſcripturis traditur atque fundatur. Etenim qui eiuſmodi res diuinas, abominationis, idololatrięque accuſare audet, quid inau-

Reiectio.

ſum

ſum relicturus ſit, non video. Cedant illi, CHRISTVS cum Euangelio ſuo, cedant Apoſtoli cum doctrina ſua, nihil prophetæ valeant. Vulcanus magno ſolus Dominetur in orbe, quam diu illi Deus atque Magiſtratus ad eiuſmodi conniuent. An enim abominatio eſt, laudare pro acceptis beneficijs DEVM? An idolalatria eſt, pro redemptione noſtra, per CHRISTVM IESVM facta, Sacrificium illi laudis gratis animis perſoluere? Non opinor. At nihil hic Sacerdos aliud agit hac oratione quòd quam cum Eccleſia communem DEVM laudat & prędicat.

Et quur id omninò? vt nouam redemptionem, nouam Spem, nouamq; ſalutem conſtituat, aut accipiat? Minimè. Sed disertis verbis ait: Offerimus tibi Domine hoc ſacrificium laudis pro redemptione animarum noſtrarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis noſtræ, vota noſtra tibi reddentes. Hæc verba; pro redemptione, pro ſpe, &c. ſi quis ita interpretari velit, quaſi nouam redemptionem, nouamque ſpem atque Salutem ſignificent; & non magis pro olim data atque accepta redemptione ſpe atque ſalute gratiarum actio quædam ſint; an non hoc eſſet aliorum dicta ſcripturaſque falſare; & quidem vniuerſalis Eccleſiæ? Et

Eccleſiæ? Et quis vnquam audiuit,per laudis ſacrificium ſiue per gratiarum actiones CHRISTI ſeruatoris noſtri meritis iniuriam fieri aut quicquam detrahi ? Quærit regius propheta Dauid Pſalmo.115.

Quid,inquit,retribuam Domino pro omnibus quę retribuit mihi?Et quaſi reſpondens illi Deus Pſal.49, ait; Sacrificium laudis honorificabit me; Propterea idem propheta quaſi lętus de reſponſo, exultans ait; Calicem ſalutaris accipiam & nomen domini inuocabo. Dirupiſti Domine vincula mea,tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Votaq́ue mea reddam in conſpectu omnis populi eius. Quòd factú prophetæ adeò imitatur nouę gratię ſacerdos, vt qui hunc ideò reprę̧hendit, quod Sacrificium laudis Domino Deo ſuo reddit non poſsit non etiam ipſam prophetā arguere. Quamobrē hic articulus indignus eſt, qui à nobis refutetur amplius.

ARTI-

ARTICVLVS VNDECImus, Quodlibet.

QVæcunq; ab alijs Eccleſię Catholicæ vera'que religionis hoſtibus his quadraginta aut quinquaginta annis ad explodendum Miſſæ ſacrificiũ paſsim ſunt dicta ſcriptaq́; quæq; his decẽ ſuperioribus Articulis enumerata adiuimus, ea ferè omnia in hunc poſtremum egregij operis ſui Articulum Iacobus, veluti aceruum, congeſta denuo venum exponit: Quia vero eadem quoq; ſacrarum Scripturarum teſtimonijs irrefutabilibuſque argumentis, mendacij erroriſq́; conuicta ac veluti in effutientis os reiecta ſunt: minus hîc laboris mihi ſupereſt. Quá ob rem partes huius Articuli, alteram poſt alteram, recenſebo, ac grata breuitate iuſtò ordine ſingulas examinabo, &, in quõ non magnus labor ineſt, refutata monſtrabo.

Conqueritur principio dicens: Solus ſacerdos ante altare manducat & bibit. Ergò contra ſua ipſius verba facit, quibus dicit: Quod ore ſumpſimus, pura mente capiamus. Sed & inſtitutioni Chriſti repugnat. Reſpondeo. Nego antecedens. Neq; enim ſolus manducat aut bibit Sacerdos. Debebas quę vera ſunt dicere, non quæ tibi videntur:

Non ſolus Sacerdos in altari manducat & bibit: ſed innumeri alij cum eo.

tur. Si oculos haberes apertos, videres non ſolum Sacerdotem manducare aut bibere. Mitto hîc ſpiritualem manducãdi modum. Nam & Sacramentali modo plures atq; innumeri cum eo manducant & bibunt. Eſt enim ſacrificium hoc commune vniuerſali Eccleſiæ in toto orbe vbicunq; Chriſtiani ſacris operantur. Vnus licet in vna ſæpè Eccleſia ſtat ad altare Sacerdos, non tamen ſolus ſtat, manducat aut bibit in magna Eccleſiæ domo, de qua Apoſtolus 2. Timot. 2. loquitur: ſed manducant bibuntq́; ſimul cũ eo quotquot vbicunq; locorũ in omnibus Eccleſijs ſacris operãtur: Vna enim oẽs mẽſa, vno hoſpite, vnis ijſdemq́; epulis, ijſdem conuiuis gaudent atq; fruuntur: vna apud oẽs benedicendi appoſita, vna deniq; gratias agendi ratio atq; modus eſt. Sicut in Italia, ſic in Gallia, Hiſpania, ſic & in Germania vnum idemq́; quotidie celebratur conuiuium. Quando ergo ad altare Sacerdos veluti vnus conuinantiũ petit: vt quod ore ſumpſerunt, pura mente capiant, pro omnibus in vniuerſo Chriſtiano orbe ſacris operantibus cooperantibusq́; ſinguli precãtur. Neq; enim in ſe vnum, aut in ea quæ in iſto vel iſto templo fiunt quiſquã eorum reſpicit: ſed mente omnium Eccleſiarum actiones concipit ac intuetur, & ſeſe omnium cõmenſa-

menſalem participemq́; eſſe exultat, atq; vti ſcit, ſibi ab alijs omnibus alibi bene precari, ita ſibi idem quoq; pro alijs faciundū agnoſcit. Nō ergo ſolus Sacerdos, ſed cum eo innumeri manducant & bibunt. Sicut vbi in magna aliqua aula multi cōſident ad vnam vel plures menſas, omnes ex ijſdem cibis ijſdemq́; potibus participant: ſinguli licet ſingulas ſuas ſedes, orbes, pocula, panes habent: nemo tamen dicit quod quiſquā omnium ſolus manducat & bibit, quantumuis ſeorſim ſedeant, ex ſua quadra ſinguli capiant: ita & hîc. Verum quod Sacerdos in ſuo quiſq; altari ſolus manducat & bibit, quid cauſæ eſt? Nunquid in ipſo ſitum eſt, quo minus tu quoque manduces & bibas? An aliquis omnium ſacrificantiū vſpiam aliquando vlli, rectè atq; ita vti æquum eſt petenti ſacras dapes denegauit? Et quidem vt ſolus frueretur negauit? Quis omniū nō quotidie ſibi vel mille communicātes exoptat? Quis non vehementer dolet Domini mēſam hoſpitibus filijsq́; adeo eſſe deſertā? Sed quādiu expectandū illi, quādiu deuotis illi ſua ingensq́; deſideriū ſuſpendendū erit, ſi non niſi cum multis manducandum bibendúq́; foret? Ideóne Chriſtus à Cœna illa aque ſacerdotij ſui, quod ſecundum ordinem Melchiſedech eſt, functione abſtinuiſſet,

ſi Apoſtolorum neminem qui cum manducaſſet bibiſſetq; habere tunc potuiſſet? Si reprehenſione dignum adeo eſt, ſolum aliquẽ mãducare ac bibere, propterea quod Chriſtus ſimul cum Apoſtolis Cœnam celebrauit, quomodo reprehenſionẽ euadet, ſi quis ægrotus ſolus manducauerit biberitq;? Dicis, quia neceſsitas excuſat infirmũ. At hanc ipſam etiam neceſsitatem Sacerdos prætendit: pro ſua ipſius atque Eccleſiæ neceſsitate manducare bibereq; ſe aſſerens, quando nemo alius qui ſe digne probauerit adeſt. Nec deſunt exempla priuatorum hominũ, qui Euchariſtiã vel collo ſuſpenſam vel alia veſtis honorifica parte abſconditam in magnis maris terræq; periculis priuatim ſumpſerunt. Si nihil in Cœna mutandũ, ſed ſicut Dominus cum ſuis ſemel celebrauit, prorſus obſeruãdum eſt, cur in cœnulis veſtris qui Chriſti perſonam referre vultis, cũ populo manducatis & bibitis? cum nullum expreſſum verbũ extet, quod hoc Chriſtus fecerit: multo vero minus aliquod præceptum eius faciendi proferre poſsitis. Cur manè, cur ſtãtes ſumitis, quod Chriſtus veſperi ſedẽdo faciendum ſuo exemplo quaſi demonſtrauit? Si pro accepta iniuria vulnera tua aperire tibi animus eſſet, quam multo verius in te tuoſq; quæ tu in Eccleſiam con-

tume-

tumelioſè? Dic enim mihi:quid eſt, ſi quã-do Cœnam facitis diuerſis locis, quod non omnes vnum idemq́; in iſtis epulis ſapitis: quod alius corpus ſine ſanguine: alius cum ſanguine corpus:alius copulata pane & corpus,vinum & ſanguinem: alius ſymbolum nudum ſolũq́; panem & vinum ſapere ſeſe dictitat, ſcribit,vociferatur? An non ſolus manducat & bibit, qui non ſicut oẽs manducat & bibit? An non,quod Apoſtolus de Corinthijs ſcribit,vnuſquiſq; ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & iam non eſt apud vos dominicam cœnam manducare? 1.Corint.11. Sed parco tibi, quia par pari referre morem non habeo. Catholicus Sacerdos neq; manducat neq; bibit ſolus,qui cũ tot millibus alijs ſimul atq; vno prorſus modo manducat & bibit.

Sed altera quoq; audienda querela eſt. Si quis alius cũ eo,ſacrifico ſcilicet,Cœnam celebrare vellet, dimidium tamen illi tantũ porrigit. Reſpondeo. Euchariſtiam ſemper ſub altera atq; vtraq; ſpecie indifferenter à fidelibus ſumptam eſſe in manifeſto eſt. Gregorius alteram ſumendam, fateor, præcepit. num vero & alteram interdixerit, apud me prorſus dubito. Quoniam quod præcipiens alteram,alteram interdicat, non ſequitur. Leo Pont. Max. ſicut ſermone *Vnæ ſpeciei tantum.*

Quadrageſimali quarto videtur, populum ad vtriuſque ſpeciei communionem cohortatus eſt, idque ſecundum Epheſini decreta Concilij. Demum in Conſtantienſi Synodo primum altera interdicitur Species. An fortè in hoc culpandus Papa aut in Clero quiſquam eſt? Minor illius in illa erat authoritas, vbi pro terrenæ poteſtatis arbitrio alius deponebatur, alius ſurrogabatur. Quid ergo Pontificem laceras, ac quaſi te Sacramenti parte altera ſpoliauerit, Chriſtique inſtituta infregerit, accuſas? Enimuero qua in re ſpoliari te exiſtimes, dic quæſo. Subſtantiáne corporis & ſanguinis Domini, an vero fructu eius? Non ſubſtantia. Quia vbi corpus, ibidem etiam ſanguinis, viuū enim corpus exangue non eſt. Id quod ne tu ipſe quidem negare audes: tantumque de eo quiritaris, quod Chriſtus ſanguinem ſuum non manducandum ſed bibendum præceperit. Quid hîc vero periculi? Dummodo ſumatur, quocunque modo ſumatur, indifferenter ſumi intelligitur. Aegrotet aliquis, nec poſsit panem glutire: inſtillatur in os liquidum: Nūquid ideo non manducauit corpus, quia ſumere non potuit ſpeciem panis? Sed fortè fructu te Euchariſtiæ ſpoliat pontifex? Audi igitur Chriſtū de manducationis fructu loquen-

loquentem, Ioan. 6. Qui manducat me, inquit, ipſe viuet propter me. Et: Qui manducat hunc panem, viuit in æternum. Loquitur autem de vſu Cœnæ qui conſiſtit in manducando, non bibendo, & æternam vitam manducanti promittit. Quid amplius in Cœna requirimus. Aut vitam æternam habentes, quid vltra deſiderare participando poſſumus? Sed præceptum Chriſti de bibendo vos mouet ad obediendum. At nondum demonſtrauiſtis, præceptum hoc eſſe neceſsitatis, vt ſine eo verê corpus & ſanguinem Domini nemo ſumere poſſit. Quis vero credat, vos præcepti huius ſolius Authoritate tantopere moueri? qui alias dicitis: non in hoc præcepta aut legem latam eſſe vt faciant homines quæ Lex præcipit: ſed vt ex Lege infirmitatem ſuam agnoſcant: nec quenquam ad Legem ſeruandam aſtringi, eorum, quos filius liberauit. Verè in vos hoc loco Chriſti verbum quadrat, Matt. 25. Væ vobis ſcribæ, Phariſæi & Hypocritæ qui decimatis mentã & anethum, & Cyminum: & reliquiſtis quæ grauiora ſunt Legis, iudicium & miſericordiã & fidem: Duces cœci, excolãtes culicẽ, camelum aũt glutientes. Hæc, inquã, verè in vos cõpetunt. Scilicet qui omne Dei præceptũ negligitis, eos veriſimile eſt,

huic ſoli mandato ex animo inhærere? Veruntamen ſi quòd Sacerdos alteram tãtum ſpeciem diſtribuit in cauſa eſt, quur à Miſſæ ſacrificio homines abhorreãt: age iam nũc & altera quoque rectè petenti conceſſa videtur: & orandus Deus, vt bene ſuccedat: ne murmur hoc veſtrum tam inſolens eundem finem cum Iſraelis in deſerto murmure ſortiatur. De quibus ſcriptum eſt, quod panem habentes, in quo eſcę delectamentũ erat, Sapient. 16. carnes Aegypti petierunt & ollas. Propter quod ira Dei deſcendit in eos, ſicut ſcriptum eſt: Adhuc eſcę eorum erant in ore eorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & accîdit pingues eorum. Pſal. 77. Num. 14. 16. 17. Exod. 15. 16. & 17. capitib. Sanè tempus me multum monet. Quadraginta enim annis Iſrael in deſerto fuit, quadraginta quoque annis Germania ſatis periculoſè oberrat. At non ignoramus cogitationes veſtras: non enim hoc agitis, vt alteram quoq; ſpeciem impetrare poſsitis, ſed quoniam ſola hæc querela veſtra ſpeciem aliquam honeſtæ petitionis habet, hoc laboratis, vt ſub hac honeſti ſpecie populum à toto Sacro auellere deterrereq; poſsitis: vt non ſit differentia inter Sacerdotem & populum: non ſit propheta, non ſacrificiũ, non debitus Deo cultus: & vt tandem per im-

pietatem

pietatem derelinquentes Deum, ipſi quoq; derelinquamur à Deo. Hoc molimini, in hoc vnum intelligẽtes neſcienteſq́; incumbitis omnes.

Tertia quærela hæc eſt. Abominationes ſunt in Miſſa, quarum partem Papiſtæ confitentur; partẽ negant. Reſpondeo. Quæ inſint in Miſſa, teſtantur abundè ſatis tot ſcripta, atq; typis impreſſa nõ ſuppreſſa Miſſalia, noua addita veteribus. Si qua illic ineſt abominatio, audacter, vir tu es, oſtende, quænam ſint illa, vt conſtet quid tu abominationẽ hic nobis dicas. Si etenim ea, quæ per vndecim hos Articulos hoc nomine grauas, & alijs vt ea tanquam abominationes habere velint perſuadere niteris, hoc loco abominationes dicis: profectò bona cõſcientia noſtra rerumq́; diuinarum ſciẽtia freti, palam tibi reſpondemus: legitimũ Dei ac verũ cultum nos abominationes nõ poſſe dicere: & ad ſacras literas, ad omnium Epiſcoporum doctrinam, ad vniuerſalis Eccleſiæ fidem, deniq; & confeſsionem, prouocantes, dicimus: Miſſæ Sacrificium verũ ac legitimum Dei Opt. Max. cultum eſſe, qui exhibitus illi ab eo quo primum in Germania nomen Chriſti ſonuit tempore ſemper eſt à pijs omnibus, & qui exhibẽdus eidem porrò ad Antichriſti tempora indubitatò

Abominationes quæ.

tatò creditur. Et quemadmodum quæ abominationes titulo in his vndecim Articul. grauas, quantum hac vice ſatis eſt, per nos ſuæ authoritati reſtituta arbitror, ita ſi quid præterea in Sacrificio hoc abominationis latere inhærereq́; iudicaueris, quod in hos tuos vndecim Articulos non computaueris, idq́; ſcripto palam feceris, non defuturos tibi certo promitto, qui te tuaque pro merito excipiant ac tractent. Non enim iuſtum ac pro [illegible]era religione cultuque Dei oblatum certamen detrectamus, Victoriam nobis pollicentes in eo, qui ipſiſsima eſt veritas, & in veritate coli adorarique vult.

Effectus Sacrificij. Quarta querela eſt. Ponit Sacrificus orationem, inquis, in qua Sacrificium commemoratiuum, ſiue rememoratiuum ſacrificiũ paſsionis, reſurrectionis & aſcẽſionis Chriſti nominatur: in qua etiam honoris Sanctorum, ac noſtrorum peccatorum remiſsionis fit mentio. Et hoc iniuſte atque peruerſe fit. Reſpondeo. Audio quid dicas, ſed vnde probes non video. Dic tamen mihi: cui Scripturæ loco aduerſatur, quod corporis Chriſti ſacrificium, rememoratiuum Sacrificium dicimus? Dictum eſt enim ſupra, vbi de Sacrificij natura ac proprietate diſputauimus, paſcha Iudæorum

non

non ſemel tantum pro redemptione, verum etiam annuè pro commemoratione ſemel adeptæ redemptionis immolari præceptum fuiſſe. Exod. 12. Ad quem moré Apoſtolus 1. Corint. 5. reſpicit, cum dicit: Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quam ob rem etiam figuræ reſpõdet: & quemadmodum ſemel oblatus eſt in redemptionem, ita quotidie & merito offertur in ſemel factæ redemptionis memoriam. Quod autam hoc loco iniuriam aliam ſuper aliã accumulas, quaſi doceamus, Sacrificium ſuo opere remiſsionem peccatorũ in Miſſa mereri: reſpondemus, te non nouam rem facere cum improbè contra Sacerdotem atque Sacrificium mendacium loqueris. Omnis enim virtus atque operatio Sacrificij huius à Chriſti pendet paſsione, & non ex Sacrificantis opere, qui ſolummodo miniſter eſt veri Sacerdotis Chriſti. Hic enim ſolus remiſsionem peccatorum operatur & largitur omnibus, qui ſe membra myſtici illius ſui corporis confitentur, eique vera fide ac magna deuotione inhærent, vnus cum Deo ſpiritus effecti, viua corporis membra, pura, ſancta & immaculata hoſtia Deo patri proponuntur in ara. Hic ſanè omnis fructus Sacrificij, ſoli CHRISTO IESV tanquam Sacerdoti, ſimul & vnctione

 aſcri-

aſcribitur: & hij ipſi fructus nulli communicari docent, niſi qui propria fide ac bonis animi motibus ſeſe in hoc corporis Chriſti

Honos ſanctorum. Sacrificium includunt. Sic quod Sanctorũ honores in hoc ſacrificio recitari cõmemorariq́; doles, non magnopere curamus. Nam ſicut inglorij ſunt, qui ſe non confitentur membra eſſe huius corporis Chriſti myſtici: ita iuſtum eſt, incorporatorũ membrorũ laudes non abſcondere. Memorias Sanctorum apud altare in Sacrificio non ſine exẽplo celebramus Scriptnræ. Scriptum eſt Eccleſiaſtici 44. Laudemus viros glorioſos. & parentes noſtros in generatione ſua: Nomen eorum viuit in generationem & generationem: Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia. Et Rom. 2. Gloria & honor & pax omni operanti bonũ. Et ipſe Domin⁹, 1. Reg. 2. Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eũ. Et alibi nos Apoſtolica hortatur authoritas, vt alij alios honore inuicem præueniamus. Rom. 12. & 1. Timot. 5. & 1. Pet. 3. Quod ſi hoc verum eſt, dum adhuc ſunt imperfecti in hoc Mundo, quãto magis modo, quãdo curſum ſuum conſummauerũt, & aſſumpti ſunt in gloriam?

Sola Chriſti paſsio. Clamas: Sola ſola Chriſti paſsio totius Mũdi tulit peccata atq; exoluit. Reſpõdeo.

Et

Et quis ô homiuum ſtultiſsimè hoc vnquã ex noſtris negauit? Quis ſecus docuit? Hoc enim omnes legimus, hoc loquimur, canimus, quia credimus, imò quia in nobis ipſis per Dei gratiam ſentimus. Quid enim eſt quod in Eccleſia ad altare clamamus? Agne Dei qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis: Nec id ſemel ſolum, ſed ter: niſi hęc nos fides ſuſtentaret. Verum Chriſti paſsione abuti, & ita de ea prȩſumere, quaſi nihil iam reſtet agẽdum, nihil pietas, nihil ieiunium, oratio, eleemoſyna, Dei ſeruitus, vitæ vota facere, & facta præſtare valerẽt, hic iam neceſſe eſſet nouũ aliquem Deum, noua Biblia, nouos Apoſtolos, nouamq́; fidem fingere, quærere, conſtituere, prædicare. Hæc enim pietatis opera ab antiquo illo dierum Deo noſtro à Biblijs veteribus, Apoſtolis, fideq́;, magnopere ſine vlla paſsionis Chriſti iniuria laudantur, imperantur, exiguntur.

Addis: Quæ ego nunc profero, inquis, hæc ante quadringentos annos latuerunt. Si palam facta fuiſſent, ſacrificuli non haberent tam opimas præbendas. *Ecce, ego noua facio omnia.* Reſpondeo. Bonam Iacobe confeſsionem edidiſti hoc ſcribens. Verum enim eſt quod dicis, quæ tu doces antea latuiſſe: Et ſanè melius haberemus omnes in Germania, non ſacrifi-

culi

culi modo, verumetiam Reges & Principes, ſi ne nunc quidẽ veſtra iſthæc doctrina Germaniam tam miſerè laceraſſet. Antè enim quàm hæc veſtra innotuit inſania, pijs hominibus Maioribus noſtris nihil defuit ad veram Dei cognitionem, & cogniti cultum. Vixerunt iſto quo refers tempore in Germania & alibi ſanctitate ac ſcientia inſignes viri Anſelmus, Laufraneus Guimundus, Algerus, Petrus Cluniacenſis, Bernardus, Hugo, Richardus, Petrus Lombardus, Gratianus, & alij multi. Horum omnium omnis generis ſcripta, libri, ſermones, fides, & doctrina etiam modo obuia ſunt. Quæ ſi legiſti, & quæ ſcripſerunt nouiſti, quæro ex te, quid ſcripſerunt, quod vel à priorum, vel ſequentium temporũ doctrina in Eccleſia Catholica diſcrepat? Vigiláſne an ſomnias, cum ante quadragintos annos homines rerum neceſſariarũ ignaros fuiſſe ſcribis? Sed ad confirmandam hanc accuſationem tuam, Petrum Lombardum in medium adfers, quem illo tempore ſcripſiſſe narras, diuitem melius in purgatorio habere quam pauperem. Quo nomine doctiſsimo viro iniuriam facis. Non enim ſic ille docuit, ſed aliorum opinionem recitauit. Præmiſerat enim lib. 4. diſt. 45. in hæc verba loquens: Sanè dici poteſt, diuiti

uiti non magis valuiſſe generalia & ſpecialia, quam pauperi ſola generalia ſuffragia: Et tamen profuerunt diuiti ſpecialia, non quidem ad aliud, vel maius aliquid, ſed ad idem ad quod generalia: vt ex pluribus & diuerſis cauſis vnum perciperetur emolumentum. Hæc ſunt Magiſtri verba, quibus ad refutandam calumniam tuam nihil poſſet dici apertius. Nam & quæ conſequenter dicit: poteſt tamen dici, &c. quid alij fortè ſentiant, recitat.

Quæris deinde, an iuſtum ſit in Cœna Chriſtum patri proponere: & an Miſſa ſit res media, per quam merita Chriſti nobis applicemus, eorumque participes reddamur. Reſpondeo. Exod. 23. præcipitur, ne quis vacuus appareat in conſpectu Domini. Et Apoſtolus monet, vt offeramus, Hebr. 13. Hinc iuſtum ac neceſſarium docemus, cum quis ob quamcunque rem ad Deum vult accedere, vt aliquid adferat, in quo & Deus ſibi complaceat, & grati animi ſignificatio ratioque conſiſtat. Sicut Dauid apud ſemetipſum diſputans: Quid, inquit, retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Pſal. 115. quaſi diceret: niſi de acceptis grates perſoluero, alia non impetrabo. Certum eſt autem quod Deus pater ſibi in dilecto filio ſuo,

Chriſtus an patri immolandus.

bene

bene complaceat, quodq́; Chriſtus filius ſalutem noſtram apud patrem operatur, & quod per ipſum acceſſum habeamus ad patrem, ſicut etiam omnis generis dona nobis à patre per ſeſe tranſmittit. Tale vero nihil in nobis reperimus. Sequitur igitur neceſſariô, nos in omni anguſtia atque afflictione noſtra, nõ noſtrorum operum meritorúmue dignitatem, ſed Chriſtum IESVM patri proponere: vt propter eum, qui naturalis eſt filius ac verus theſaurorum cœleſtiũ hæres, nobis adoptiuis impertiatur cœlitus, non quæ iure poſtulare poſſumus, ſed quæ filius ille vnicus donauit, quando in regni ſocietatem admiſit, & fratres ſuos confeſſus eſt. Et hoc illud eſt, quod expreſſo mãdato faciendum nobis præcepit: nempe cũ in ſuo nomine patrem orandum eſſe docuit. Ioan. 14. hoc eſt, merita ſua patri ſiſtenda, petitionesq́; cordis noſtri non ſuper nos, ſed ſuper ſe fundandas normam præſcripſit. Conſentaneum ergo eſt ſacris literis, quod Chriſtum patri ſiſtimus. Sed quærendum eſt, ſitne verbis ſolum & non etiam externo quodam ritu, an vero vtroq; modo ſiſtendus patri filius? Ipſa vero ratio dictat, vt in cultu Dei ea re vtamur vicißim, quam ipſi à Deo accepimus. Accepimus autem quinq; ſenſuum organa, per quæ non

modo

modo ipſi aliunde percipimus cognoſcimuſq́; verumetiã alijs quid in nobis præceptum, cognitum, & volitum habemus ſignificamus. Neceſſariò igitur cum coram Deo agimus, atq; ab eo boni aliqd impetrare contendimus, cùm vocis organo, tùm reliquorum quoq; ſenſuum inſtrumẽtis vtimur. Sic regius Propheta Pſal.102. canit in ſemetipſo exultans: Lauda anima mea dominum, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius confiteantur. Etenim ſi quis diligentius cõſideret, quãto labore Chriſtus ſeruator hæc hominis organa purificauerit, inq́; ſanguinis ſui vnda mundauerit: quomodo poſſet non omnia etiam in Dei cultu adhibere? Et Dauid quidem ſolam habebat arcam, quę figura tantum & exemplar corporis Chriſti erat, quã in multis tribulationibus ſuis quaſi reconciliandi Dei rem mediã adhibebat: Vide tamen quantam animi lęticiã, quantamq́ue deuotionem non oris modo, ſed totius etiam corporis geſtu oſtendit. 2. Reg. 6. Ipſe Deus nobiſcum agens, non auditum ſolum à nobis poſtúlat, verumetiã & guſtum & viſum, & ſenſus reliquos. Hinc Pſal.33. monet dicens: Guſtate & videte quã ſuauis eſt Dominus. Sic viciſsim nos à Deo petimus, non ſolũ & vt lingua orantes audiat nos, verũetiã vt alia quoq; quę geſtu actuúe ad concilian-

dū ipſum nobis adhibemus,inſpiciat.Pſ.118. Vide humilitatem meam. Thren.1.Vide domine afflictionem meā.Hic ſi Propheta verbis tantū cum Deo egiſſet, incongruè viſum dei efflagitaſſet. Auribus enim audimus,ſed oculis videmus.Ex quibus conſtat cum Deo non verbis modo verum factis geſtibusq́ue agendum eſſe.Quamobrē,ſi quando ærumnas miſeriaſq; noſtras Deo patri ſignificantes,liberationem ab ijs poſtulantes, Chriſtū patri ſiſtimus, & non voce aut lingua ſolum ſiſtimus, verumetiam geſtu & habitu : ſane hoc ipſo ſignificamus,nos quæ à Deo habemus omnia eidem accepta ferre.Et ſic quidē oportet fieri.Propter Chriſtū enim benefacturus nobis pater,agnoſcere in nobis vult, quantam fidem in ipſum habeamus, quam charus ſit nobis filius : Sed quis diligi ſe à quoquam ſperet, à quo verbis tantum prædicaretur?cum verbis laudari rogariq́ue inimicis pariter & amicis commune ſit.Et Dominus ipſe Iſa.29.Marc.7.de quibuſdam talibus conqueritur:Populus,inquit,labijs me honorat,cor autem eorum longè eſt à me.
Cum itaq; Chriſtus mediator noſter eſt,per quem tàm pater nobiſcum,quā nos cum patre agimus;vt conſtet omnibus nos verè eum patri ſiſtere,verèq; initi illi, qui olim ſecundum viſibilem formam aſcendit ad patrem
ſuum

ſuum & noſtrũ. Ioan. 20. eundem in altari ſiſtimus inuiſibilem in propria, viſibilem verò atq; palpabilem in aliena ſpecie. Innitentes omnipotentiæ verbi eius quo dixit. Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus Matt. 26. Taceo interim de eo, quòd ipſe Deus nõ modo ſe nobis audiendum, verumetiam & videndum, eo quo imbecillitati conueniens eſt humanę, exhibet, & quod ſacrificans ad altare eo ipſo quòd cum Deo pertractat, etiam circumſtantes populos erudit & docet, quomodo ac quibus geſtibus cum Deo ſit agendum: vt vna eademq; actione, & Deus vota ſacrificantis cognoſcat, & populus quid ſibi neceſſariò ſequendum ſit diſcat. Atque hęc de ſiſtẽdo Chriſtũ ſint dicta à nobis, qui indubia fide citius ſperamus nos quæ petimus conſequuturos, vbi non lingua modo CHRISTVM ſonat, ſed eundem & totius corporis compoſitio honorat.

Quę ſi minus ad geſtus habituſq́; ſacrificãtis & ſiſtentis Chriſtũ defendendos tibi ſufficiunt, Paulum 2. Corinth. 5. Hic enim vbi pręmiſiſſet obſecrationem ad populũ, vt reconciliarentur Deo, modum in quo iſthæc reconciliatio conſiſteret duplicem conſequentur, oſtendit dicẽs; Poſuit in nobis MINISTERIVM reconciliationis; Et mox; poſuit in nobis verbum recõciliationis quo

loco

loco miniſterium ad ſacrificij refert actionē & verbum ad prędicationem.

Sacrilegi nolunt dici ſacrilegi.

Excuſat ſe poſtremum, nec vult cum ſuis à noſtris accuſari Sacrilegij, qui Eccleſiā theſauro omniū pretioſiſsimo, corpore, ſcilicet & ſanguine Domini nefario auſu, quantum quidem in ipſis eſt ſpolient. Reſpondeo; nos propriè ſolemus loqui nec videmus quo alio nomine eum, qui res ſacras ablegat, rectè appellemus, quam Sacrilegum. Res ſacra in Eccleſia eſt corpus & ſanguis Domini (de alijs Eccleſię bonis hîc nō quęritur) Hāc ſuſtuliſtis bifariam ex ea; ſcilicet ſecundum ſubſtantiam, & ſecundū vſum. Secundū ſubſtantiam multis modis quemadmodū ſupra ſecundo Articulo dictum eſt. Quotquot enim aliud quidpiam ſub formis illis externis, panis ac vini dico ſpeciebus, populo exhibetis, præter corpus & ſanguinem Domini, non hoc porrigitis, quod dominus porrigendum præcepit; Atq; ideò quòd dominus ibi eſſe voluit tollitis, & quod noluit, aliud ſupponitis, homines reſurrectionis immortalitatiſq; alimonia, & corruptionis Antidoto priuatis. Deinde etiam non minori impietate quod veſtrum non erat aufertis, quādo vſum ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ad ſolam bibitionem manducationemq́; contrahitis, in quo ſanè ſacrilegio, non hominis modo recon-

reconciliandi Dei medio, verum etiam Deum honore ſuo priuatis. Nam & in hoc inſtituit Dominus ſacramentum hoc, vt offerentes illud debitum illi cultum præſtaremus. Sicut enim in preuaricatione Adæ duo erãt, alterum quòd fructum alienum per furtum rapuit; alterum quòd raptum comedit; Ita cæleſtis Adam in huius ſacramenti inſtitutione manducationem manducationi oppoſuit, & furtum vetus corporis ſanguiniſque ſui nouo Sacrificio & oblatione emendauit. Non enim hoc iuſsit tantum, vt comederetur, & biberetur, verumetiam vt & immolaretur; Hoc, inquiens, facite, in meã commemorationem. Hæc duo bona Eccleſia bona pace poſsidebat, donec per vos licebat. Clamant hoc de vobis accuſantia vos ſacrilegij ſcripta veſtra. Clamãt tot aræ euerſæ, tot templa diruta; &, niſi fallor, clamant etiam accuſantes vos cogitationes veſtræ in vobis, quarum perpetuũ teſtimoniũ non poteritis aliquando effugere. Non ergo iniuria afficimus vos, cum de commiſso in Eccleſiam ſacrilegio aduerſum vos conquerimur; ſed iniuriam per vos nobis illatã teſtatur, & eò magis de vobis dolemus, quod eiuſmodi ſacrilegijs funeſtare omnia nõ hominis Chriſtiani, ſed Antichriſti eſſe perſuaſi eramus.

CONCLVSIO.

HAbes ergo Lector Candide in hoc opuſculo noſtro defenſionem & aſſertionem eorum quæ in ſacrificio perficiuntur, contra cauillationes Iacobi Andreæ. Apud te, vbi diligenter vtriusq; dicta contuleris, ſit iudicium, à cuius parte ſtet veritas atque victoria. Ponite quæſo, quicunque hæc noſtra legeritis, affectus prauos qui intellectū à veri iudicij ratione plerumq; remorantur & impediunt, quo minus oblatum poſsit diſcernere verum, fundamēta atque principia noſtræ huius diſputationis hæc ſunt. Dei verbum in ſacris literis proditum teſtimonia vniformis conſenſus omniū eorum, qui à Chriſto vſque ad hæc noſtra tempòra Eccleſiam aliquando ex domini inſtitutione & ordinatione gubernarunt: totiuſque Eccleſiæ fides atque confeſsio. Hoc triplici fundamento ita defenſio hæc initur, vt non timeam mihi vel ab vndis vel à flatibus. Mendacio res tantas abominationis idololatriæq; incuſare, ſatis argumenti eſſe debebat, cauillatorē cauſa deficere, nec habere quod in opinionis erroriſq; ſui confirmationem poſsit tutò in medium producere. Dei voce admonemur, Ierem. 6. Deut. 32. Iob. 8. cū ſtamus in biuijs triuijſque, ſicut hodie alius hac alius illac aberrat, & quando neſcimus qua via incedendum ſit: quique duces ſequendi: vt de vijs antiquis interrogemus patres atque maiores noſtros, vtque ambulemus in eis: in memoriam reuocātes annos priſtinos, quid ante nos pij vbiuis locorum crediderint obſeruauerint-

rintq́ꝫ. Contra vero quotidiana experientia nos docet, nouorum hominum conſilia inuentioneſq́ꝫ regna homineſq́ꝫ funditus perdere. Quam ob rem cuiuſlibet iudicio relinquo, cogitent magni atque parui, quorumcunque ordinum ac ſtatuum homines, an futurum ſit è re Eccleſiæ Chriſti, regnorũ, atque prouinciarum: imò vniuſcuiuſque priuati hominis, ſi derelicta via antiqua nõ neceſſarijs nouationibus noſmet implicitos reddiderimus. Profecto, quantum video atque intelligo, ipſi Nouatores ſibi magnopere timent, fore vt vbi ad cor tandem redierint intelligentes viri, quam à tergo reliquerunt viam reſpexuros, de ſemitis antiquis interrogaturos: omnes vero nouationes ſi non penitus auerſaturos, ſaltem minoris habituros. Non ſatis eſt ad ſalutem quod ſuadetur: nempè, vt Maioribus noſtris permittamus, quocunque modo poſſunt ſcripta ſua, fidem, religionemq́ꝫ excuſent: ſed conſiderandum verò eſt, cuius illi miniſtri aliquando fuerint, cui ſcripſerint, & quam ob cauſam tantis à Deo gratijs donati fuerint, non modo vt ſuis temporibus Eccleſiam viua voce gubernarent, verum vt nos futuris temporibus quoque ſcriptis ſuis de veritate in omni dubio ac quæſtione edoceāt: & ꝙ nobis quoque laborauerint ſcripſerintq́ꝫ, conſiderantes, tot erroribus diſiectis, indubitanter eorum veſtigijs inhærentes, ad communē patriam expeditiores tendamus. Non vult deperire hoc Deus, ꝙ S. ſpiritus ſuis per ipſos docuit aut ſcripſit, Nõ enim

CONCLVSIO.

Habes ergo Lector Candide in hoc opuſculo noſtro defenſionem & aſſertionem eorum quæ in ſacrificio perficiuntur, contra cauillationes Iacobi Andreæ. Apud te, vbi diligenter vtriusq; dicta contuleris, ſit iudicium, à cuius parte ſtet veritas atque victoria. Ponite quæſo, quicunque hæc noſtra legeritis, affectus prauos qui intellectũ à veri iudicij ratione plerumq; remorantur & impediunt, quo minus oblatum poſsit diſcernere verum, fundamēta atque principia noſtræ huius diſputationis hæc ſunt. Dei verbum in ſacris literis proditum teſtimonia vniformis conſenſus omniũ eorum, qui à Chriſto vſque ad hæc noſtra tempòra Eccleſiam aliquando ex domini inſtitutione & ordinatione gubernarunt: totiuſque Eccleſiæ fides atque confeſsio. Hoc triplici fundamento ita defenſio hæc initur, vt non timeam mihi vel ab vndis vel à flatibus. Mendacio res tantas abominationis idololatriæq; incuſare, ſatis argumenti eſſe debebat, cauillatorē cauſa deficere, nec habere quod in opinionis erroriſq; ſui confirmationem poſsit tutò in medium producere. Dei voce admonemur, Ierem. 6. Deut. 32. Iob. 8. cũ ſtamus in biuijs triuijſqúe, ſicut hodie alius hac alius illac aberrat, & quando neſcimus qua via incedendum ſit: quique duces ſequendi: vt de vijs antiquis interrogemus patres atque maiores noſtros, vtque ambulemus in eis: in memoriam reuocātes annos priſtinos, quid ante nos pij vbiuis locorum crediderint obſeruaue-

rint-

rintq́;. Contra vero quotidiana experientia nos docet, nouorum hominum conſilia inuentioneſq́; regna homineſq́; funditus perdere. Quam ob rem cuiuſlibet iudicio relinquo, cogitent magni atque parui, quorumcunque ordinum ac ſtatuum homines, an futurum ſit è re Eccleſiæ Chriſti, regnorũ, atque prouinciarum: imò vniuſcuiuſque priuati hominis, ſi derelicta via antiqua nõ neceſſarijs nouationibus noſmet implicitos reddiderimus. Profecto, quantum video atque intelligo, ipſi Nouatores ſibi magnopere timent, fore vt vbi ad cor tandem redierint intelligentes viri, quam à tergo reliquerunt viam reſpexuros, de ſemitis antiquis interrogaturos: omnes vero nouationes ſi non penitus auerſaturos, ſaltem minoris habituros. Non ſatis eſt ad ſalutem quod ſuadetur: nempè, vt Maioribus noſtris permittamus, quocunque modo poſſunt ſcripta ſua, fidem, religionemq́; excuſent: ſed conſiderandum verò eſt, cuius illi miniſtri aliquando fuerint, cui ſcripſerint, & quam ob cauſam tantis à Deo gratijs donati fuerint, non modo vt ſuis temporibus Eccleſiam viua voce gubernarent, verum vt nos futuris temporibus quoque ſcriptis ſuis de veritate in omni dubio ac quæſtione edoceãt: & q̃ nobis quoque laborauerint ſcripſerintq́; conſiderantes, tot erroribus diſiectis, indubitanter eorum veſtigijs inhærentes, ad communẽ patriam expeditiores tendamus. Non vult deperire hoc Deus, q̃ S. ſpiritus ſuis per ipſos docuit aut ſcripſit, Nõ

enim

enim ipſi ſunt, q̃ ſoli docuerunt, ſed fuit in eis inſpiras & aſpirans Spiritus Dei. De his dictũ eſt: q̃ vos audit, me audit: q̃ vos ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Luc.10. Mar.13. Factie ergo ô Germani, ne ſcienter repugnantes Maiorum noſtrorum doctrinis, inſcienter repugnetis & Dei ſpiritui. Offertur vobis non noua, ſed antiquitatis cõmendatione probata veritas, tanta ſanguinis effuſione conteſtata, tot miraculis approbata, tam longò tempore, tanto zelo cuſtodita, atque integra vobis non ab hominibus ſed a Maioribus, atque parentibus veſtris: non extra ſed intra Eccleſia contradita. Ab hac non poteſtis ſicut neque velle debetis, ſine certa animarum veſtrarum condemnatione recedere. Dominus Deus & pater cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras ab omni errore, & deducat vos in via mirabili vſque ad montẽ Dei vbi ore ad os loquitur dominus, & videtur facie ad faciem, Amen.

FINIS.

EMANUELE VITTORIO IN ROMA BIBLIOTECA

9-3-3